



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

KAIS.KÖN.HOF BIBLIOTHEK



50.597-C

Alt-

V. 89. B. 12.

50507-0.

8.4





I. A. Pfaffel S. C. M. Sculpt. sc. A. V.



DICÆOMACHIA,  
*S I V E*  
EROTEMATA JURIDICO-  
POLEMICA

*D E*  
JURE; ET JUSTITIA CERTAMI-  
NUM, ET BELLORUM.

*Q U Æ*  
Sub Secundissimis Auspiciis  
SERENISSIMI  
SABAUDIÆ DUCIS  
EUGENII  
FRANCISCI,  
&c. &c.

IN ALMA CÆSAREO-AUSTRIACA  
UNIVERSITATE OENIPONTANA

*PUBLICÆ DISPUTATA SUSTINUIT*

*P R Æ S I D E*

**P. JOSEPHO SEYBOLD S.J.**

**SS. Can. Doctore, & Professore Ordinar.**

JOANNES ANTONIUS FLORANTIN,  
J. U. Cand. Examin. & Approb.

*Anno Christi M. DCC XIV. Mense Majo.*

—††††—††††—††††—††††—††††—††††—††††—††††—  
OENIPONTI, Typis Hæredis Jacobi Christoph. Wagner, Cæf. Aul. Typogr.



ANNALS OF THE

ROYAL CANADIAN MOUNTED POLICE

VOLUME 10 PART 1

1911-1912

1911-1912

1911-1912

1911-1912


1911-1912


1911-1912

1911-1912

1911-1912

1911-1912



SERENISSIMO  
DUCI SABAUDIÆ  
UGENIO  
FRANCISCO  
PRINCIPI PEDEMONTII,  
MARCHIONI DE SALVZZA,  
COMITI DE SOISSON, &c. &c.

EQUITI AUREI VELLERIS;  
Sacrae Romanae Cæsareæ, & Regiæ Catholicæ  
Majestatis

CAROLI SEXTI  
ACTVALI CONFERENTIÆ INTIMÆ  
CONSILIARIO,

Consilij Aulico-Bellici Præsidenti,  
GENERALI LOCUM TENENTI,  
S. R. IMPERII CAMPI-MARESCHALLO,

*16*  
PLENIPOTENTIARIO GUBERNATORI  
DUCATUS MEDIOLANENSIS,  
&c. &c.

Domino, Domino Clementissimo.

# PRINCEPS SERENISSIME, DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME.



*um* Elucubratio hac publicam aspectura lucem Patrocinium sibi quareret, Serenissimo Nominis Tui splendore in oculos illabente intra domesticos parietes lux illa, quam ambiebat, affulsit: oculis eam ingessit Clementia omnibus à Tua Serenitate resurgens; qua velut immemor altissimi Cubminis, in quo Tua Te Fortitudo, prudentiaque sub Gloriosissimis Auspiciis TRIUM CÆSARUM collocavit, paternam domum voluisti non semel Magnus Hospes implere. Mea itaque hac audacia, qua ab iis, quibus Benignitas Tua perspecta haud est, justā notari cēsurā possit, à Tuæ Serenitatis Clementia audax est: vicit hac ingenuam veretundiam meam, & ut auderem me, licet tenuitatis mea apprimè gnarum, cum hisce Theſibus ad Pedes Tuos provolvere, allexit. Et verò cujus Patrocinitium Studiorum meorum Coronidi opportunius implorem, quam illius Principis, in quo cum immortalis rerum heroicè gestarum Gloria summa Sapiētia, & Eruditionis Decora conjuncta resplendent? unde certius sperem Præsidium, quam ab eo, cui Divini Numinis Bonitas ad amplitudinem, & Gloriam res magnas gerendi invictam animi Magnitudinem adjunxit? quem Positiones hæc De Jure, & Justitia Certaminum, ac Bellorum in fronte præponant, quam Heroem Justum, Pium, Magnanimum, Invictum? cuius virtus apud omnem Posteritatem victura nullum blandienti adulationi locum reliquit, omnium promeruit amorem, omnem vicit invidiam? Cui è Theſauris Divitiarum suarum Supremum Cæli, Terræque Numen tam copiosam Disciplinam Militaris Scientiam, Felicitatemque est largitum, ut tot numerentur patina, quot prælia? restatur tibi Tibiscus, ad quem Ottomanicam Lunam suo Sanguine, quem de Christianis sitiebat, cruentatam Eclipsin pati cœgisti Victor in Hungaria. Testatur Danubius, ad quem Höchstadij lau-

ros tuas plantasti Victor in Germania. Testatur Taurinum, quod celeri Victoria cum Italia recuperans dicere cum Julio Casare poteras: veni, vidi, vici Victor in Italia. Testantur Montes, ad quos feliciter pugnavisti Victor in Belgio. Et victorias hasce tam largas hausisti e victoriarum fonte Domus Austriaca, cui militasti: Dedit Augustissima hæc Domus Imperatorum ferax nostra etate tres Imperatores, quos universus obstupescit Orbis, LEOPOLDUM, JOSEPHUM, CAROLUM, quanta in mundo Nomina! dedere hi Te exercituum suorum Heroem, ac Ducem, quem pariter admiratur orbis; ut locum hic habeat illud, quod Curtius in simili pronuntiat: Tanti Imperatores digni Tanto Duce; Tantis Imperatoribus dignus Tanti Dux. Tibi proin post tot ubique erecta prudentia tua monumenta, & fortitudinis Trophæa, quibus nec favore sortis, nec plausu populorum elatus, sed semper idem, ac tui similis in tam excelso rerum fastigio ipsam videris toties vicisse victoriam; Tibi, inquam, Principum Exemplari, ac speculo; Imperij Presidio, ac Firmamento mundi totius Delicio, & Amori, Tuarum ego virtutum admirator, & meritorum cultor, Tuorum Beneficiorum memior, ac tot Nominibus tuus Theses hasce meas, me, meaque omnia ad sincerissima in Te submissionis contestationem offero, dico. Excipe, quo soles, vultu, tuere Patrocinio, Clementissimo dignare obtutu hoc qualecunque Munus. Ad Publicam Te Felicitatem D. O. M. Diu sospitet, Teque incolumem conservet ad Tranquilla Pacis Tempora, quam mundus omnis exoptans per Te obtinuit, & per Te longos in annos conservare sperat. Ita precatur, ita vovet

## Serenitatis Tuæ

Submississimum Servus

Joannes Antonius Florantin.

XX

## Approbatio Theologica.

**P**ræfens hic Tractatus *de jure, & Justitia certaminum, & Bellorum* indispensabilem Legis Naturalis *Necessitatem*, justissimam Divinae Legis *Exigentiam*, & fundata in *his duabus gentium Jura*, Legum humanarum *Rationes*, Certaminum, & Bellorum *Iustitiam* clarissimâ Methodò, & solidissimâ Doctrinâ ob oculos ponit, nec minùs Principia ac Fundamenta *harum Legum* factis, & exemplis, nec non selectarum quæstionum resolutionibus elucidat perquam aptissimè. Unde, cum Orthodoxæ Fidei, ac bonis moribus nihil adversum contineat, quin imò humanas actiones ad *Justissimam Divine Nemesis* stateram jubeat ponderare, dignum omninò censeo, ut sub Gloriosissimis Tanti Patroni Auspiciis publicæ concertationi committatur, quò unâ Clarissimi sui Authoris latiùs inclareat solidissima, & perquam erudita Doctrina: Nobilis autem, & Doctissimi D. Defendentis præclarissimè hausta ex Jurisprudencia luculentius pateat Noticia, & simul typus publicus Plurimorum deserviat utilitati.

Ita censeat

Jos. Christianus Schmid, Presbyter, SS. Theol.  
Doct. Ejusdemque in Polemicis Profess. Ord. Jur.  
Pontificij Cand. ac p. t. Facult. Theol. Decanus.

---

## Approbatio Juridica.

**H**æc Erotemata sub nomine *Dicæomachiae* inscripta Symbolum Curiosæ utilitatis omni Jure meretur, quia ex Principiis Juris Naturalis, Gentium, Canonici, & Civilis plurima utilia tam pro interno quàm externo foro, multa etiam Curiosa ex Antiquis, & Recentioribus Historiis proponunt, ac non solum suavi Methodo, sed etiam ponderosis rationibus, ac profundâ Doctrinâ explanant; Unde omnino dignum censeo, ut in publicam Lucem prodeant tum in laudem A. R. Clarissimi Authoris, tum in utilitatem Nobilis Domini Defendentis jam jam ex utroque Jure Examinati & Approbati. Ita censeat

Joan. Udalricus Rudolphi, Utriusque  
Juris Doctor, Juris Publici & Codicis Pro-  
fessor Ordinarius, ac p. t. Facultatis Juridicæ  
Decanus.

## PRÆFATIO AD LECTOREM.

**E**Rit forsan in hac Elucubratione nostra, quod mireris benigne Lector, aut nonnemo etiam carpat, eam à calamo SS. Canonum interpretationi destinato, eoque togati, & Sacerdotio initiati Scriptoris fluxisse; quid enim Sacerdoti cum armis? cui convenit potius illud Ciceronis: *cedant arma toga.*

*Armagerant, & bella viri, queis bella gerenda.*

Tunc, exprobrabit quisquam, *hæc audebis homo umbraticus? qui serio nunquam castra videris, nunquam partem ullius bellici muneris attingeris?* Sed cessabit isthæc exprobratio, Titulus si inspiciatur libelli: non arma spirat calamus, sed iustitiam in armis, in Republica; ideo **Dicæomachiam** nuncupavimus, id est, *iusti certamen*, etymologiâ nominis à Græcis (quibus Onomatopœia inter figuras placet) desumptâ. De Iure, & Iustitia, quibus certamina, bella, arma, Reipublicæ salus innituntur, scribimus: & quis malè vertat SS. Iurium interpreti lura hæc interpretari, quæ Naturæ, Gentium, & Canonum Legibus stant; de quibus extat in Gratiani Decreto *causa 23.* Non ut bella gerantur, sed quomodo gerenda, ut rectè gerantur secundùm Ius naturæ, Gentium, & Canonicum, docemus: quod Ius à togatis haurire quique armis celeberrimi consuevère, qui ferè solidius, ac rationi magis consentaneè de Iuribus scribunt, Ius non in armis, sed in causa, & æquitate ferentes: quod & Romani cognovère, dum Iuris belli, Pacisque arbitros feciales suos Sacerdotes voluère. Sed neque hic unus nostri laboris est scopus; Reipublicæ elucubrationem hanc qualemcunque destinavimus Ius, & Iustitiam probasi habentem. Invenient Duces, & Milites in Sago, Magistratus, Consiliarij, Cives, Iurium Candidati in toga, quæ sibi, & Reipublicæ profint, si lectione dignabuntur. Stylum rebus accommodavimus, acerbus ubi est, in acerbos acerbus est; protestamur autem nostræ mentis esse, neminem vel leviter in particulari velle perstrictum: doctrinam generalem ex solidis principijs Iuris & naturalis, & positivi proponimus, in particulari inferimus nihil; quis enim nos Iudices constituit? occasionem dedit PATRONUS, cui dicantur hæ nostræ positiones, & D. Defendens eos hujus systematis expetens. Ut utile misceremus dulci, eruditionibus condire studuimus. Diximus multa, sed non omnia; in magnum enim volumen exerevisset opus: Pacis tractationem adijcere parabamus, sed tempus abruptit, forsitan aliud tempus (si Superis placet) aliam occasionem dabit pacem, quæ aurea nunc resonat, adijciendi. Interim boni consule, benigne Lector, & vale. Si quæ minus appaerint exulta, veniam dabis: properandum erat.

Emendaturus, si licuisset, eram.

Auctores, evolvimus, & secuti sumus, sequentes.

### AUCTORITAS.

Præter Sacram Scripturam, SS. Concilia, Corpus Juris Canonici, & Civilis, Constitutiones Summorum Pontificum, & Propositiones ab iis damnatas, Bullam auream, Recessus Imperij, aliasque Imperatorum Constitutiones, Auctoribus usi sumus, quos sequens exhibet tabula; qui sunt

|                        |                         |                      |                        |
|------------------------|-------------------------|----------------------|------------------------|
| Abbas.                 | Bisselius.              | Contzenius.          | Gobar.                 |
| Albericus.             | Bonacina.               | Covaruvias.          | Gonzalez Thyrsus.      |
| Alciatus.              | Bonal.                  | Diana.               | Gonzalez Emanuel.      |
| S. Ambrosius.          | Brancatus Card. de Lau- | Delrius.             | Gorhofredus.           |
| Aristoteles.           | rea.                    | Desselius.           | Grævanus.              |
| Armillæ. Bartbol Fami. | Breviarium Romanum.     | Durandus.            | Gretserus.             |
| S. Augustinus.         | Brierius.               | Engelgrave.          | Groëius.               |
| Azor.                  | Boërius.                | Engel.               | Hannoldus.             |
| Baldus.                | Brunnemann.             | Everhardus.          | Hazard.                |
| Barbosa August.        | Bürgers.                | Exerctia S. Ignatij. | Heizmann.              |
| Baronius.              | Bulsenbaum.             | Fagnanus.            | Honorius.              |
| Bartolus.              | Cardenas.               | Farinacius.          | Jacobus de S. Georgio. |
| Becanus.               | Carpzovius.             | Fillincius.          | Joa. Lodoicus Commen-  |
| Bellarminus.           | Castrensis. Paulus.     | Flavius Poppeus.     | tar. S. Aug.           |
| Berlichius.            | Cicero.                 | Fridrich.            | Jason.                 |
| Besoldus.              | Contius. Anton.         | Gaillius.            | Illung.                |
| Byeslinck.             | Cornelius à Lapide.     | Gilhausen.           | Iter Polemicum ad Ec-  |
|                        |                         |                      | clesiam                |

|   |                  |                             |                           |
|---|------------------|-----------------------------|---------------------------|
| clesiæ Cath. verita-<br>tem Augustæ 1708.<br>impressum. | Maurus.          | Raynaudus,                  | Tamburinus <i>Thomas.</i> |
| Juvencius.  | Menochius.       | Reginaldus.                 | Tannerus.                 |
| Knipschilt.   | Molina Ludovic.  | Reinkingk.                  | S. Thomas Aquinas.        |
| König. Robertus.  | Mercator.        | Rosenthal.                  | Turfellinus.              |
| Kranzius.   | Mynsingerus.     | Rümelin:                    | Vasquez <i>Ferd.</i>      |
| Krimer.   | Navarrus.        | de Rhodes,                  | Venatorius.               |
| La Croix.   | Nepveu.          | Rodriquez <i>Alphonfus.</i> | Victoria.                 |
| Laymann.  | Oliva.           | Sanchez <i>Thomas.</i>      | Viva. Dominicus:          |
| Lessius.  | Palao.           | Schmiz.                     | Vallensis.                |
| Liber Torneamento-<br>rum. <i>Turnier Buch.</i>         | Pax Jordanus.    | Sannig.                     | Wagnereck.                |
| Lindenpirus.  | Peckius.         | Sbogar.                     | Wehner.                   |
| Lipsius.  | Perezus.         | Schoctus.                   | Welenbec.                 |
| Lugo Cardinalis.  | Pexenfelder.     | Segneri.                    | Wex.                      |
| Mantica Cardinalis.                                     | Pignatelli.      | Spiegellus.                 | Wiestner.                 |
| Manzius.  | Pirhing.         | Spondanus.                  | Winzler.                  |
|   | Prateius.        | Stengelius.                 | Zoëlius.                  |
|   | Pufendorfius.    | Sylvester.                  |                           |
|   | Quintus Curtius. | Suarez.                     |                           |

Plures ab his citatos, quos inspiciendi copia non fuit, non addimus, uti nec eos, quorum scomma-  
ta refutamus, aut levis notæ sunt.

## DIVISIO OPERIS.

Partici sumus lucubrationem in tres partes.

### P A R S I.

#### *De Jure, & Justitia.*

**C**ontinet hæc pars Sectiones septem. 1. Est de Jure in genere, & de Jure Naturæ. 2. De Jure Gentium, ubi & de Religione quædam. 3. De Jure Positivo, Canonico, & Civili, ubi discutitur, quos obligent Canones, quos Leges Civiles, & an copia Legum proficua sit Republicæ? 4. De Jure prout est legitima potestas de re disponendi, ubi breviter species hujus Juris, ejus Divisio in Jus Proprietatis, & Jurisdictionis, & Natura Dominiij exponuntur. 5. De Justitia commutativa, Legalis, Vindicativa, Distributiva, ubi finis Principum, & Magistratum exponitur. 6. De Distributione Officiorum Republicæ, & an ea possint vendi? 7. De Administratoribus Justitiæ, & Officiorum Republicæ, de Senatoribus, Consiliarijs, Judicibus, & an expediat Principem ipsum Jus dicere?

### P A R S II. *De Monomachia, & certaminibus singularibus.*

**C**ontinet hæc pars Sectiones octo. 1. Est de Monomachia, ejus origine, & usu apud varias gentes; de ejus causis, solemnitatibus, sub quibus per modum probationis judicialis olim instituebatur. 2. De Superstitionibus, & invulnerabilitatibus Monomachorum, & Militum. 3. De Prohibitione Monomachiae Jure Civili, Canonico, Divino, & Naturali, ubi & alia de Jure Naturæ scitu necessaria exponuntur. 4. De Prohibitione Monomachiae ob punctum honoris, & an honor sit pugnare Monomachia? & de medijs declinandi Monomachiam honore illaeso. 5. De Prohibitione Monomachiae susceptæ ad probationem criminis, vel innocentiae; uti & de reliquis probationibus vulgaribus per ignem, per aquam, per cruentationem Cadaveris ad præsentiam occisoris; & de provocatione ad Divinum tribunal. 6. De Pœnis Monomachiae contra Dominos territoriales eam in suis territoriis concedentes, contra ipsos pugnantes, & eorum parrinos, consulentes, spectantes &c., & de absolutione Monomachorum, & plerumque Provocatores in Monomachia occumbere. 7. De alijs certaminibus particularibus, ut ob causam publicæ utilitatis, defensionis vitæ suæ, ob causam defensionis, & recuperationis rerum suarum, & an Clericis hæc defensio sit permessa? ob causam defensionis proximi, & qui teneantur proximum defendere? ob causam defendendi honorem, pudicitiam. 8. De Torneamentis, agitatione Taurorum, & aliarum ferarum.

### P A R S III. *De Bello.*

**C**ontinet hæc pars Sectiones sex. 1. Est de Diffidatione, seu declaratione partis adversæ pro hoste; ubi de Diffidatione Banni, de Assassinis diffidatis, de Diffidatoribus belli privati, quales tempore Bullæ Auræ grassabantur inter familias, de diffidatione belli publici, seu prævia ipsius denuntiatione & indicatione. 2. De Definitione, Divisione, & origine Belli, & illud esse licitum Jure Naturæ, Gentium, & Divino in antiquo Testamento, & in novo apud Christianos, & contra Turcas. 3. De Bello non temerè suscipiendo, sed maturo Consilio; ubi agitur de Consilio prævio belli, & traduntur Regulæ practicæ instituendi deliberationem ad bellum suscipiendum. 4. De Bello justè suscipiendo; ubi ponuntur conditiones ad bellum justè suscipiendum, examinantur causæ justæ, & injustæ, & transirus bellantibus per terras alienas concedendus; causæ, ob quas Principes Christiani bellum suscipere possunt in infideles, & an possit dari bellum utrinque justum? qualis certitudo, & probabilitas requiratur de justitia causæ? an bellum justum movens oblata ab hoste satisfactione teneatur à bello desistere? qualis sit recta intentio bellandi? & an Episcopi, ac Clerici bellare possint? 5. De Bello gerendo, ubi agitur de obligatione, & dotibus Ducum, & Militum, & quid liceat in bello? 6. De Bello finiendo, ubi agitur de Victoria, quomodo Victor, & Victus eâ uti debeant, & breviter, quid sint Pax, & Treugæ, sive Induciæ, in sinuatur.



*Dignus Victor in ...*

*Præmium ad Libitum*





clesiæ Cath. ve  
rem Augustæ i  
impressum.

Juvenius.

Knipschilt.

König. Robertus.

Kranzius.

Krimer.

La Croix.

Laymann.

Lessius.

Liber Torneament  
rum. Turnier. B

Lindenpirus.

Lipsius.

Lugo Cardinalis.

Martica Cardinalis.

Manzius.

Plures ab his ci  
ta refutamus, aut le

---

**C**ontinet hæc  
Gentium, i

titur, quos t


4. De Jure prout est  
Jus Proprietatis, &  
gali, Vindicativa, I  
ne Officiorum Reipi  
Reipublicæ, de Sen

**PARS**

**C**ontinet hæc par  
de ejus caulis,

2. De Superstitionis  
Monomachiae Jure C  
exponuntur. 4. I  
machia? & de med  
sceptæ ad probationi  
per aquam, per crue  
nal. 6. De Pœnis  
tra ipsos pugnantes  
rum, & plerumque  
ut ob causam publica  
suarum, & an Cleri  
ximum defendere?  
Taurorum, & aliar

**C**ontinet hæc par  
ubi de Diffidati  
Bullæ Auræ grassab  
dictione. 2. De Defin  
in antiquo Testamet  
scipiendo, sed mat  
tuendi deliberatione  
nes ad bellum justè f  
ras alienas conceden  
an possit dari bellum  
bellum justum move  
landi? & an Episco  
dotibus Ducum, &  
quomodo Victor, &



# DICÆOMACHIA,

*S I V E*

## EROTEMATA JURI- DICO-POLEMICA

*D E*

### JURE, ET JUSTITIA CERTA- MINUM, ET BELLORUM.

#### P A R S I.

*D E*

#### JURE, ET JUSTITIA.



Ntequam de certaminibus, & bellis tractare auspicemur, præmittimus hanc tractationem de Jure; & Justitia; quibus innitantur certamina omnia, necessum est, ne in latrocinia degenerent. Et quia labor noster bono publico destinatur, atque Juridica Erotemata nostro instituto conveniunt, ideo multa, quæ rebus publicis salutaria fore visa sunt, è Jure publico inserimus.

#### S E C T I O I.

*D E*

#### Jure in genere, & de Jure Naturæ.

**Q**uia Justitia in ordine ad jus tanquam objectum suum explicari solet, utpote quæ suum cuique Jus tribuit, ideo prius de Jure, de-  
in de Justitia agemus.

A

S. L.

## §. I.

## Quid sit Jus, &amp; quotuplex?

1. Etymologia Juris. n. 1.
2. Sumitur pro Lege. n. 2.
3. Et pro justo. n. 3.
4. Et pro facultate legitima de re aliqua disponendi. n. 4, 5, 6. & 7.
5. Huic facultati si ex legitima causa contravenitur, non fit injuria. n. 8. & 9.
6. Sumitur Jus etiam pro loco, ubi judicia exercentur, & pro Juris prudentia. n. 10.

Num. I. **Q.** 1. Quæ sit etymologia Juris? **R.** Varij varias ejus Etymologias texunt, alij Derivant à *justo*. *can. 2. dist. 1.* alij à *jussu*, sive *jubendo*, quod sit velut jussum Superioris. alij disputant, an Jus à justitia secundum *L. 1. ff. de l. & l.* vel vicissim justitia à Jure, utpote suo objecto denominetur; apud Molin. *de l. & l. tr. 1. d. 2. n. 2.* nobis non libet de Natalibus vocolæ altercari, sed significatum inquirimus.

II. **Q.** 2. Quid sit Jus? **R.** *ὁμολογούμενον* est, simulque Dividendo describitur. Sumitur autem præcipue tribus modis. Primo modo sumitur pro *jussu*, seu *lege*, quæ est *regula justitæ*; cum enim leges non nisi id, quod justum est; statuunt, hinc factum, ut ipsæ leges naturales, Divinæ, & Humanæ Jura appellarentur. Huc etiam refertur *Sententia iudicis*, quæ, cum sit quasi lex privata, etiam ipsa Jus dicitur, sicque Judex dicitur *Jus dicere* *Juri dicundo præesse &c.* quamvis tunc etiam possit accipi pro justo, & æquo. Less. *L. 25 de l. & l. cap. 2. Dubitat. 1.*

III. Secundo modo sumitur Jus pro *jussu*, quod per syncopen *Jus* dictum vult Lay. *L. 3. tr. 1. c. 1. n. 1.* cum Soto. Et hoc sensu *Jus* est id, quod leges naturales, Divinæ, & Humanæ jubent. Hæc Juris acceptio est magis primitiva, à qua aliæ ejus acceptiones sunt translata; hinc enim translatum est Jus ad significandas etiam *Leges*, quibus justam continentur. Item ad significandam *Jurisprudentiam*, seu artem, ac peritiam, qua justum cognoscitur; quemadmodum nomen me-

dicinæ primò impositum fuit ad significandum medicamentum, quod ad sanandum confert; inde verò translatum est etiam ad artem, quæ illud cognoscitur, & applicatur. Molin.

IV. Tertio modo sumitur Jus pro *facultate legitima de re aliqua vel actione disponendi, & alios obligandi, ne huic sua facultati contraveniant.* Hoc sensu Jus idem est, ac potestas aliquid agendi, vel omittendi; aut alterum obligandi ad aliquid agendum vel omittendum, e. g. potestas aliquid petendi, acquirendi, aliendi, &c.

V. Debet autem esse *potestas legitima*, id est, à lege concessa; nam facultas, quæ secundum legem non competit, non est *Jus*, sed *vis*, & *injuria*; lex autem hanc potestatem concedens vel est *Divina positiva*, uti ad Sacramenta percipienda; vel *naturalis*, ut ad utrum membrorum, ad vitam per cibum, & potum sustentandam, ad matrimonium ineundum, ad vim vi propulsandam, & similia. Vel *humana*, ut ad successionem hæreditatis, ad præscribendam certo tempore rem alienam, ad acquirendum, possidendum, retinendum, alienandum per varia contrarium genera; tot enim sunt genera horum Jurium, quot sunt genera legum, quæ Jus tribuunt; quamvis hæc diversitas non faciat diversitatem in ipso habitu. cit. Less.

VI. De Jure hoc sensu accepto dicitur, quod nemo possit plus Juris in alterum transferre, quam ipse habeat. *L. 54. ff. de R. l. & quod hæres succedat in omne Jus defuncti. l. 58. ff. eodem.* Item quod qui hæret Jus agnationis, vel cognationis, ad hæreditates, & tabulas. *L. 34. ff. de Pactis*; quod Jus necessitudinis appellatur. *L. fin. ff. de v. & l. Molin. cum. 4. Lay. num. 3.*

VII. Hac Potestate suâ qui utitur, dicitur *uti jure suo*, & non facere dolum. *L. 55. ff. eodem*, neque Injuriam. *Ca. 31. de Elect. vicissim qui eam potestatem alteri lædit, dicitur lædere Jus illius*, quæ violatio injuriam constituit. *arg. cit. ca.*

VIII. Habet autem se hæc potestas vel per modum *potentia activa*, ut est Jus ad ali-

aliquid agendum, aut retinendum, vel Per modum *potentia passiva*, ut est Jus, quod habes, ut alaris, ut custodiaris, ut tibi seruiatur; vel per modum *potentia resistendi*, ut est Jus, quod habes, ne alter ædificet tali locò, ne aperiat fenestram in tuum hortum, vel aream, ne tollat altiùs murum, ne officiat tuis luminibus, &c. *Leff.*

VIII. Quòd si ex legitima causa contraveniatur facultati, seu Juri alterius, ei non fit injuria; sic qui gladium apud te deposuit, habet Jus repetendi illum; si tu repetenti in furia non reddas, adeòque contravenias facultati, quam alioquin ad gladium suum habet, ex causa periculi, ne se, vel alium occidat, vel vulneret, rixas incipiat &c. non facis illi injuriam.

IX. Sic etiam quilibet habet facultatem, ut de suo commedere possit, quæ voluerit, se & suos vestire, prout placuerit; quando autem Respublica, vel Princeps huic facultati contravenit prohibendo ob bonum publicum, ne cives utantur tali, vel tali vestium, aut ciborum genere, ne sumptus immoderati fiant, ac vitia crescant, hominesque præ deliciis mollescant, nulla talibus fit injuria, quandoquidem id ob legitimam causam per publicas potestates fiat. Et optandum sanè foret, ut fierent in rebus publicis ejusmodi moderationes in vestium luxu, & comotationibus, præsertim apud Germanos; certè non tantas justitiæ strages ederet in quibusdam locis immodicus splendor, & subinde splendida paupertas: neque compotandi excessus ad æquales haustus provocantium inepta persuasione gloriosus tot insignia subiecta rebus magnis gerendis inepta redderet, ac exhauriret loculos, quos nescio, qui per munera sæpenumero replete coguntur, si licitum finem videre, ac ad res suas perveniendi justitiam sperare velint. Si Germaniam puniat justissimus Deus in eà quispiam esse sententiã possit, id fore vel maxime ob luxum & quæ ex luxu immodicè splendido generantur, innumeras injustitias.

X. Salubres extant in variis Recessibus Imperij Constitutiones moderantes luxum vestium, & comotationes immodicas; deplorandum duntaxat, quòd in multis Imperij partibus non observentur; ut de luxu vestium in reformat. Politicæ Augustæ 1530. tit. 9. & seqq. & Francofurti 1577. tit. 9. & seqq. atque aliis. De Comotationibus in Recessu ann. 1500. Augustæ tit. 28. De reformat. polit. Augustæ 1530. tit. 8. & Colonia 1512. tit. 4. §. 6. atque aliis. Damna alia, quæ rebus publicis exinde invehuntur, ut sunt blasphemix, & sexcenta plura non enumeramus, enumerantur in *curr. Recessibus*, si modò justitia salva foret; quæ, ubi hæc prævalent, persæpè patitur, dum aut negligitur, aut diu differtur, ubi comotationibus vacatur, aut muneribus corrumpitur, ubi luxu litatur. Acriter in comotationes invehitur Befoldus *ib. pr. lit. T. n. 43. perniciosissima*, inquit, *illa hodie pro salute alicujus bibendi, ratio, vulgò das Gesundheit trinken, adeò invaluit, ut ingratus, & injurius erga alterum putetur, qui erectus, uno haustu, plerunque grande poculum pro ejus salute ebibere, & se inebriare recusat; sed audiant isti salutis potatores Ambrosium lib. de Elia & jejunio cap. 17. sic scribit: quid obestationes compotantium loquar? quid memorem Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? bibamus, inquitunt pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit reus in devotione; videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O pia devotionis obsequium! bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire judicant; sicut illi, qui calices ad sepulchra Martyrum deferunt, atque illis in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stulticiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui astimant illos ebrietate placari; qui jejunio passiones sustinere didicerunt. Ita Befoldus. Consultum sanè foret, si non tantùm memoria, sed & ratio haberetur illius Versiculi Ovveniani:*

*Non est in pota sæpè salute salus.*

Et illius, quod Sapiens monet *Ecclesiastico*

37. v. 34. *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstimens est, adjicies vitam.* haud raro ( experientiam testamur ) magnæ cladis rebus publicis illatz, Militibus, ac Ducibus inter computationes oppressis ab hoste; multas insignes victorias hostibus ebrietas peperit adversariorum.

XI. Præter dictos tres modos Jus etiam accipitur pro loco, ubi Judicium exercetur. *L. 11. ff. de l. & l.* Sic dicitur quis in *Jus vocari*: qui Judicij locus publicus esse deberet *per L. 6. C. de Sententiis, & interlocut.* ubi irrita dicitur sententia, quam Præses non publicè, sed in secreto dixit; quamvis in causis minoribus, & Summariis minor solemnitas requiratur. Item sumitur Jus etiam pro *Juris prudentia*, seu scientia cognoscendi Jura Canonum, & legum, quo sensu Ulpianus jus definit, quod sit *ars boni, & aequi. L. 1. ff. de l. & l.* quia sicut in omnibus, ita maximè in *Jure aequitas spectanda*, aliàs *summum Jus summa injuria*. Cicero *1. Offic.* Gotthofredus *in Not. ad cit. L.* Sed hæc duæ Juris acceptiones ad nostrum intentum non faciunt.

## §. II.

### Quid sit Jus Naturæ ?

1. *Jus acceptum pro Lege triplex naturale, gentium, & positivum. n. 1.*
2. *Homo tripliciter considerari potest, scilicet quatenus rationalis est; quatenus pars totius humani generis est; & quatenus pars rei publicæ particularis est. n. 2. & 3.*
3. *Descriptio Juris Naturæ. n. 4.*
4. *In quo differat à Conscientia. n. 5. 6. 7.*

I. Jus pro lege acceptum dividitur in Jus naturæ, Jus gentium, & Jus positivum, de quibus singillatim agendum, & hac quidem sectione de Jure naturæ.

II. Ut autem, quæ dicturi sumus, facilius intelligantur, prænotamus, homines tripliciter considerari. 1. quatenus sunt *creatura usu rationis prædita*, & sic considerati reguntur *Jure naturali*. 2. *quatenus sunt membra, & quasi cives totius ge-*

*neris humani.* quasi cujusdam communis Reipublicæ, quæ constituitur ex omnibus gentibus, ac Populis, qui globum terraqueum totius terrarum Orbis cum animalibus, tanquam sedem ipsis à DEO Conditore assignatam, per circuitum incolunt; & sic considerati reguntur *Jure gentium*. 3. *Quatenus sunt cives, seu membra alicujus Imperij, Regni, Principatus, vel Reipublicæ in particulari,* & sic reguntur *Jure positivo*, quoad ea, quæ pertinent ad commune bonum conservandum talis Regni, vel Reipublicæ particularis.

III. Non contendimus hic circa dialectices regulas divisionis allatz: cui aliter partiri visum fuerit, aliter partiatur nostrâ pace, nobis, quia clara est, & ad rem bene explicandam accommodata, placuit; non enim nostri propositi est disputare, ut disputemus, & singulas descriptionum, & partitionum particellas speculatione rimari, quæ intento nostro nihil officiant. Sunt qui Jus gentium cum naturali confundunt, alij cum Jure positivo, prout etiam revera positivum, & humanum est, ut ex dicendis patebit.

IV. Quid sit Jus Naturæ? *Res. Est lumen illud, seu dictamen rationis, ab auctore natura inditum creatura rationali, per quod, secluso omni alio præcepto positivo, discernit quadam esse agenda & quadam omittenda De quo naturali Legis lumine est illud Psal. 4. multi dicunt: quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui domine.* Desumitur item ex S. Paulo *Rom. 2. v. 14.* ubi dicit: *Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex; & mox declarans, quomodo sibi sunt lex, & quæ illa sit lex, subjungit: ostendunt opus legis scriptum in Cordibus suis, testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum* S. Tho. *1. 2. q. 90. & seqq.* Suarez. *de legib. lib. 2. cap. 5. n. 9.* ubi plures refert auctores, probatque ex SS. PP.

V. Q. 2. An igitur jus naturæ non distinguatur à conscientiz regulâ? *Res. 1.* Sumi potest omnino Jus naturale pro ipsa

ipsa conscientia hominis, quæ recta præcipit, & prava prohibet, uti Damascenus & Basilii sumunt, teste Suar. n. 15. Pirhing præm. n. 9.

VI. R. 2. Si tamen pressius loqui velimus, differunt, ut habet cit. Suar. n. 15. quia *Lex* dicit *regulam generaliter constitutam* circa agenda; *conscientia* verò dicit *dielamen practicum in particulari*, quid hîc & nunc in hisce circumstantiis agendum sit, vel non agendum; unde potius est velut applicatio legis ad particulare opus, ex quo fit, ut *conscientia* latius pateat, quàm *Ius naturale*; quia non applicat tantum legem naturalem, sed etiã quamcunque aliam sive Divinam, sive humanam; imò conscientia non tantum applicare solet *legem veram*, sed etiam *existimatam*, qua ratione datur etiam conscientia *erronea*; lex autem *erronea* dari non potest, aliàs non esset lex, quod maxime verum est in lege naturali, quæ Deum habet Auctorem. Item lex versatur circa *agenda*; *conscientia* verò etiam circa ea, *quæ acta* jam sunt, & ideo illi tribuitur non tantum *ligare*, sed etiam *accusare, testificari, & defendere*. Ut videre licet in D. Tho. 1. parte. q. 79. & 1. 2. q. 19. a. 16. hæc Suarez.

VII. Utrum verò lex hæc naturalis consistat in actu, seu ipso naturali lumine actuali, an verò in habitu, disputent Theologi; non enim ingredimur hanc quæstionem, quæ aliam longam Disputationem Philosophicam secum trahit, quâ discutitur, in quo consistent habitus. Suarezio videtur quæstio de modo loquendi, censetque, & *actuale mentis iudicium* propriè esse legem naturalem, & etiam *lumen ipsum*, quod velut permanenter continet legem illam scriptam in Corde, & semper potest illam repræsentare.

### S. III.

Jus Naturale convenit omnibus hominibus; & an per Legem Naturæ pateat via ad salutem?

1. *Lumen rationis omnibus lucet, n. 1. & 2.*

2. *Tribunal suum in Corde hominis Deus constituit. n. 3.*
3. *Ad hoc Deus ipse subinde causas judicandas retulit. n. 4. 5.*
4. *Larvas Conscientiæ à sceleratis obductas detrahet extremi Judicij dies. n. 6.*
5. *Lumen rationis ostendit, dari Deum. n. 7.*
6. *Non potest voluptatibus obrui, ut non remurmuret, Conscientia. n. 8.*
7. *Gentiles omnes possunt salvari, si legem naturæ observent. n. 9.*
8. *Exempla. n. 10. 11. 12. 13. 14.*
9. *Gentiles Philosophi, & alij, qui salutem consecuti non sunt, inexcusabiles sunt. n. 15.*
10. *Philosophorum antiquorum scelera contra legem naturæ. n. 16.*
11. *In eorum libris non est integra, & solida doctrina honestatis. n. 17.*
12. *An lex naturæ sine gratia servari possit, indicatur. n. 18.*
13. *Manichei asserant in homine duas animas inter se belligerantes. n. 19.*
14. *Quomodo intelligendum illud Apostoli Rom. 7. video aliam legem in membris meis, &c. 20.*
15. *Pacienti, quod est in se Deus non denegat gratiam. n. 21.*

I. Q. 1. An lumen illud legis Naturalis luceat in corde omnium hominum? R. Ita est, omnium hominum ratione utentium Christianorum, Judæorum, Ethnicorum, & Atheorum Cordibus accensa est hæc lux, & inscripta hæc naturalis Lex recta præcipiens, & prava prohibens; quam qui transgreditur, peccat, de quo peccato judicabitur extremo illo Judicij die in valle Josaphati coram omnibus totius universi creaturis, angelis, & hominibus; ubi reddetur *unicuique secundum opera ejus. Matth. 16. 27.*

II. Ostendit hoc cit. Apostolus ad Rom. 2. cum enim dixisset: *qui ostendunt opus legis scriptum in Cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, addit: *& inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum per Iesum Christum*, id est, secundum quod de die Judicij, eiusque pœnis, & præmiis Evangelizare, & docere soleo edoctus à Christo.

III. Constituit itaque Deus in Basilica cordis

B

cordis humani tribunal suum legesque in ejus tabulis digitò incidit suò; rationem creavit *Judicem*, conscientiam *actorem*, cogitationes *testes*, quibus conscientia utitur, ut hominem bene, vel malè egisse convincat: testes omni exceptione majores, qui maximè apparebunt in *die Judicij*, ubi propria conscientia accusabit quemque apud Deum; hoc enim verbis hisce clarè significat Paulus, in græco, pro *cogitationibus* est λογισμῶν, id est, *ratiocinationibus accusantibus*, hominem scilicet etiam gentem, cum malè agit; & *defendentibus eum*, si bene agit. Sic e. g. quòd pollutio sit peccatum, dicitur homini naturaliter conscientia; quia de ea juvenes erubescunt, anguntur, & judicant eam in aliis esse rem a ratione, & naturali honestate abhorrentem, foedam, & turpem. Cornel. à Lapide in cit. locum S. Pauli cum Theophylacto, & hoc voluit Menander cum dixit: βροτῆς ἀπανσι συνέδριος θεός, id est, *mortalibus cunctis conscientia est Deus*, id est instar, & vice Dei: cit. auct.

IV. Ad hoc humani Cordis Judicium legimus, & Deum ipsum aliquando causas dijudicandas retulisse. Lapsus fuerat Rex David in gravia duo scelera, in adulterium cum Bethsabea uxore Uriæ, & homicidium, è medio tollendò ipsum Uriam, cujus Uxorem sibi usurpaverat. Adest Nathan Prophetes à Deo missus, exponit Regi suummet facinus sub alieno schemate; duos esse in ejus ditione cives, *divitem unum*, & magnarum opum, qui oves, & boves numeret plurimos; *Pauperem alterum*, & tenuis fortunæ, cui unica erat ovicula, quam nutrierat sibi Charissimam: cumque hospes non nemo venisset ad *divitem* illum, magnæque substantiæ Dominum, eum, ut fuisset ovibus, & bobus parceret, unicam hanc oviculam pauperi abegisse, jugulasse, atque hospitio suo ex ea cœnam instruxisse; Regem jam appellari, Judicium ferat. Auditò hóc facinore iratus David indignatione adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: *Provis Dominus, quoniam filius*

*mortis est vir, qui fecit hoc 2. Reg. 12.* Auditâ hâc sententiâ (quam infcius contra semet tulerat Rex) protinus Nathan: *tu*, inquit, *es ille vir, tu eris ille opulentus, sine enigmate jam loquor, qui Uria Hethæo oviculam unicam Bethsabeam conjugem abripuisti, eumque innocentem, nihilque sinistri meritum occidisti, tuopte judicò te condemnasti.*

V. Et quorsum isthæc ænigmata? Respondet cit. Cornelius, ne humani Cordis vafrities delictum suum elevarer, & DEI Justitiam criminaretur, data est opera, ut ipse reus peccati gravitatem liber ab affectu examinans contra seipsum pro meritis decerneret supplicium; atque hoc voluit David, cum postmodum protestatus est: *Tibi sola peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum Judicaris*, id est, ego me fateor graviter deliquisse, ut hac Confessione resplendeat justitia tua, & obrectatorum ora claudantur.

VI. Larvas verò omnes detrahet, & mendaces conscientiæ excusationes dispellet Deus, cum conscientiam sibi ob oculos ponet, ut ipsa se accuset, & condemnet in decretorio supremi Judicij die: ubi removebuntur omnia sparia passionum, & sinistrarum persuasionum, quibus quidam modò conscientiam latrantem contra scelera involvunt; & variis sinistris dictaminibus implent: *Deum infinitè bonum turpisudines & scelera non ita prohibuisse graviter; quemlibet sua in fide salvandum fore; quin omnino dicit insipiens in Corde suo, non est Deus, Psal. 13. v. 1.*

VII. Hunc crassum errorem ut ut conscientiæ suæ obtrudere contentur voluptatum mancipia, ac velut nebulam effundere lumini illi rationis, quod Deum, & invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt, intelligenda ipsis proponit *Rom. 1. 28.* non tamen possunt lumen illud ita opprimere, quin identidem interluceat, & redarguat cæcutire volentes; quòd maximè in repentinis periculis apparet; omnes enim gentes, ac nationes in repentinis periculis naturæ, ut in naufragiis, ingruentibus

tibus subito gravibus morbis, aut alio periculo presentis mortis, naturali instinctu absque ulla deliberatione ad Deum recurrunt, supplices ad cœlum palmas tendunt, Dei opem implorant in clamando; *Deus salva nos, perimus.*

VIII. Neque voluptatibus ita obrui potest hæc mentis vox, quin identidem murmuret, quando male agitur. Transacta est dies inter voluptates, delicias, gaudia, comotationes, crapulas, saltationes. Transferunt voluptates, finita sunt symposia, exhalata est crapula: relinquitur conscientia sibi; rodit, exprobrat, gravat, anxium reddit, clamat: *quid fecisti?* gravitatem hanc ut evitent, vocem hanc ne audiant, morsus hos ne ita sentiant, melancholiam, quam ex malefactis conscientia ingerit, ut disturbent, lumen illud, quod turpitudines ostendit, ne videant, quid sit? Resumuntur pocula, reditur ad choreas, repetuntur voluptates, conquiruntur diversiones; ut in tumultu molesta sua monitione non percipiatur conscientia, suam obtrudens legem, ut ejus lumen passionum, & voluptatum nebulis obfuscetur. *Ipsi fuerunt rebelles luminis.* Job. 24. 13. omnia hæc rationem quidem premere, opprimere non valent, quin mente sibi è tumultu restituta, rursus in ea suas monitiones adhibeat; suam legem renovet. &c. cum autem ad mortem, & Judicium ventum fuerit; tunc enim verò velut speculum pulvere deterfo ostendet; quam salubria fuerint sua monita, quantâ jacturâ æternæ salutis contempta hæc lex.

IX. Q. 2. An Gentiles, quibus & Religio vera, & aliæ leges Dei ignotæ sunt, possint salvari, si legem naturæ observent. R. Possunt; si enim hanc naturæ legem, quam hominum omnium mentibus auctor naturæ impressit, ritè gentilis quispiam secutus fuerit, & fecerit quantum in se est standò hisce præceptis naturalibus, Deus subministrabit alia media, quibus ad salutem perveniat, submittet aut prædicatorem, aut instructorem quempiam, qui instruat, & ad verum Dei cultum

perducatur, aut angelum, qui viam veritatis doceat, aut illustrationibus internis eum ipse ita docebit, itaque intellectum illuminabit, ut verum Deum, & modum ritè eum colendi agnoscat; & voluntatem inflammabit, ut Deum conditorem suum amet, eumque debitò modo colat, & sic salutem consequatur.

X. Sic S. Ignatius Lojola in sua Solitudine Manrelana à Deo instructus erat, ut dicere solitus sit, se, si nullæ Sacræ literæ extarent, tamen pro Deo, & fide mori paratum ex iis solis, quæ Manrelæ sibi patefecerat Deus. *Breviar. Rom. die 31. Julij.*

XI. Novit Optimè DEUS, quomodo bestię, quomodo homines instruendi sint. *Docet nos super jumenta terra.* Job. 35. 11. ac proinde si non deest illi ratio efficiendi, ut bestię cognoscant, quæ tuendis ipsis serviant; quomodo non paratâ etiam, promptamque habeat rationem, modumque, quo ipsum nôrint homines tam ut auctorem totius ordinis naturalis, quam ut auctorem ordinis supra naturam, ad quem eos evexit: salva sunt omnia, si per ipsosmet non steterit. *Segneri in incredulo non excusabili part. 1. cap. ult. num. 16.*

XII. Objectionem hanc Indiarum Apostolo S. Franc Xaverio proposuerant Japones; demonstraverat ipsis Xaverius Deum, exposuerat cœli gaudia, inferni supplicia, extulerat Dei misericordiam, infinitamque bonitatem &c. quæ & alia ingenti assensu excepere Japones, cunctique facile acquievère. Cæterum illa cura eorum animos sollicitabat maximè, quòd nec benignus, nec æquus Deus videretur, qui omnium Regionum, præterquam Japoniæ, memor, Japonibus ante Francisci adventum nunquam indicasset se se: utique si, quot quot ignotum non coluissent Deum, ad inferorum damnasset supplicia, eodemque sivisset eorum majores, cœlesti luce privatos ferri, atque salute animæ à Deo esse privatos causâ haud sufficiente. Reposuit Xaverius, atque demonstravit, legem divinam omnium mor-



mortalium animis insitam legum omniū esse antiquissimam : quippe Japones etiam ante leges à Sinis petitas rationis admonitu non ignorasse, nefas esse *hominem occidere, furari, peierare, & cætera*, quæ divina lex prohiberet : Itaque Si quis tale quidpiã admisisset, eum conscientia, quasi sceleris vindice stimulantē cruciari ; id ad eò in homine solitario explorari licere, qui in desertis sylvis sine ulla literarum, legumve humanarum cognitione educatus, tamen divinarum legum, de homicidio, de furto, de perjurio, rebúsque cæteris haud quaquam foret ignarus : Quod si in barbaris quoque nationibus cerneretur, quid tandem in humanis, ac politicis futurum ? an non igitur Jure multari contingat suppliciis, qui divinam legem naturæ insitam violarint ? quàm si observassent, utique eis coelestis fuerit aboritura lux ? hoc responso cùm silentium esset impositum, paulatim salubre Christi jugum accipere cœperunt, & duorum mensium spatio civium capita baptizata facile quingenta. Horatius Turfelinus *in vita S. Franc. Xaverij lib. 4. cap. 8.*

XIII. De Josepho Anchieta nostro perhibet ejus vita, & Josephus Juvencius *Histor. Societ. Jesu lib. 23. part. 5. §. 17.* : Cùm aliquando Brasilos per ingentem sylvam temerè sparsos lustraret, incidit in senem humi abjectum, & animam agentem: qui ad ejus aspectum oculos, manusque erigens : *adesdum, inquit, mi Pater jam dudum te opperior, nec moriar prius, quàm docueris me viam, quã itur in caelum.* Cognovit Anchieta, illum è remotissima regione deportatum, quo duce, quã viã ne ipse quidem senex satis exploratum habebat : multa de illo exquirat, & vitæ seriem per omes ætatis gradus accuratè perscrutans, intelligit hominem conatus omnes adhibuisse ad naturæ legem, quantum humana fert imbecillitas, observandam. Hic verò divinæ providentiæ vim perspicuens, suavissimè illum complectitur, erudit, & pectori benè preparato salutis verbum inserit. Aqua deerat ad Baptismū necessariā; ubique sicca solitudo: circum-

spicienti offert se Carduus Sylvestris, cuius folia delapsum recens imbrem collegerant ; sumit, baptizat senem, iterumque complectens extremum spiritum excipit, effusaque humo exanimem piè tumulat.

XIV. Extant & alia ejusmodi exempla ex fide dignis historiographis; ex quibus constat, quòd Deus nonnullis gentilibus, qui juxta legem naturæ, & dictamen rationis diu vixerant honestè, vitam propè miraculosè tam diu protraxerit, donec mirabilibus tandem viis, ac modis ulteriorem instructionem assecuti ad fidē convertererentur; quibus exemplis Deus demonstrare voluit, se ita procedere cum hominibus, ut eos, qui faciunt, quantum per vires naturæ possunt, doceat iter perveniendi ad æternam beatitudinem, ad quam sunt creati; sicque omnibus pate-re viam ad salutem, qui non ipsi per scelera contra legem naturæ commissa obstaculum ponunt.

XV. Atque hinc, teste Apostolo, gentiles Philosophi (& omnes quot quot salutem non consecuti sunt) inexcusabiles fuere; quia *cùm cognovissent Deum* (lumine legis naturæ, & ex rerum naturalium notitiã) *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Rom. 1. 21.* Ubi Apostolus supponit, quòd, si illã naturali suã scientiã usi fuissent ad Deum pro viribus colendum, Deus ipsis dedisset gratiam ad salutem necessariam, & sufficientem, aut viam ad hanc gratiam, & salutem perveniendi monstrasset; quòd cùm neglexissent, *propterea tradidit illos Deus in passionem ignominie v. 26.* græcè, *eis παῖδες*, id est in libidines pathicas, & pudendas. Dicitur enim hæc libido *παῖδες*, quia ita vehementis est, ut homo illi immerfus ad eò ab ea absorbeatur, ut potius pati, quàm agere videatur, sitque instar equi, & equæ hinnientis, & ad eam furentis.

XVI. Verissimam hanc Pauli esse sententiam, atque Philosophos illos fuisse impurissimos, & spurcissimos refert ex Diogene Lærtio singillatim Cornelius à Lap. *in cit. cap. 1. Rom. v. 26.* hisce verbis,

1. Periander Crateâ propria matre sua abusus est. 2. Socrates Alcibiadis in delicijs fuit. 3. Theodorus ait, sapientem publicè absque pudore scortis congressurum. 4. Phædon captus ab hostibus infamisse quæstui addixit. 5. Stilpo præter uxorem micarete pellice utebatur. 6. Menedemus notatur nimium familiaris fuisse amasio Asclepiadis. 7. Aristippus lib. 4. de antiquis delicijs ait, Platonem captum fuisse amore Stella Astrologi, & Dionis: atq; Phædrum addunt; alij etiam Alexim. piura de eo habet Laërtius. 8. Dion Dorystenites Theodota, & Phileta Scortis palam congregiebatur: Item duos adolescentes, Demetrium, & Myrleanum Leocharem turpiter amavit: Unde & ab Aristone Chio corruptor juvenum dictus est. Idem adoptabat juvenes, ut eis abuteretur. 9. Aristoteles Hermia Concubinam amavit, eique sacrificavit. 10. Demetrius Phalereus, qui 360. statuis Aeneis honoratus est, à Cleone turpia est perpeffus. 11. Aristenes dicebat, sapientem formosissimis quibusque mulieribus congressurum. 12. Diogenes dicebat, debere esse communes mulieres, & filios. 13. Zenoxores communes in republica statuebat. 14. Chrysippus in lib. de republ. congregi jubet matribus, filiabus, & filijs. 15. Eudoxus fuit in delicijs Themœdanti medico. 16. Epicurus Leontiam, & Themistiam meretrices, & Pythoclem formosum adolescentem in delicijs habebant. Eant nunc Politici, & naturalistæ nostri, philosophos hosce ut viros probos prædicent, eosdemque ut Sanctos, & beatos canonizent, quos infanda veneris mancipia Asmodeus auctoravit, arcòque addixit. Praclarè S. Bernardus contra Petrum Abailardum Platonizantem: ubi, inquit, dum multum ludat, quomodo Platonem (Abailardus) faciat Christianum, se probat ethnicum. hæc Cornelius ex Diogene Laërtio, quamquam de uno & altero aliter nonnulli sentiant, ut de Socrate; de quo Brietius in annalibus ad annum mundi 3654: si vera sunt, inquit, qua de Deo moriens dixit, de ejus salute cum aliquot eruditissimis dubitare licet; eundem *παρασεσείας* injustè accusatum, damnatum à populo fortiter cicutam bibisse scribit. Nimia est Erasmi pie-

tas, qui: *vix me contineo*, inquit, *quin dicam: Sancte Socrates, ora pro nobis.* Theophylus Raynaudus Theolog. Natural. dist. 5. q. 1. art. 8.

XVII. Quæ maximè quadrant in eos nostri temporis sectarios, qui magis horum Ethnicorum apothegmatis delectantur, quàm solidis veræ Ecclesiæ dogmatis; licet enim multa naturali lumine de virtutibus crepent, larvas tamen duntaxat virtutum, non virtutes habuerunt, & de iis quædam quidem bene, sed non nisi corruptè scripserunt; hinc est, quòd iis in libris, qui horumce duntaxat adagijs luxuriant, quorum farragines nundinas librarías apud A catholicos occupant, non ea morum, ac honestatis doctrina eluceat, quæ in iis libris triumphat, qui è gremio Ecclesiæ Catholicæ omnis honestatis magistræ prodeunt.

XVIII. Nova hîc & difficilis quæstio exoritur, an homo sine gratia possit servare totam legem naturæ? graves contra eam tentationes vincere? & diu sine peccato mortali vivere? sed hanc quæstionem Theologis excutiendam relinquimus; è quibus potiores sentiunt, in statu puræ, & innocentis naturæ, ubi tentationes non erant tantæ, potuisse fieri; in statu verò naturæ lapsæ, & per peccatum originale corruptæ physicè quidem id fieri posse, non verò moraliter ob nimiam tentationum vim, & vehementiam, sub quarum pondere, & lucta ingemiscens Apostolus Rom. 7. v. 23. exclamat: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, & v. 24. *infelix ego, quis me liberabit de Corpore mortis hujus?*

XIX. Ex hoc textu Manichæi hæretici inferebant, dari in homine duas animas inter se belligerantes, nempe animam *concupiscibilem*, quæ dicitur *pars inferior*, seu caro, pugnantem cum *anima rationali* quæ dicitur *pars superior*, seu *spiritus*. Sed hæc est hallucinatio hæretica: nam hæc pugna non est inter plures animas, sed inter inclinationes contrarias ejusdem animæ. Lex membrorum, de qua S. Paulus, aliud non est, quàm dictamina electionis

C

bono.

*honorum inferiorum* divitiarum, honorum, voluptatum proponentia, ad eamque inclinancia contra præscriptum rationis. *Lex verò mentis*, ac spiritus sunt dictamina electionem *bani honesti*, ac *supremi* proponentia, ad eamque inclinancia: sicut igitur, qui à duobus in partes oppositas trahitur, in suo corpore experitur pugnam contrariarum tractionum: sic dum animus à bonis propositis trahitur ad contrarias inclinationes, à *bono vero*, & *honesto* ad electionem *honesti*, à *bono apparente* autem, & *delectabili* ad electionem *invidiosum*, & *delectabilis*; experitur in se pugnam contrariarum inclinationum, & objectorum, atque hoc modo intelligenda est divisio ascetica hominis in *inferiorem*, & *superiorem*: in *carnem*, & *spiritum*. P. Maurus in *Animaistica*, quo teste pugnahæc partis inferioris cum superiore etiam data fuit in angelis, quamdiu fuerunt Viatores, & peccare potuerunt; quia etiam habuerunt inclinationes contrarias ortas ex dictaminibus proponentibus bona inferiora, & superiora; in hominibus tamen hæc pugna major est; quia datur inclinatio vehementissima ad voluptates sensibiles & carnales, quæ in angelis non datur: hic appetitus sensitivus in statu innocentie ante peccatum originale erat subditus rationi, sicut ratio erat obediens Deo; quia poterat ratio pro libitu impedire motus appetitus sensitivi; at postquam per peccatum Adæ ratio facta est rebellis Deo, etiam appetitus sensitivus factus est rebellis rationi; quia jam non est in potestate rationis impedire motus appetitus huius sensitivi, sed solum est in potestate rationis *non consentire* talibus motibus. Quibus si contra præcepta Dei consentiat, ut extra honestum matrimonium in personis solutis, peccatum est; & hoc sensu cogitationes peccata fieri possunt; in remedium verò concupiscentie, & ejusmodi appetitus Institutum est matrimonium.

XX. Cæterum hanc nostram doctrinam nolumus implicare Doctrinæ de gratia; quæ inter difficillimas doctrinas

Theologiæ est, de qua disputare cupientem ad Theologos remittimus, Jus naturæ exponimus, quod si quis ritè observaverit, cum à Deo non relinquendum in tenebris, asserimus, sed viam salutis edocendum, sive per submissum hominem instructorem, sive per angelum, sive per instructionem internam ipsiusmet DEI: quò verò modò, quòve ordine gratiæ justificatio fiat; altioris indaginis res est, nec nostri fori ingredi adyta gratiæ.

XXI. Illud probè notandum, quòd homo initium suæ Justificationis non habeat per puras vires naturæ, seu per opus aliquod dependenter à Solis naturæ viribus elicitedum tanquam *per meritum de condigno*, vel *de congruo prima gratia supernaturalis*, & consequentis ad illam justificationis; hoc enim continet errorem Marsiliensium teste Georgio de Rhodis *disp. 2. de Gratia. q. 1. sect. 2. §. 4.*; sed tantum, quòd homo talis si vivit secundum legem naturæ, ponat conditionem aliquam, quâ posita Deus ex *merè gratuita misericordia*, ac *liberalitate sua homini conferat primam gratiam*, & non intuitu alicujus meriti tenentis se ex parte hominis vel naturalis alicujus connexionis ejusmodi operis per vires naturæ eliciti cum prima gratia supernaturali; Et hoc sensu intelligitur axioma Theologicum: *facienti quod est in se Deus non denegat gratiam*: cujus axiomatis ut habet cit. de Rhodis, triplex potest esse sensus. 1. Hæreticus, quod facienti bona opera per vires naturæ Deus propter illa tanquam per *veras dispositiones*, & *meritum congruum* non denegat primam gratiam ad fidem, & conversionem. 2. Catholicus S. Thomæ, Vasq. Bellarmin. &c. facienti *per vires gratiæ* id, quod potest, Deus ultiores gratias non denegat. 3. Molinæ. Less. Suar. &c. Deus facienti ea bona opera, quæ per vires naturæ potest, infallibiliter quidem, sed ex sola tamen liberalitate, non autem ex ullo merito, aut dispositione gratiam non negat ad fidem, & conversionem; Igitur Deus omnibus hominibus dat talia auxilia Naturalia, quibus si bene

si bene uterentur, certissimo ex liberalitate sua superadderet gratiam etiam intrinsecè supernaturalem ad actus salutes, ipsamque salutem consequendam necessariam. Ulteriora disputent Theologi. Exactè rem hanc disputat, & nervosè Franciscus Bonal in *Christiano hujus temporis parte secunda per totum; & maxime cap. 25. & 26.* ubi n. 74. asserit, non esse dubium, quin ex omni Climate aliquis gentilium numerus, etiam ante adventum Verbi Incarnati in mundum, sit inter salvatos; qui interna ope Dei ob observatum Jus naturæ salutem sunt consecuti, aut postquam legem naturæ violârunt, gratiam conversionis receperunt, & per illam veniam errorum, ac vitiorum suorum per virtutem meritorum Salvatoris ipsis adhuc incogniti; quia, inquit, etiam inter maximè detestabiles personas omnium sæculorum plurimi fuerunt, quibus flagellum iræ Divinæ occasio fuit ad veram poenitentiam; quia tandem etiam inter Gigantes, inter Sodomitas, & Gomorrhæos, & inter Egyptios quidam fuerunt, qui per operationem Spiritus S. ex castigatione temporali profecerunt, & per mortem Corporis patienter acceptatam meruerunt vitam æternam æquè, ac Israëlitz; ut adeo sicut & coelum habet stellas quasdam obscuras, quæ nomine carent, quasque nondum detexerunt Astrologi, ita pariter certum est, inventuros nos esse in æternitate Paradisi magnum numerum vultuum incognitorum ex omnibus mundi partibus, qui merita redemptoris participârunt, & Victorias Salvatoris mundi, & gratiâ generali salvati sunt, & per fidem obscuram & tacitam Redemptoris involutam in fide universali solius unius Dei: fides enim expressa in Jesum Christum non erat necessaria toti mundo, & omni tempore.

S. IV.

An Jus Naturæ conveniat brutis: ubi &, an fornicationes sint contra Jus Naturæ?

1. Jus Naturæ in animalia non cadit. n. 1. 2. 3. 4.
2. Comestio, prolis generatio, educatio &c. apud homines non sunt ex Jure naturæ, si ex merâ voluptate, aut inclinatione sensuali sunt. n. 5.
3. Homo medius inter Angelos, & bestias. n. 6.
4. Ut animal duplicem habet appetitum naturalem n. 7.
5. Debet vivere secundum rationem, non secundum inclinationes animales. n. 8. & 9.
6. Fornicationes sunt contra Jus naturæ. n. 10. & 11.
7. Propositio damnata. n. 12.
8. Responsio ad argumenta in contrarium. n. 13. 14. 15.
9. Frustra Caramuel distinguit inter malitiam Theologicam, & Philosophicam. n. 16.

I. Q. 1. an Jus naturæ etiam in animalia cadat? R. Negative, sed quando quidam Jus naturæ tribuunt etiam brutis animantibus improprie sumunt pro instinctu illo (seu propensione) naturæ sensitivæ, qui animalia inclinât ad vitæ conservationem ad speciei propagationem, & media ad tales fines necessaria, quem instinctum etiam Ulpianus Jus naturale vocat L. 1. § 3. ff. de l. & l. dum ait, *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit.*

II. Sed hæc abusiva est Juris naturalis acceptio. Nam *comestio, progressio, prolis generatio, & educatio naturaliter* quidem fiunt à brutis, sed non *ex Jure naturali.* Neque instinctus ille, prout bestias movet, *Juris* meretur nomen, cum bestia rationis, ac proin libertatis, obligationis, ac poenæ proprie dictæ sint incapaces, neque regulæ prohibentis, vel præcipientis vim cognoscant; sicut etiam in eas proprie *injuria* non cadit; ideoque damnum à bruto datum *pauperiem*, & actum, quo damnum illatum est, non injuriam, sed *noxiam* vocat Jctus. L. 1. ff. si quadrupes, pauperiem fecisse dicatur.

III. Quod si verò legantur aliquando poenæ in bestias constitutæ, sicut *Exodi 21. v. 28.* ut bos cornu percutiens, & occidens hominem lapidibus obruatur, & non comedantur carnes ejus. *Levit. 20. v. 15.* ut, si quis cum jumento, aut peco-

re coërit, & is, & pecus occidantur &c. R. talem poenam in bestias constitutam, & exercitam esse non ad puniendum delictum bestie, sed ad deterrendos homines, utque ejusmodi bestie hominum conspectui subducerentur, ne foedissimi flagitij memoriam occurfu suo refricarent.

IV. Quare umbram Juris naturalis, non Jus naturale in se circumferunt bestie, sicut justitiam, prudentiam, fortitudinem, & virtutes alias, unde laudantur, præferre videntur, cum tamen similitudinem tantum, & simulacra earum referant.

V. Ex quibus consequens est etiam comestionem, proles generationem, ejus educationem, &c. quæ fiunt ab homine, non fieri ex lure natura, sed merè naturaliter, sicut fiunt à brutis, si ex voluptate & mera inclinatione natura sensitiva sine prævia rationis advertentia, & electione ad finem honestum exercentur; si verò ista ab homine fiunt ex prævia rationis deliberatione cum debito fine; comestio ad reparationem, & conservationem virium, progressio ad gerenda negotia, ad relaxationem animi, & corporis, generatio, & educatio proles in honesto matrimonio ad bonum proles, ad propagandam, & conservandam speciem humanam, & glorificandum Deum per prolem susceptam, & rectè educatam, ex lure naturali fiunt.

VI. Cum enim homo, & animal sit, & rationalis sit, constans spiritu, & corpore arcta inter se unione conjunctis, medius est inter angelos, & bestias, & cum utrisque quid commune habet; cum angelis mentem rationalem, cum bestiis corpus, ejusque inclinationes brutales.

VII. Quatenus animal est homo, corruptibilis est; natura autem intendit conservare seipsam, quantum potest; & quia conservatio hæc fieri perpetuò non potest in uno individuo (omnia enim corruptioni obnoxia sunt) ideo intendit se saltem conservare per multiplicationem individuorum, & suæ speciei propagationem; unde duplicem habet appetitum naturalem; unus est ad cibum, quæ vita proprii indi-

vidui conservatur, alter est ad generationem, per quam species propagatur: quæ propagatio vitæ, & propagatio speciei ut facilius fierent, addidit natura cibis, & generationi delectationem. Th. Sanch. de matrim. L. 2. disp. 2.

VIII. Quatenus verò rationalis est homo, Jus naturale exigit, ut vivat secundum rationem, ut sensus, & caro subsint animæ, tanquam nobiliori hominis parti, & ejus formæ, cum quodvis ens naturaliter inclinatur ad operationem convenientem suæ formæ, ut ignis ad calorem &c. ut autem homo vivat secundum rationem, debet dominium in suas actiones dare rationi, ut nobilior, & melior pars hominis dominetur, non serviat, ideoque debet anima ejusmodi inclinationes animales sibi habere subjectas, eas secundum rationem ad debitos fines dirigere juxta illud: *Sub te erit appetitus, & tu dominaberis illius Gen. 4. v. 7.*

IX. Non verò debet anima hisce brutilibus inclinationibus ipsa fervire, & tanquam serva esse subjecta; alias homo non vivit sicut homo, sed sicut bruta vivunt. Unde S. Scriptura eos homines, qui neglecto rationis lumine feruntur, quocumque eos voluptas, & animales inclinationes rapiunt, comparat jumentis insipientibus equis, & mulis, quibus non est intellectus. Ex his quæstio exurgit inter sarcophilos, quæ.

X. Q. 2. an fornicatio sit contra Jus naturæ? R. Est contra Jus naturæ. Ratio est: quia obstat rectæ, & à natura præscriptæ proles generationi, nativitati, & educationi. Etenim auctor naturæ, ut rectius proles educarentur, conjugii vinculum instituit; quò parentes mutuò, & inseparabiliter colligati prolium educationi, & institutioni aptius intenderent; qui igitur prætermisso hoc vinculo modum ab auctore naturæ præscriptum pro humani generis propagatione contemnunt, comittunt gravem deordinationem, & peccatum contra legem naturæ; in hoc enim consistit peccatum luxuriæ, quòd aliquis non secundum rationem, & præscrip-

scriptum auctoris naturæ delectatione venereâ utatur. S. Th. 2. 2. q. 154. art. 1.

XI. Nam cum natura perfecta sit à conditore suo creata, ea non intendit generationem proles quomodocunque, sed etiam, ut proles ad perfectionem deducatur, & perfectum statum hominis, ut à parentibus ad id accipiat nutrimentum, educationem, instructionem &c.; quæ cum parentes libris, quos sciunt esse suos, ex naturali inclinatione præsent, ideo hunc in finem auctor naturæ ordinavit certum modum per matrimonij vinculum; dissonatque rationi quicumque alius modus à supremo naturæ Domino non designatus. Atque ita omnes ferè sentiunt Doctores contra durandum *in 4. disp. 33. q. 2 n. 10.* apud Illung *tr. 4. disp. 1. n. 63.* ac fusè demonstrat Cardenas ad propositionem 48. ab Innoc. XI. damnatam ex S. Paulo *1. Corinth. 6. & 1. Cor. 5. & Rom. 1.*

XII. Et meritò ab Innoc. XI. damnatum contrarium per hanc propositionem (quæ est Caramuelis) *tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta est, ut contrarium omnino dissonum rationi videatur.* Verùm potius turpissima ista Caramuelis assertio dissona rationi est; qualis enim, quæso te, abusus corporum sequeretur, si libera esset conjunctio, & quilibet cum qualibet committeretur; omnia complerentur libidinibus; cumque passio hæc vehementissima sit enormiter excæcans ac obruens rationem, nihil ex rationis præscripto ageretur, proles essent incertæ, & passim neglectæ; ex incertitudine enim tepesceret amor erga prolem, educationis cura jaceret, perturbata, & incerta esset successio in bonis paternis: quæ, aliæque gravissima mala aliter impediri satis non possent, nisi auctor naturæ certum generationis humanæ modum præscripsisset intra limites honesti matrimonij, *ut sint duo in carne una gen. 2.*

XIII. Neque ab hac naturali turpitudine excusat, scire, prolem non esse concipiendam ob sterilitatem; vel casu, quo concipiatur, pacisci de rectâ illius institu-

tionem; quia hæc, utpote *per accidens*, & ab extrinseco advenientia, non impedire possunt, quin in genere humano concubitus extra matrimonium de se sit minùs aptus conceptioni, & educationi proles, & adversetur modo generationis ab auctore naturæ præfixo, ut rectè habet Palao *part. 7. Disp. 3. p. 7. S. 2.*

XIV. Eadem responsio est ad Caramuelis argumentum, quòd principum nothi melius soleant educari, quàm hominum pauperum filij, adeoque potiùs pauperum matrimonia venirent damnanda, quàm divitum fornicationes; nam &c. id in genere humano *per accidens* est, ut unus, vel alter homo talem prolem, quam scit à se genitam, bene educari curet: lex autem fundata in universali præsumptione periculi non cessat, etiamsi in aliquo casu particulari *per accidens* periculum cesset. Quin neque apud Principes ejusmodi educatio vigeret, si conjunctio sceminæ cum ploribus libera foret; quia nesciretur, an non mater prolem ex alio concepisset. Alia Caramuelis argumenta Cardenas *Loc. cit.* diluit.

XV. Facillimè verò cum sua Carnali objectione expediuntur carnales illi Cosmophili; qui ajunt: *natura inclinat ad ista: igitur contra naturam non sunt.* R. D. natura secundum partem animalem, quæ debet spiritui, & rationi subjici. *con. natura rationalis.* Neg. natura rationalis, secundum quam homo debet vivere, vult, ut appetitus rationi, ratio Deo subijciatur, atq; modus ab eo præscriptus observetur.

XVI. Frustra autem distinguit Caramuel *malitiam Theologicam*, quæ offendet Deum, ut est *Legislator*; & *malitiam Philosophicam*, quæ offendet Deum, ut est *auctor natura*, quæque sit indecentia quædam, quâ actio dedecet naturam rationalem, ut ingratitude, inconstantia &c. Nam hoc est subtilitate ludere; si enim agitur contra *jussionem Dei*, prout fit, si modus generationi ab eo præscriptus non servatur, peccatum Theologicum est; quod est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei teste S. Aug. & Theologis. Plura contra molesta ejusmodi carnis mancipia qui cupit, consulat Carden. *loc. cit.*

## §. V.

## Quæ sint præcepta Juris naturæ?

1. Præcepta generalia Juris naturæ, declina à malo, & fac bonum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. n. 1.
2. Christianorum erga proximum charitate conversus S. Bachomius. n. 2.
3. Salubre exemplum. n. 3.
4. Jus naturæ versatur circa triplices actiones, quæ concernunt Deum, nos, & proximum n. 4.
5. Tribus modis potest aliquid esse de Jure naturæ. n. 5. 6. 7.
6. Aliud Jus naturæ est, quod oritur ex voluntate humana prius te obligante, & aliud Jus naturæ absolutum. n. 8. & 9.

I. Q. 1. Quæ sint præcepta Juris naturalis? R. Præcepta generalia sunt hæc duo: *Declina à malo, & fac bonum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Præcepta particularia verò sunt varia, quæ ex hisce duobus ortum habent, quæ per dicenda elucescent.

II. Hæc vox; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; & prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Luc. 6. v. 31. Christianis primitivæ Ecclesiæ tam frequens erat, ut Tertullianus, qui vixit sub annum Christi 200. scribat in *apolog.* 39. totam legem Evangelicam (quæ legi naturæ inædificata est) consistere in *Charitate* invicem exhibenda, & communis gentilium de christianis vox erat: *vide, ut se diligant, ut alter pro altero mori sint parati* Cornel. à Lap. in *act. Apost.* 4. v. 32. quo Christianorum principio conversus est S. Bachomius; cum enim in exercitu Constantini miles adhuc ethnicus esset, & inter commilitones Oxirinchum Thebaidis civitatem Christianam appulisset, atque eo loci tanta charitate milites, & exteros ex variis provinciis adunatos à Christianis excipi videret, obstupuit, & sciscitatus, quænam hæc gens esset, adeò erga exteros, & ignotos homines bene animata? Responsum tulit, esse Christianos; quò auditò adeò indistinctâ hac erga quascunque nationes charitate commotus est, ut christianam amplexus sit religionem, monachus, & monachorum Pater effectus, ut ex ejus vita refert. cit. Cornel. à lapid. & Theophil Raynaud. in *Ascet.* Tom. 17. sect. 1. cap. 5.

III. Salubre est, quod commemorat Philippus Diets Tom. 2. quadr. p. 2. ser. post Dom. 1. de nobilissimo, sed moribus perversissimo homine; cui vir Religiosus morum ejus conscius hæc tantum verba, magnò tamen spiritu dixit: *bonum, quod tibi vis fieri, fac quoque proximo tuo; quod si feceris, salvaberis.* Audivit nobilis brevem hanc exhortationem, & exinde secum ita ratiocinabatur: *si quis tibi aliquid deberet, an non velles statim jus? & si tu pauper esses an non libenter videres, si dives elemosinam tibi largiretur?* Dixit, fecit, debita omnia sua solvit, pauperibus largè subvenit: excipit inter alios pauperem hospitio quendam: cocnâ instructâ lectum præbet; mediâ nocte ille haustum aquæ clamat, gravi se siti vexari. Nobilis secum: *si tu pauper ille fores, inquit, velles tibi aquâ ferri: fac igitur noctu huic pauperi: nec mora, omittâ somno sepulta famulorum turbâ, surgit, ad cisternam descendit hausturus aquam; sed tenebræ cum essent, fervore impingit, in cisternâ præcipitatur, aquis mergitur Deo permittente; manè inter lamenta domesticorum, nescientium, quid hero acciderit, quæritur, in cisterna merfus reperitur, extrahitur; & en! cadaver aureum in collo torquem gerit hac epigraphe: *Antequam corpus hoc aquâ refrigeraret, anima ejus jam fruebatur Deo.* Spec. Exempl. Tit. *dilectio proximi.* Mercator in Nucle. Lect. 38.*

IV. Q. 2. circa quas actiones versetur Jus naturale? R. Circa triplices. 1. circa eas, quæ concernunt Deum; ut, Deum conditorem, conservatorem, largitorem, remuneratorem esse colendum, esse adorandum, ei esse serviendum &c. 2. circa eas, quæ concernunt nos; ut, honestè vivere, non mentiri, abstinere ab ebrietate, illicito concubitu, & quavis alia turpitudine. 3. Circa eas, quæ concernunt proximum; ut, honorare Parentes, Magistratus, Benefactoribus referre antidota, neminem lædere in anima, corpore, fama, rebus suis, proximum non circumvenire, & decipere in contractibus, commercijs, cuivis suū tribuere, debita solvere, indebitè ablata restituere. &c. Wiestner in *proem.* n. 20.

V. Q. 3. Quot modis possit aliquid esse de Jure naturæ? R. Tribus potissimè modis,

modis, ut notat Suarez *L. 2. de legibus cap. 14.* 1. de Jure naturæ præceptivo, quando lex naturalis id præcipit, & hic est modus proprius Juris naturalis, ad quem requiritur, ut ratio naturalis per se spectata dicter, aliquid esse necessarium ad morum honestatem, sive id dicter absque discursu, sive ex discursu uno, vel pluribus: Dummodo illatio sit necessaria.

VI. 2. de Jure naturæ solùm *permisso*, & negativè tali, quando lex naturalis id permittit, non præcipit; multa enim sunt, quæ attento solo Jure naturæ licita sunt, vel data hominibus; ut rerum communitas, & similia: De quibus lex naturæ non præcipit, ut in eo statu permaneant, sed hoc relinquit hominum dispositioni juxta rationis exigentiam. Sic potest dici *nuditas naturalis* homini, quæ in statu innocentiae operienda non esset; in statu verò naturæ lapsæ aliud dicter naturalis ratio: sic libertas est homini naturalis, quia ex vi juris naturalis illam habet, licet lex naturalis non vetet illam amittere.

Dices: sic non magis servitus, quàm libertas; communitas rerum, quàm divisio est de Jure naturæ negativè; & consequenter stando in Jure naturæ potuit unus homo alterum licitè private libertate, & redigere in servitutem, ac usurpare res omnes, & jurisdictionem, ac dominium in omnes homines. R. Nego sequelam: quia natura positivè quemlibet *fecit liberum* ei tribuendo intrinsecum jus suæ libertatis; sed *permisit*, ut status libertatis ob supervenientes circumstantias ipsi auferatur. Similiter natura *contulit communiter dominium rerum omnium*, & cuique dedit potestatem iis utendi, sed *permisit*, ut hic status ob circumstantias supervenientes mutetur, & res dividantur: at natura propriè loquendo hominè *non fecit servum*, *permittendo tantùm*, ut postea fiat liber; neque *contulit proprietatem rerum, ac dominiorum, permittendo*, ut postea fiant omnia communia.

VII. 3. potest aliquid esse de *Jure natura*, quia fundamentum habet in conditione naturali, & licet id non omnino præscribat lex naturæ, tamen ad id inclinatur, & quasi naturaliter sequitur, nisi a-

liunde *impedimentum ponatur*; ut *duobus testibus haberi fidem*, & illos ad probationem humanam sufficere; *filium succedere patri ab intestato L. scripto heredem in fin. ff. si tabula testamenti &c.* quæ lex naturæ approbat, nisi ex specialibus causis aliud requiratur: sed hoc ad jus naturæ permissivum reduci videtur.

VIII. Rursus aliud est Jus naturale, quod ab *humanâ voluntate ortum habet*, & obligat duntaxat ideo, quia prius voluntas hominis eam obligationem contraxit; cujusmodi sunt præcepta naturalia, quæ versantur circa pacta, conventiones, aut obligationes, quæ per humanas voluntates introducuntur, ut præceptum servandi promissionem, sive Deo factam per votum, sive homini factam sine, aut cum juramento; & præceptum servandi alios contractus, ac Jura, quæ ex illis nascuntur.

IX. Aliud verò est Jus naturale *absolutum*, cujusmodi sunt præcepta naturalia, quæ immediatè obligant in suis materiis, & independentè ab omni prævio consensu voluntatis hominis; ut *præceptum Religionis erga Deum; pietatis erga parentes; misericordia, vel eleemosina circa proximum.* Et præcepta negativa non occidendi, non infamandi, & similia.

## S. VI.

### An Jus Naturæ sit mutabile?

1. Jus Naturale per se immutabile. n. 1.
2. Per accidens ob mutatam materiam mutari potest. n. 2. & 3.
3. Durante statu communitatis verum fuit præceptum positivum nature, ne quis impediretur ab usu necessario rerum communium. ibid.
4. Non omnium Jurium naturalium materies potest mutari. n. 4.
5. Objectiones. n. 5.
6. Responsiones. n. 6. & seqq.

I. Q. 1. An Jura naturæ sint mutabilia? R. Per se loquendò, & suapte naturâ immutabilia sunt per S. sed naturalia Inst. de I. N. G. & C. ubi dicitur: *naturalia quidem Jura, quæ apud omnes gentes peræquè observantur, divinâ quâdam providentiâ constituta semper firma, atque immutabilia*



liâ permanenti ; ea verò , quæ ipsa sibi civitas constituit. sapè mutari solent ; vel tacito consensu populi , vel aliâ postea lege latâ.

II. R. 2 Per accidens tamen Jura naturalia mutari possunt per denominationem extrinsecam ob mutationem materiæ , seu objecti sui , cui nova circumstantia advenit , ratione cujus ista materia desinit esse de Jure naturali , quæ seclusâ tali circumstantiâ sub præceptum Juris naturalis cadebat : Sic *occidere hominem* est contra Jus naturæ ; at , si fiat auctoritate magistratûs , aut ad sui defensionem , cessat esse de Jure naturæ ob hanc circumstantiam : *retinere alienum invito Dominò* est contra Jus naturæ ; at , si id fiat per præscriptionem auctoritate legis , in hac circumstantiâ non prohibetur Jure naturæ : similiter Jure naturæ homines nascuntur liberi ; ob supervenientem verò circumstantiam , nempe gravem injuriam principi , vel reipublicæ ab aliis populis illatam , sicut licet justò bello captos occidere , ita licet eisdem sub potestate suâ servare , pœnâ mortis in perpetuam eorum servitutem commutatâ.

III. Sicut enim homo Dominus suæ libertatis potest eam vendere , ita Respublica per potestatem altiore , quam habet ad regendos homines , potest ex justa causâ ( ut in pœnam ) hominem privare sua libertate. Idem cum proportionem dicitur de divisione rerum. Illud tamen sciendum ; quòd durante statu communitatis rerum fuerit *præceptum positivum* Juris naturæ , ut nemo prohiberetur , nec impediretur ab usu necessario communium rerum ; quemadmodum & nunc est in ijs rebus , quæ communes sunt.

IV. Non tamen omnium Jurium naturalium materies sic potest mutari ; sic blasphemare nunquam potest fieri licitum : de qua re plura dicemus *parte 2. sect. 3. §. 5.* an autem in Jus naturæ cadat dispensatio , videatur Sanch. *de matrim. Lib. 8. disp. 6.* ubi in aliquibus concedit. Et Suar. *de legibus lib. 2. cap. 14. §. 15.* Sanctio contrarius , & quæ *cit. §. 5.* postea dicemus.

V. In contrarium opponitur i. Jure naturali per mutuum consensum maris , &

foeminae fit matrimonium , quod per Concil. Trid. mutatur , ne fiat sine duobus testibus , & proprio Parocho. 2. Jure naturæ pro arbitrio potest Dominus rem suam alteri donare , & eam testamento relinquere : & tamen hoc Jus mutatur ab hominibus , ut id non fiat nisi per testamentum solenne. 3. Dispensatur in votis , & juramentis , quorum obligatio est de jure naturali. 4. Matrimonium ratum est indissolubile Jure naturali , & tamen dispensatione Romani Pontificis solvi potest. 5. Residentia Episcoporum est de jure divino naturali secundum Concil. Trid. *sess. 23. cap. 1. de reform.* & tamen in illa quotidie dispensatur. 6. Dispensari potest in impedimentis matrimonij Jure naturæ dirimentibus , ut inter fratres , & sorores. 7. Dispensatur in debito solvendi decimas , quæ debentur Jure naturali. 8. Dispensari potest in exemptione personæ Ecclesiasticæ à Jurisdictione sæculari ; potest enim summus Pontifex concedere , ut à Judice Laico Clericus etiam in persona puniatur ; cum tamen hæc exemptio sit Juris Divini naturalis juxta Communionem.

VI. R. Ad 1. Jus naturæ non *præcipit* , ut matrimonium sine testibus , & Parocho valeat ; sed id *permittit* quândiu Jus positivum illos non postulaverit.

VII. Idem respondetur ad 2. dum de testamento , ex quo , & contractibus tantum probatur , Jus humanum posse aliquid Juri naturali superaddere , quod verum est.

VIII. Ad 3. respondet Sanch. *de matrim. lib. 8. Disp. 6. n. 2.* in iis præceptis naturalibus , quæ ex præsupposito voluntatis hominis consensu ortum habent , posse dispensari. Suarez verò *de legibus l. 2. disp. 14. n. 17.* vult , non posse dispensari *directè* , immediatè auferendò obligationem legis naturalis , sed mediante aliqua remissione , quæ fit ex parte materiæ , dum remittitur debitum ortum ex consensu voluntatis humanæ , & ita consequenter cessat obligatio præcepti naturalis.

IX. R. Ad 4. Lex naturæ tantum præcipit , ut matrimonium ratum non dissolvatur *propria contrahentium auctoritate* ,  
secus ,

secus, si fiat *auctoritate publica* Pastoris supremi Ecclesie.

X. *ad 5.* Si per Vicarium salutis spirituum ovium sufficienter provideri potest, consideratis variis circumstantiis, cessat obligatio præcepti naturalis, & sola manet obligatio Juris humani, in qua Papa dispensare potest, & sæpius solet. Pirhing, Fagnan, &c.

XI. *ad 6.* Suarez, in impedimentis Jure naturali dirimentibus dispensari non posse per potestatem humanam, neque se credere, esse aliquando in Ecclesia dispensatum in matrimonio inter fratrem, & sororem: si tamen id factum est, ut refert Angel: factum id esse, quod Pontifex secutus sit opinionem, quæ dicit,

illud non esse impedimentum irritans *Jure natura.*

XII. *ad 7.* Decimæ tantum debentur Jure naturæ, in quantum requiruntur ad sustentationem ministrorum Ecclesie; modus vero, & distributio earum inter fideles humani Juris, & arbitrij est, in quo Pontifex dispensare potest.

XIII. *ad 8.* Jus naturale tantum dicitur, Clericos esse immunes à foro secularium, nisi eos ex justa causa prælatus præsertim summus brachio seculari remittat; quia tunc potestas secularis subit rationem ministri Pontificis; adeoque tali casu non est relaxatio Juris naturalis; sed potius justa executio justitiæ, quam Jus Divinum, & naturale dicitur.

## S E C T I O II.

D E

### Jure Gentium.

§. I.

#### Quid sit Jus Gentium?

1. *Quid Jus Gentium? n. 1.*
2. *Jus gentium medium est inter Jus nature & Jus humanum. ibid.*
3. *Ratio introducendi Jus gentium. n. 2.*
4. *Ratio rationis. n. 3.*

**Q**uid sit Jus gentium? *ad. Quod ex ratione quidem naturali proficiscitur, non tamen simpliciter, & absolutè ex illo infertur, neque ab initio solo rationis instinctu ac lumine hominum menti est inditum, & nobiscum natum; sed postea humanis necessitatibus ita exigentibus, vel utilitatibus suadentibus, usque ac moribus omnium, aut ferè omnium gentium bene institutarum est in humanum genus introductum; ut Justranscundi per vias publicas. Pirhing Proem. n. 10. Est igitur Jus gentium quasi medium inter Jus naturale, & humanum; quamvis enim absolutè humanum sit, magnam tamen habet convenientiam cum naturali, ut à multis cum illo confundatur, vel pars quædam illius esse censeatur; cum facile ex principiis naturalibus (licet non per absolutam necessitatem) deducatur: unde & non raro exempla Juris gentium ponuntur permixta cum naturalibus; in rigore tamen loquendo differunt, ut ex sequentibus patebit.*

II. Ratio introducendi hoc jus fuit: quia humanum genus, quantumvis in varios populos, regna, republicas &c. sit divisum, tamen

habet aliquam unitatem, non solum *specificam*, ut omnes homines sint ejusdem speciei quoad naturam, sed etiam quasi *politicam*, ac *moraalem*, quam indicat naturale præceptum mutui amoris, & misericordie, quod ad omnes homines in mundo degentes, cujuscunque nationis, ac Reipublice sint, extenditur: licet enim unaquæque respublica (aut regnum) in se sit quædam communitas perfecta, constans suis membris, tamen quælibet earum est etiam membrum universi generis humani per globum terraqueum dispersi; cumque nunquam illæ communitates particulares adeo sint sibi sufficientes, quin indigeant aliquo mutuo juvamine, societate, ac communicatione; interdum ad melius esse, majorémque utilitatem; interdum verò ob moralem necessitatem, & indigentiam, ut constat ex ipso usu, & experientia; Hinc indigebant aliquo Jure communi, quo dirigerentur, & rectè ordinarentur in hoc genere Communitatis, ac Societatis, atque ideo in certas aliquas leges convenerunt, quas erga se invicem conservare consueverunt passim gentes, nisi barbaræ sint, & anthropophagi, licet aliàs sint inter sese diversissimæ linguæ, moribus, nationibus, Institutione, Legibus, Religione, Armis, Vestitu, modoque suos regendi subditos &c. dum aliæ Monarchiæ, aliæ Aristocratiæ, aliæ Democratiæ, aliæ mixtæ, aut aliâ formâ regiminis se gubernant.

III. Ratio rationis est: quia auctor naturæ, qui hunc terrarum globum hominibus inhabitan-

E

bican-

bitandum concessit, variè per varias mundi plagas, ac regiones sua dona partitus est, nec omnis fert omnia tellus; hæc regio abundat jumentis, & equis, quorum labor usui humano admodum est proficiuus; alia pascuis, armentis, pecoribus, quorum carnes victui, velleres vestitui necessaria; alia fertilis est frumentò, & frugibus; alia vinò; alia dives est metallis, aurò, ferrò &c; alia mercibus &c. conformia hisce solent esse gentium studia, una per has, alia per alias artes, mercimonia, commercia, atque occupationes, se, suamque rempublicam conservat, sustentatque; ad quæ proin necessaria inter gentes mutua societas, mutuùmque auxilium, atque Jus quodpiam, cui se omnes populi, etiam si discretas inter se respublicas incolant, conforment, & quò dirigantur; aliàs ingentia mala per totum humanum genus invalescerent; ut enim variæ sunt gentes, ita variæ sunt vicissitudines rerum, variæ oriuntur dissensiones, similitudines, prælia, bella inter nationes, quæ subinde sunt valde pertinacia, atque in longum protrahuntur, si pares utrinque vires; igitur debet admitti modus redeundi ad pacem, consensionem, communia Commercia &c; quod fit per missos legatos, per sancita foedera, & similia, quæ sunt *Juris gentium*.

## §. II.

Quomodo Jus gentium differat à Jure Naturæ, & Civili, & Quotuplex sit?

1. In quibus Jus gentium differat à Jure Naturæ. n. 1.
2. Aliæ differentie rejectæ. n. 3. 3. 4.
3. In quo differat Jus gentium à Jure Civili, & Canonico. n. 5.
4. Jus gentium aliud propriè dictum cum mutua obligatione inter gentes illud inter se servandi. n. 6.
5. Aliud impropriè dictum sine mutua obligatione inter gentes illud inter se servandi. n. 7.

I. Q. 1. In quibus Jus gentium differat à Jure naturæ? R. In his 1. *Jus naturale* est congenitum homini ab ipso conditi humani generis principio: *Jus gentium* verò primùm postea successu temporis exigentibus necessitatibus, & utilitatibus humani generis est introductum. §. *sed Jus instit. de l. N. G. & C.* 2. *Jus natura* obligat omnem hominem ratione utentem, est commune omnibus populis, solùmque per errorem potest alicubi non servari; *Jus gentium* autem non semper omnibus, sed regulariter, & ferè omnibus gentibus commu-

ne est. *Com. Jus gentium dist. 1.* unde sine errore potest alicubi non servari, quod apud alios de Jure gentium censetur. *Suar. L. 2. de legib. cap. 19.* si scilicet illi, qui non servant, nunquam in hanc consuetudinem, & usum cum aliis populis tacitè convenerunt; quemadmodum Regnum Chinense diu Comerciis Europæorum clausum fuit, neque hodie omnes gentes sunt notæ, neque ex iis, quæ notæ sunt, omnes omnia Jura inter alias gentes bene instituta consuetæ observant. 3. Quæ Jure gentium prohibita, aut præcepta sunt, non sunt suapte naturæ bona, vel mala, sed talia evaserunt gentium consensu, non verbis expressò, aut per edictum promulgatò, sed tacitò per earum mores, & usum insinuatò; sive, quod idem est, Jus gentium non prohibet mala, quia mala sunt, ut facit Jus naturæ, sed prohibendò facit esse mala: unde ex parte rationis humanæ non est Jus gentium tantùm *offensivum* malitiæ, sed *constitutivum*. *Suar. cit. cap. 19. Wiestner proæm. n. 57.* 4. *Jus natura* necessarium, & immutabile est; *Jus gentium* verò contingens & mutabile, ut postea dicetur.

II. Econtra non bene *Jus gentium* à *Jure natura* distinguitur 1. per hoc, quòd *Jus natura* sit commune tam brutis, quàm hominibus, *Jus gentium* autem sit proprium solum hominum: nam, ut dictum, *Jus naturæ* propriè in animalia non cadit: quare J. C. i., & leges hanc distinctionem adhibentes impropriè loquuntur.

III. 2. Neque illa aliquorum Theologorum quadrat distinctio, quâ dicunt, etiam *Jus gentium* sicut *Jus naturale* habere *intrinsecam necessitatem in suis præceptis*, & solùm à *Jure naturæ* differre per hoc, quòd *Jus naturæ* sine *discursu*, vel *facillimò discursu* innotescat, *Jus gentium* verò per *plures relationes*, & *difficiliores colligatur*; contra enim est 1., quia multa sunt de *Jure gentium*, quæ non habent *intrinsecam necessitatem*; ut divisio rerum, servitus, & alia; neque Jura gentium necessariò ex primis principiis moralibus deducuntur, licèt illis sint valde consentanea; sed per arbitrium, & consensum hominum sunt introducta in tota hominum communitate; vel in majore illius parte.

IV. 3. Neque per hoc distinguitur *Jus gentium* à *Jure naturali*; quòd *Jus naturale* habeat conclusiones ita necessarias, ut ex sequantur evidenter ex principiis naturalibus, sine ulla prævia *suppositione societatis humanæ*; *Jus gentium*

tium verò habeat tales conclusiones, quæ sequuntur ex principiis naturæ *supposita prævia hominum societate*, adeoque quod Jus gentium conveniat naturæ, non ut absolute spectata, sed ut jam constituta in civili communitate. Contra enim est 1. quia ipsa gentium discretio, & regnorum divisio est de Jure gentium. *L. ex hoc Jure ff. de l. & l.* & tamen ante illam divisionem non ponitur aliquid præter statum naturalem hominum. 2. Quia multa sunt Jura etiam naturalia, quæ pariter non obligant, nec locum habent, nisi facta aliqua prævia suppositione: sic præceptum non furandi locum non habet, nisi supposita divisione bonorum, & dominiorum: præceptum parendi Dominis locum non habet, nisi ex suppositione commercij humani: Lex fidelitatis reddendi promissum homini, servandi votum Deo, locum non habet, nisi ex suppositione promissionis: sic etiam in materia de simonia dicitur, vendere rem consecratam esse contra Jus naturale, licet supponat consecrationem humano Jure introductam. *Suar.*

V. Q. 2. In quo differat Jus gentium à Jure civili? R. In hoc, quia præcepta Juris gentium non scripto, sed moribus, non unius, vel alterius Civitatis, aut Provinciæ, sed omnium, vel fere omnium nationum constant; adeoque Jus gentium innititur moribus hominum. Responsio constat ex §. *Jus autem* Inst. de J. N. G. & C. ubi ait: *Jus autem gentium omnium humano generi commune est; nam usu ex gente, & humanis necessitatibus gentes humana Jura quædam sibi constituerunt.* Sicut enim in una Civitate vel Provincia consuetudo introducit Jus, ita in universo humano genere poterunt Jura gentium moribus introduci, præsertim cum ea, quæ ad hoc Jus pertinent, & pauca sint, & Juri naturali valde propinqua, ac consentanea. *Cis, Suar. cap. 19.* simili modo differt à Jure Canonico.

VI. Q. 3. Quotplex sit Jus gentium? R. est duplex 1. quod omnes gentes inter se servare debent; quia gentium usu, & moribus introductum, ac receptum est cum *mutua obligatione* illud inter se servandi, seu aliqua inter se agendi, aut omittendi; & hoc est Jus gentium propriè dictum.

VII. Alterum est, quod quidem singulæ gentes, regna, Respublicæ passim observant, sed observare non tenentur; quia gentium usu introductum est sine *mutua obligatione* illud inter se servandi; licet ob singularum gentium

particularem utilitatem intra quemvis principatum, aut Rempublicam observetur: Et hoc est solum Jus gentium improprie dictum per similitudinem quandam, & convenientiam, quam habet cum Jure Gentium.

### §. III.

#### De Jure gentium propriè dicto.

1. *Juris gentium propriè dicti est recipere Legatos sub lege immunitatis, & securitatis. n. 1.*
2. *Violatio hujus immunitatis est contra Jus naturæ. n. 2.*
3. *In Contractibus tria considerantur. n. 3.*
4. *Injuria Legatis illata sepe causa gravium bellorum. n. 4.*
5. *Exempla ibid.*
6. *Legati honorificè excipiendi. n. 5.*
7. *Non omnes Legatos admittendos Jus gentium præcipit. n. 6.*
8. *Juris gentium est Jus belli. n. 7.*
9. *Et modum indicendi bellum per secales, illudque prosequendi. n. 8.*  
*Item bellum quomodo effectum. n. 9. & 10.*
10. *Juris gentium sunt fœdera pacis, & induciarum. n. 11.*
11. *Et Jus Commercii apud gentes non hostiles. n. 12.*

I. Q. Quæ sint Juris gentium propriè dicti cum mutua obligatione? R. sunt varia hujus exempla, potiora hæc sunt: 1. consuetudo recipiendi legatos sub lege immunitatis, & securitatis; quod non est de necessitate Juris naturæ; quia potuisset unaquæque communitas hominum non habere apud se Legatos alterius, nec velle illos admittere; nunc tamen admittere est de Jure gentium, & illos repudiare esset signum inimicitiae, & violatio Juris gentium.

II. In quo duo concurrunt, unum est, quod sit pactum implicitum, & consuetudo inter gentes *admittendi Legatos* sub securitate, & hoc est de *Jure gentium*. Alterum est, supposito hoc implicito pacto, servare legatis immunitatem, & hoc est de *Jure naturæ*; quia ejus violatio est contra justitiam debitam, & fidelitatem; adeoque ipsa hæc suppositio, & pactum inter gentes Juris gentium est, violatio verò hujus suppositionis, & pacti Juris naturalis est.

III. Idem est in quocunque alio contractu, & commercio, in quo tria possunt distingui. Primum est particularis *modus contrahendi*, & hic ordinariè pertinet ad *Jus civile*, & sæpe fieri potest arbitrio contrahentium, si non repugnet aliquod Jus. Secundum est observatio

*contractus facti*, & hoc pertinet ad *Ius naturale*. Tertium. Est *libertas contrahendi*, comērcia cum hominibus non inimicis, vel hostibus, & hæc est de *Iure gentium*; quia *Ius naturæ* ad hoc non obligat; potuisset enim una Respublica per se vivere, & nolle commercium cum alia, etiam non inimica: *Jurē autem gentium* introductum est, ut commercia sint libera, violarenturque *Jus gentium*, si absque causa rationabili prohiberentur. Eodem modo discurrendum de aliis. Suar. *cit. L. 2. de legib. cap. 19. n. 7.*

IV. Iniuria autem Legatis illata sæpe inter gentes gravium bellorum causa exitit; eaque justissima; quia contra *Jus gentium*, ut ait Contzen *Polis. Lib. 10. cap. 7. n. 1.* ubi aliquot exempla refert: sic Tarentini Legationem Romanam, de læsis civibus ferentem querelam, foedè per turpem, & obscenam dictu contumeliam violantes, postea victi, contumeliam servitute luerunt. Illyrij Legatos securi cædentes, postea victi, & ipsi colla securi præbuere. Corintho exitium attulit, quod Legati Romani, incertum, an manu, certè oratione violati essent. Bellum funestissimum, & gravissimum cum Ammonitis gessit David cum eorum exitio ob Legatos, amicitia causa missos, ab ipsis violatos 2. Reg. 10. Si enim Legatus tutus non sit, pacis, & reconciliationis spes absconditur. Hanno Senator Carthaginienſis in Hannibalem graviter his verbis invectus est, ut Grotius de *Iure belli Lib. 2. cap. 18.* ex Livio refert: *Legatos ab sociis, & pro sociis v. nientes bonus Imperator noster in castra non admisit: Ius gentium sustulit.* Alexander Caduceatores ad Tyrios, qui ad pacem eos compellerent, miserat, quos Tyrij contra *Ius gentium* occisos præcipitaverunt in altum: sed violasse hoc *Jus gentium* ipsis magno stetit; Alexander enim indigna suorum nece Commotus urbem obsedit, expugnavit, excidio dedit, exceptis, qui in templa confugerant, omnes interfici jussit; duo millia, in quibus occidendis defecerat Macedonum rabies, crucibus affixa per ingens litoris spacium pendere triste spectaculum. Quintus Curtius de rebus Alexandri Lib. 4.

V. Honorificè excipiendos Legatos, & omni genere humanitatis tractandos ex Paschaliō Besoldus docet dissertatione Politico-Juridica de Legatis cap. 5. Sicque olim Legatis ex ultimis orbis terrarum partibus Romam venientibus publicum hospitium, sæpeque Comme-

atus largè, vestimenta item per Prætores Urbanum publico nomine præstabantur.

VI. Hæc tamen non ita accipienda sunt, quod omnes Legatos admittendos præcipiat *Ius gentium*; sed vetat duntaxat, eos sine causa sufficiente rejici, Grotius *loc. cit.* Sic Romani mulum huic Juri attendentes, non tamen admittebant quosdam Legatos; neque in oppidum (ita apud Livium ea pars Romæ dicitur, quæ intra mœnia erat, & ab urbe diferebat) admittebantur; quod non recipiamus privatos inimicos intra privatas aedes. Quin & speculatores Legatis apponebantur, ne quis per eos corrumperetur Besoldus *loc. cit.* sic & alij volunt, datum Romæ Legatis hospitium publicum, ne quid intra privatas aedes machinarentur: atque adeo in urbe excipi non debet Legatus, si in urbe metuendum est, ne turbationes excitentur; ideo Ezechias Legatum Sennacherib Hierosolymâ exclusit. 4. Reg. 18. & Legatus Lacedæmoniorum Athenas missus in urbem non fuit admissus, sed dimissus est extra fines agri Attici eo die manere jussus, additis insuper ei custodibus, ne cum quopiam homine loqueretur. *cit.* Besoldus. Sic senatus Romanus negavit, se Carthaginensium Legatosmittere posse, quorum exercitus esset in Italia. Grot. *loc. cit.* Plura si cupis vide *cit.* Grot. & Besoldum *loc. cit.* Paschaliū &c. ubi specialiter de Legationibus agunt.

VII. 2. Ad *Jus gentium* propriè dictum spectat *Ius belli*; quod principibus, & rebus publicis superiorem non recognoscentibus competit ad puniendam vindicandam, aut reparandam injuriam sibi ab alia republica illatam: nam ex vi solius Juris naturalis non erat necessarium, ut hæc potestas esset in Republica offensa; potuissent enim homines instituere alium modum vindictæ vel committere illam potestatem alicui tertio Principi, & quasi arbitro cum potestate coactiva: quia tamen hic modus, qui nunc servatur, facilius est, magisque naturæ consentaneus, usu, ac mortibus gentium introductus est, & ita justus, ut non possit illi resisti. Suar.

VIII. Huc spectat etiam modus indicendi bellum per fœciales; item modus prosequendi, ac gerendi bellum, ne fontes, & arma venenô inficiantur; aut hostis per submissos sicarios occidatur; ne militibus, belli ducibus &c. magiæ deditis Princeps, aut operâ diaboli utatur.

IX. 4. Huc

IX. 4. Huc spectat bellum quo ad effectus suos, ut quo ad effectum occupationis, & acquisitionis Domini rerum bellò justò captarum, & occupatarum, quoad effectum impunitatis ob invasiones, & cædes, quò minùs tanquam prædo, aut homicida quis valeat puniri.

X. 5. Huc spectant securitates, & captivitates hominum bellò captorum, nam & hoc Jure utuntur populi, & gentes inter se se, cujus Juris determinatio est quasi lex quædam pœnalis usu hominum introducta contra gerentes *injustum bellum*; ponitur enim illis in pœnam, ut captivi fiant, vel servi, si vincantur. de *jure præcisè naturali*, ut suprà dictum, hoc non erat necessarium, nec præceptum; quia posset alius modus pœnæ introduci; quamvis lex naturæ id neque vetet, suppositâ justitiâ belli: nunc autem tale est inter gentes hoc jus, ut & rei teneantur hanc pœnam sustinere eò modò, quò introducta est, & victores non possint graviùs punire hostes jam victos, & finitò bellò, nisi alius specialis titulus interveniat. Suar. *cit. cap. 19. n. 8.* apud gentes Christianas verò hoc jus sublatum est, ut dicitur postea.

XI. 6. Huc spectant *fœdera pacis, & induciarum*, non quatenus servanda sunt, postquam sunt facta; hoc enim Juris naturæ est; sed quatenus admittenda sunt, & non neganda, quando debitò modò, & rationabiliter petuntur; etsi enim hoc rationi valde sit consentaneum; tamen usu ipsò & Jure gentium magis est firmatum, & sub majore obligatione. Suar. *n. 8.*

XII. 7. Jus Commercij, sive libertas commercia apud exterarum, & non hostiles gentes quæstus causâ exercendi, nummum pro merce, aut rem pro re exhibendo.

XIII. 8. Jus sepulturæ, seu defuncto supremum honorem exhibendi, ejus Cadaver humanò, seu terræ, è qua ortum est, reddendò; & alia similia, quæ jus naturæ nec præcipit, nec vetat, gentium tamen penè omnium usu, ac moribus propter Communem totius Communitatis humanæ utilitatem cum mutua obligatione introducta, & recepta sunt. Wiestner *Proem. n. 55.*

#### S. IV.

De Mutabilitate Juris Gentium, & illud non continere meras permissiones, sed etiam præcepta.

1. Jus gentium mutabile est. n. 1.

2. Non tamen mutari potest ab aliquo regno, vel republica publica particulari Jus gentium propriè dictum sine consensione omnium gentium; bene tamen Jus gentium impropiè dictum. n. 2. § 3.
3. Potest aliqua communitas præcipere, ut sui cives inter se non servant Jus gentium, sed sine præjudicio aliarum gentium. n. 4.
4. Sic Jus gentium de servitute captivorum non servatur inter Christianos. *ibid.*
5. Potest Jus gentium aliqua mala permittere. n. 5.
6. Jus gentium est præceptivum sub peccato. n. 6.

I. Q. 1. An Jus gentium mutabile sit? R. Est mutabile, non tantum per accidens ratione *materiæ*, seu objecti mutati, quo sensu Jus naturæ quoque mutabile diximus; sed etiam *per se*, quamvis omnes circumstantiæ, cum quibus antea obligabat, eadem permanant. Pirhing. suprà citatus. Ratio est: quia Jus gentium, ut dictum, ab hominum consensu dependet, neque ejus obligatio ex sola ratione, sed ex generali consuetudine gentium descendit. Sic hodie mutatum est apud Christianos quo ad servitutem; cum Christiani justò bellò capti non efficiantur servi Christianorum.

II. Q. 2. An Jus gentium possit mutari ab aliquo Regno, vel Republicâ particulari? R. I. Jus gentium impropiè acceptum, & sine mutuâ obligatione ab aliquo regnò particulari, vel Republicâ per usum contrarium, vel per legem publicam immutari potest, & abrogari in eo regnò, licet aliæ gentes non consentiant. Ratio: quia revera tantum est Jus civile hujus regni pendens ex peculiari illius determinatione sine respectu ad alias gentes, & mutuâ obligatione, licet etiam ab aliis observetur; & dicitur Jus gentium solum ob analogiam, quam cum Jure gentium habet: igitur abrogari potest sicut cujusvis gentis Jus civile.

III. R. 2. Jus gentium propriè acceptum mutari, aut abrogari non potest sine omnium gentium consensione. Ratio: quia respicit Jus commune omnium nationum, & omnium auctoritate est introductum cum mutuâ obligatione; ergo non potest à particulari aliquo Regno, vel Republicâ sine omnium gentium consensione tolli, ac mutari, posset tamen tolli, ac mutari si nationes omnes consentirent, vel si paulatim introduceretur consuetudo contraria, & prævaleret: sed hoc cogitari quidem potest, ut non repugnans, moraliter verò non videtur possibile. Suar. *cap. 20. n. 8.*

Nec dicas: potest aliquis cedere Juri suo privatâ auctoritate, etiamsi illud à Jure gentium pro-

promanet, sic Religiosus cedit dominio rerum temporalium, quin & capacitati, renuntiat Juri ducendi uxorem, potest quis se tradere in servum privandô se naturali libertate &c. Respondet cit. Suar. hoc non esse propriè Jus gentium, neque differre à Jure naturali, si præcisè quatenus *concessivum* est, spectatur.

IV. R. 3. Potest etiam aliqua communitas præcipere, ut *inter partes*, & membra sua tale Jus gentium non servetur, sinè præjudicio tamen aliarum gentium; & idem potest in aliqua comunitate consuetudine introduci. Sic Jus gentium de servitute captivorum in bello justo in Ecclesiâ, & inter Christianos non servatur ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, quæ est velut speciale Jus gentis Christianæ, & omnino servandum, ut notavit Bartol. in *L. ho. ff. de Captivis. num. 16.* & Covaruv. plures alios referens in *regula peccatum 2. part. §. 11. n. 6.* quid Suar. cit. *cap. 2 n. 8.*

V. Q. 3. An Jus gentium possit permittere mala? R. 1. Potest aliqua permittere; licet enim Jus naturale rigorosum nulla mala permittat, sed omnia prohibeat, non tamen videtur ratio, cur Jus gentium aliqua permittere non possit, saltem Jus gentium impropriè sumptum; sicut Jure civili aliqua mala permittuntur; quia talis permissio potest esse tam necessaria juxta fragilitatem, & conditionem hominum, ut in ea servanda omnes ferè nationes concordent; talis videtur Suario *cap. 20. n. 3.* esse permissio meretricum, & permissio deceptionis in contractu, quæ non sit enormis, & similia.

VI. R. 2. Jus gentium propriè dictum non tantum est *permissivum*, sed *præceptivum*, ac *prohibitivum* sub peccato; adeoque vera non est sententia Conani, & Vasquij apud Suar. *cap. 18.* existimantium, præcepta omnia Juris gentium esse solum *permissiones* aliquid agendi, vel non agendi, quæ convenient naturæ humanæ in civili comunitate constitutæ. Nam contra est: quia eò ipsò quòd uni conceditur aliqua res, & permittitur, præcipitur aliis, ne usum illius impediunt, ut patet in privilegio, in occupatione sedium, ædificatione, munitione, &c. quæ dum alicui Jure naturali, gentium, vel humanò conceduntur, hòc ipsò aliis prohibetur, ne talem impediunt, quò minus possit privilegiò uti, sedem à nemine præoccupatam occupare, ædificare, munire, &c. & in bello, si *aggressivum* sit, hòc ipsò, si id unilicium est contra alterum, huic alteri prohi-

bita est defensio; quia tenetur parere, & jus suum alteri reddere, vel justam pœnam acceptare: si sit *defensivum*, eò ipsò si uni licet se defendere, alteri illicitum est bellum inferre; ideo enim licet defensio, quia alter injustè bellum aggreditur. De servitute, & captivitate idem est; hòc ipsò enim, si uni licet alterum in captivitatem, vel servitutem redigere etiam cogendò illum, tenetur ille ad parendum, & non resistendum; quia non potest esse bellum ex utraque parte justum. Idem cit. Suar. habet de postliminio de fœderibus, immunitate legatorum &c; hòc ipsò enim, quod hæc concessa sint, ut fiant, prohibitum est, ne violentur, adeoque cum his Juribus concessivis conjunctum est Jus *præceptivum*, vel *prohibitivum*.

### §. V.

## Conclusiones ex Jure Naturali, & Gentium: Et de Fœderibus, ac Fide servandis.

1. *Nullus Rex, vel Respublica potest à se Jus gentium excutere. n. 1.*
2. *Fœdera sanctè incunda, & sanctè custodienda. n. 2.*
3. *Ignavi animi est fallere. ibid.*
4. *Tantum illi parti inter duas bellantes potest tertius auxilia sua jungere, quam justam fovere causam judicat. n. 3. & 4.*
5. *Peccat graviter Princeps, vel Respublica, si modò huic, modò alteri bellantium parti sua arma jungat prout ad majus suum emolumentum esse videt. n. 5.*
6. *Qui ob emolumentum suum sociam, cum quo Fœdus habet, deserit, facit injustè, & tenetur socio resarcire damna. n. 6.*
7. *Idem est si invitò Confœderatò cum communi utriusque hoste particularem pacem concludat. n. 7.*
8. *Fœdera non se extendunt ad bellum injustum gerendum. n. 8.*
9. *Verba in fœderibus accipienda propriè. n. 9.*
10. *Exempla perfidie. n. 10. & 11.*
11. *Æquivocationes, Amphibologie, Restrictiones mentales locum non habent in Fœderibus. n. 12.*
12. *Fœdera inter summos reguntur solum Jure naturali, & gentium. n. 13.*
13. *Baptizati omnes subjacent SS. Canonibus. ibid.*
14. *Fides Principibus maxime cordi esse debet. n. 14.*
15. *Exempla. n. 15. & 16.*
16. *Germania servatrix Fidei. 17.*
17. *Et Serenissima Domus Austriaca.*

I. EX dictis concluditur 1. Quòd nullus Rex, vel Monarcha, qui reipublicæ bene institutæ in genere humano præest, ubi hætenus inter gentes fœdera, Legatio-

gationes, commercia, bellorum denuntiationes per feciales, eorum recta gestio sine fontibus, & armis veneno infectis, sine militibus, officialibus magiae deditis &c. viguerunt, si fortuna aspirante evadat forsan valde potens, sibi que sufficiens, ut aliarum gentium ope jam non indigere videatur, quod, inquam, nullus ejusmodi Monarcha ( aut respublica ) possit lus gentium a se excutere, & suis viribus confusus dicere: *Ego renuntio impofterum lura gentium, neque posthac alias gentes, sive mihi, meoque regno vicinas, sive remotas curo, neque earum amicitiam, foedera, Commercium, Legationes &c. peto; bella prout mihi, meoque regno utilis fore credidero, geram, nullam legem ab alijs gentibus ( quidquid illa inter se agant ) mihi post hac praescribi passus, aut capere sum, mihi sufficio, aliarum invocamine gentium non indigeo, neque earum societate, & Commercij: si injuria mihi, meoque regno fuerit illata, meis eam viribus potens sum vindicare & mihi satisfactionem sumere: neque etiam vicissim peto, ut me curent alia gentes, mea foedera Legationes &c. admittant.* Ratio est: quia sicut Communi consensu gentium haec lura constituta sunt, ita sine aliarum gentium consensione, ut dictum, ab uno Rege abrogari non possunt; cumque haec gentes reliquae haec lura erga ipsum, & regnum ejus conservaverint, dum nondum erat ad tantam potentiam eVectus, & earum ope indigebat, debet eadem & nunc ipse servare, dum aliae gentes ejus ope indigent. Ratio rationis est quia tempora mutantur, & fortuna; neque semper eo statu permanebit regnum ejus; venient tempora, quibus aliarum gentium invocamine indigebit iterum, ut experientia monstrat: nihil in orbe durabile, sed ut Poeta canit:

Constans in inconstantiâ  
Fortuna cuncta miscet;  
Figitque rebus terminum:  
Quo summa vora vergunt:  
Pugnate, stare, vincere,  
Pugnare, stare, vinci.

Quid potentius quator Monarchiis Chaldaica, Persica, Graeca, Romana? putasses, eas nullius egere ope, aeternum perstituras, & tamen concussae sunt.

II. Concluditur 2. quod foedera, & quibus pax publica sancitur, & quibus se plures respublicae mutua obligatione devinciunt; *συμμαχία*, & societatem ineunt armorum, ut se mutuo juvent, eosdemque & amicos, & hostes judicent; quod inquam, ejusmodi foedera & sanctè sint faciendae sine decipulis, ac technis, occultisque verborum

involucris &c., & sanctè custodiendae; hoc enim & Jura naturae, & gentium clamant: ab ejusmodi vero pactionibus, symmachiis, conventionibus astute recedere, aut eas subdole eludere, ac mutare, seque, ubi majus emolumentum speratur, ab iis extricare Jus gentium, & naturae abominantur; non enim nisi mutuo eorum consensu, quo coaluerunt, solvi possunt absque injuria. Nec injustus duntaxat, sed & ignavus, Lipsio teste 2. *monit. polit. cap. 13.* merito habetur, qui fallit; qui enim decipit, eò ipso id facit, quia potentiae, aut viribus suis minus fidit; conatur igitur fidei specie circumvenire, & hanc vilitati suae praetendit ostentandam, non servandam, quod turpe est, & sublimi omni animo indignum; imò & naturam abhorremus. Pueros vide, mendacium inter prima probra objiciunt; & quamquam levitate quadam assumunt, tamen Judicij insita rectitudine damnant, admirandam Dei providentiam virtutes animo inferentis, sine quibus vita, & societas stare aegre possit; quod in justitia & fide palam videtur. Tolle istam, aut minue: raptus, caedes, bella erunt, atque haec nullo foedere aut pace terminanda.

III. Concluditur 3. si duo Principes ( vel duae respublicae ) bellum inter se gerant, quod tertius Princeps, vel respublica possit illi parti se adungere, & cum ea societatem armorum, ac foedus inire, quam iudicat justam fovere causam; quia contra hanc partem altera pars carens justam causam bellare Jure non potest, sed debet praestare satisfactionem; quam si non praestat, sed per injuriam, quia fortior est, aut bellum infert, aut bellum sustinet contra habentem justam causam, jus naturae, & gentium permittit, ut pars habens justam causam aliarum gentium auxilia imploret, & illae eam juvent.

IV. Concluditur 4. quod contra illi bellantium parti nulla ratione possit tertius auxilia sua jungere, & foedus cum ea pangere, quam iudicat, non fovete justam causam. Ratio constat ex opposito.

V. Concluditur 5. quod, sicut miles peccat mortaliter, qui paratus est militare cuicumque, qui pinguius stipendium solverit, ut in tertia parte, ubi de bello agemus, dicitur; ita respublica, vel Princeps peccat graviter, si modò huic parti bellantium sua arma jungat, modò alteri, prout ad majus emolumentum suum esse pro diversitate circumstantiarum perspexerit; cum enim non utraque pars bellans, sed tantum una justum gerere bellum possit,



possit, sequitur, quòd tantum unam juvare possit, & illam quidem, quam judicat, fovere causam justam: vel ergo illa pars, cum quâ fœdus prius ictum est, judicatur habere justam causam, vel non; si non; ergo fœdus iniri nunquam cum ea potuit; si habet: ergo à fœdere recedi non potest sine perfidia.

VI. Concluditur 6. quòd, qui ob suum emolumentum, e. g. ob provinciam ab hoste, ut fœdus dissolvat, promissam deserit eam partem, cum qua fœdus, & armorum societatem habet, & faciat injustè; quia facit contra Jus naturæ, pactum suum, ac fœdus initum violat: & teneatur ad refarcienda omnia damna, quæ pars, quam deserit ob hanc derelictionem incurrit.

VII. Concluditur 7. quòd, qui cum una ex duabus partibus bellantibus fœdus armorum habet, non possit solus cum hoste communi utriusque transigere, particularem cum eo pacem concludere, atque Socium fœderis deserere, nisi & ipsi sit satisfactum, isque consentiat; quia sicut fœdus utriusque consensu coalluit, ita non nisi utriusque consensu potest solvi, secus qui facit, confœderato injuriam facit, contra Jura naturæ, & gentium facit, teneturque coram Deo, qui *justitias judicabit*, ad refarcienda omnia damna, quæ ex hac deceptione, & recessu injusto à fœdere consequuntur, quibuscunque involutis coram mundo perfidia involvatur: stringit & hinc argumentum supra positum, vel enim Socius, cum quo fœdus pepigerat, justam fovere causam censetur, vel non, si non: igitur cum eo contra hostem, quem injustè aggressus est, fœdus pangere haud potuit; si fovet justam causam; igitur is per ruptum fœdus in sua justa causa ab socio deserere non potest sine perfidia. Subditis enim pares sunt in hoc Socio, ut defendi debeant, in quorum fœdere comprehensum, id est, sive in tutelam se se, & fidem aliorum dederunt, sive mutua auxilia pacti sunt: *& qui non repellit injuriam à Socio, si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit.* Ut ait S. Ambrosius apud Grotium *Lib. 2. cap. 25. §. 4.* fœderum enim Jura communem, quasi fœderatorum fortunam faciunt, dum fœderatus fœderati injuriam propulsare tenetur, quantum potest; ea namque intentione fœdera gentium Jus sancivit omni ævo, ut amici armis hostes terrere, & suos tueri possent; & fœderatio duorum unum quasi corpus constituit quo ad defensionem, & auxilia mutua, ut ex

Bartol. Innoc. & aliis notat Reinkingk *Regim. sacul. Lib. 2. Clas. 3. cap. 3. n. 18. & seqq.* Card. Mantica de *tacit. Convent. Lib. 27. tit. 7.* quoties autem illi, qui fœdere juncti sunt, secessionem faciunt, & se dissipari patiuntur, dubitari amplius non debet, quin paulatim omnes cladem aliquam accipiant, ejusque rei plurima extant Documenta, ut habet *cit. Reinkingk. n. 43.*

VIII. Concluditur 8. si inter duos Principes, vel duas respublicas facta fuit confœderatio, quâ, ut moris est, promiserunt se invicè defendere; si alter postea incipiat contra tertium gerere bellum *injustum*, quòd alter non teneatur ei opem ferre; quia fœderati tantum debent se invicem juvare in bello justo. Cardin. Mantica *Lib. 27. tit. 7. num. 27.* neque pactiones tales porriguntur ad bella, quibus justa causa non subest: hinc Lacedæmonij priusquam bellum in Athenienses susciperent, Sociis omnibus de justitiæ causa judicium permiserunt. Et Romani Græcis de bello in Navidem. ut ex Livio habet Grotius *cit. L. 2. cap. 25. n. 4.*

IX. Concluditur 9. Quòd verba in fœderibus accipienda, & interpretanda sint ex proprietate, non grammatica, quæ est ex origine; sed populari, quæ est ex usu, quo communiter accipiuntur; sive *fœdus pacis* initum sit cum hoste, sive fœdus *Symmachia* cum amicis contra Communem utriusque hostem, idque tam in pangendo, quàm in servando fœdere. Grotius *Lib. 2. cap. 16. §. 2.*

X. Stulto igitur perfidiæ effugio usi sunt Locri; cum Polliciti, se pacis staturos, quamdiu terram hanc insisterent, & capita humeris gestarent, terram calceamentis injectam, & aliorum capita humeris imposita abjecerunt, quasi eò modò Religione se possent exsolvere. Nam rectè Cicero dixit *Off. 3.* ejusmodi fraudibus adstringi, non dissolvi perjurium. *cit. Grotius:* qui & arguit, si triginta dierum induciæ pactæ sint, non debere de naturalibus, sed civilibus intelligi; sic homines, qui reddere promissit vivos, non mortuos reddere debet, contra, quàm cavillati sunt Plataenses: sic & exitus ex urbe si liber promittatur, intelligi debet, ut & iter tutum sit, contra, quàm fecit Alexander: sic pars navium dimidia promissa in divisione, integrarum intelligi debet, non sectarum, contra, quàm fecerunt Romani Antiocho.

XI. In ambigua vocè potius accipienda inter-

interpretatio, quæ vitio caret; sic non admittenda Cavillatio Brasidæ, qui pollicitus agrò Bæotò se decessurum, negabat, *agrum Bæotum esse*, quem exercitu possideret, sed *sumum*, quasi de bellica possessione, non de finibus antiquis ea vox intelligenda esset, quo sensu inanis fuerat pactio. Debent item verba intelligi secundum subjectam materiam, non secundum calliditatem, aut mentis restrictionem, quam subdolos quispiam fors decipiendi causâ adhibet. Everhardus à Middelburgo *loco à subjecta materia.*

XII. Æquivocationes, amphibologiæ, restrictiones mentales, & similes astutiæ in fœderibus Jure gentium locum non habent; sed sincerè petit hoc Jus sensa mentis proloqui verbis; id enim omnes gentes persuasum habent, quemlibet manifestare ea, quæ mente concepit, candidè prout concepit, absque furo; estque tacitum hoc inter gentes pactum, & mutua obligatio, sine qua fraudibus scaterent omnia, tutò fidi posset nemini, Commercia jacerent, Candor, & homines sinceritatis amantes opprimerentur, vafrities, & homines fraudulentæ prævalerent, & utinam non prævalerent! signa mentis nostræ verba sunt ab hominibus instituta, ut iis sua animi sensa sibi invicem manifestent, ideo à natura ita sunt instituti mortales, ut sonos ope linquæ, dentium, labiorum, palati &c. in articulas formare voces ad sententias mentis exprimendas facillè addiscant, quod negatum à natura animalibus; atqui satius foret, homines omnes mutos persistere, quam verba menti discrepantia proferre, ut nemo audiens tutò judicare possit, consentiantne verba, quæ orè quisque profert, iis; quæ animo concepit, nec ne. Sed & idem in commodum genus humanum per æquivocas, restrictas, & reservatas mentis locutiones pateretur; neque enim perspicere audiens quisque potest omnes subtiles mentis reservationes, omnem sermonis complexionem *πελύσημον*, seu quæ plures significatus admittit, omnes amphibologias; quibus loquens sermones suos, si astutus sit, involvere potest; quod si facit quispiam in pactis, conventionibus &c. etsi verba menti suæ fraudulentæ fors respondeant, audientem decipit, cui si aperuisset, verba sua se proloqui sub ea restrictione, quam subdolè tegit, certè alter non in tale fœdus, talem conventionem consensisset; igitur hæc pactum, quod inter gentes est violatur. Maximè autem isthæc

abesse debent à fœderibus publicis, quorum pactio sanctissima esset debet; quia sub juramento sancitur; & quia fides publicè data magis obligat, quàm quævis privata promissio.

XIII. Cæterùm ejusmodi fœdera, ac pacta inter summos Principes, & respublicas superiorem non recognoscentes solo Jure naturæ, & gentium reguntur; non Jure Civili, nisi quantum hoc à pluribus gentibus acceptum in Jus gentium transiit; quia summæ potestates, quæ tales sunt, Juri Civili non subsunt.

Subsunt tamen omnes Principes, & respublicæ Christianorum SS. Canonibus, quibus ligantur omnes, qui per Baptisum Christo nomen dedere, ut postea dicemus: quare canones Innocentij XI. quibus ab usum restrictionum mentalium, & amphibologiarum damnat, etiam ad supremas potestates se extendunt; qui canones tres has propositiones fulminant, atque è gente Christiana eliminant.

1. Quæ est n. 26 ita sonat: *si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* 2. Quæ est n. 27. ita sonat: *Justa causa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censatur tunc expediens, & studiosa.* 3. Quæ est 28. sic sonat: *Qui medianse commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.*

XIV. Sicut autem omnibus, ita maximè summis Principibus fides cordi esset debet, quam multis salubribus exemplis, & monitis nervosè, more suo, inculcat Principibus Lipsius *Lib. 2. Monit. Polit. cap. 13.* ubi demonstrat, Dei providentiâ callidos impostores, quantumcunque subtilibus suis consiliis, raro, aut nunquam ad potentiam pervenire; aut si perveniant, in ea non esse firmos. Principem ornata fides, infamat perfidia, servanda fides est Principi erga populum, populo erga Principem: servanda inter privatos, servanda erga vicinas respublicas, servanda erga hostes; nec

G

nec in secundis modò, sed in omni fortuna, manere constans debet in factis, dictisque omnibus, hæreat animo, ac cum eo confiteatur dictum Romani sapientis: *Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio: ure, inquit, cede, occide, non prodam: sed quò magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condam.* Adamus Contzen *Lib. 3. polis. cap. 7.* & flagitiosa est eorum Principum ratio, ut idem Scriptor ait, qui postquam imperia in tuto collocarunt, varias violandarum promissionum prætextus inquirunt, nec desunt improbi palliandæ perfidiæ artifices, quibus nihil tam receptum est, quàm fallere fidem. Fallacia certè justos non facit, fides enim justitiæ fundamentum est; quamvis verò ubi magnitudo quaestuum spectatur, integra rarò permaneat fides, manet tamen firmum, ratumque Romani consulis elogium; *non ulla res vehementius rempublicam continet, quàm fides; bene Q. Marcus apud Livium, favere pietati fideique Deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigij venerit, Lips. cit. cap. 13.* certè ut homines decipiat, quispiam, Deum non decipiet, de quo rectè ille cecinit:

*Ἀφρώπυς μὲν ἴσως λήσεις ἀποπύ τι πηήσας  
ἔλθεις δὲ θεῶς ἔδῃ λογιζόμενος.*

Vestra quidem malefacta homines forrasse latebunt,  
At mala nec lateant pectore recta Deos:

XV. Amurathes Turca Uladislau Hungariae Regem, quem priorem rupisse foedera caulabatur, ad Dei Tribunal pugnaturus reum agit; foederis enim testes literas ante prælium legit, atq; ita apud Bonfinium perorat; *Hæc sunt IESU Christe foedera, quæ Christiani tui mecum percussere; per nomen tuum sanctè jurarunt, dasamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfidè Deum suum abnegarunt: nunc Christe, si Deus es, ut aiunt, & nos hallucinamur, tuas, measque injurias, te queso, ulciscere; his, qui nomen tuum sanctum nondum agnoverunt, violata fidei pœnas ostende.* Utcunque res acta sit, prælium anceps posthæc inclinavit, & Turcæ secundus fuit. Contzen *loc. cit.*

XVI. Illustre fidei exemplum reliquit Franciscus Galliarum Rex; cum enim Carolum Quintum comiter excepisset, atque à suis moneretur (sicut nunquam desunt Regibus, qui ad sinistra instigent) ut violata fide Carolum, quem in potestate modò haberet, captivum detineret, repoluit, *si fides in toto orbe terrarum exularet, eam tamen Regibus tenendam esse, qui ea sola, nullo autem metu constringi possent.*

Notabile dictum, & res sic habet. Alios Lex, aut poena coërcet, Principes solus pudor, aut fides. Lipsius *Loc. cit.*

XVII. *Germania nostra, inquit, Contzenius loc. cit. §. 7. fidei semper inconcussa servatrix Imperium diutissimè tenuit, & quod mireris, nec in aliâ gente invenias, tot annos nullus Germania Rex, nullus Augustus ab exteris in captivitatem ductus est, aut in acie cecidit, & plurima tamen bella gesserunt. Pomeranos, Rugos, Livonas, Sclavos, Helvetios, aliisque domuerunt. Verum hoc quoque mireris, annis penè octingentis sex tantummodo Imperatores à suis in ordinem redactos, Carolum Crassum, Ataulphum, Wenceslaum, Henricum Tertium, Otthonem quartum, Fridericum secundum, & hi quoque à Germana sinceritate degeneres fuerunt; merito sanè Imperatoribus fidei, & iurisjurandi tenacibus fides quoque, & iurisjurandi Religio à suis præstabantur. Interim dum perfidia civilis orientale vastat Imperium, Imperatorum octoginta sex, aut septem sanguine se contaminaverunt, fallere fidem didicerant, & suis factis pressi, atque imperfecti sunt.* Sic Contzenius. verè parcœmia: *perfidia in auctorem recidit: Untrey schlägt sein eyggen Herren.*

Neque alia re augustissima domus Austriaca tam feliciter per tot annos fasces Imperii rotavit, quàm sincerâ fidei, Religionisque observantiâ, custodiâque. • Turpe est illud: *non sum mancipium verborum meorum: honorificum illud germanorum: ein Mann ein Mann ein Wort ein Wort.* Virorum est verbis stare.

XVIII. Si à serenissimo fidelitatis sole suo Austriaco omnia perinde germaniæ climata in se se derivari sinerent candidos hosce avitæ fidei, Religionis, & sinceritatis radios, faustiora profectò etiam illi lucerent sidera, & secundiore frueretur Numine; sed prò dolor! sincero huic Candori apud multos atramentum inspersere alieni mores ex exteris Regionibus advecti, quibus germana fides labascit, atque technis, astutiisque substructa vacillat, dum horum quisque sua duntaxat privata emolumenta sectatur, & dum quæ boni communis sunt, pensi non habet, mala invalescant necessum est. Id quod nuper Pœtes nostri ævi hisce strophis lamentatus est.

Candor Columbæ luditur,  
Rerum potitur astus.  
Ni verba scis versatilem  
Ceum turbinem rotare,  
Et æmulari cochleas,  
Cuniculòsque tectos,

Ergo

Eris minervæ simplicis,  
Mentisque Davus albæ.

Kein Lauben nichts mehr gelten kan /  
Der Fux der hats gewonnen /  
Ein Wort / kein Wort / ein Mann / kein Mann /  
Heißts jetzt / so weit ists kommen.  
Kein Freund dem andren trauct mehr /  
Die Red auff Schrauffen stehet.  
Das Herz ist falsch / die Wort seynd leer /  
Die Treu wie Schnee zergethet.

Ut fons serenus inspici  
Pellucidum liquorem,  
Garrire gestit intimi,  
Secreta cuncta fundi,  
Sic pura quondam Teutonum  
Crystallus ore fluxit,  
Nemo vocabat Tartarum  
Pro teste, vel tonantem.

Vor Zeiten ist auß teutschem Mund  
Ein pur Crystall gestossen /  
Was man verheissen auff ein Stund /  
Das hat man nie umbgestossen:  
Es war alls hell / wie Bronnen-Quell /  
Alls ganz Durchleucht gehohren ;  
Es bleibt darbey / bey meiner Treu /  
War hoch / und theur geschworen.

Perire pulchrum ducimus,  
Et facta provocamus,  
Aras, focosque prodimus,  
Et hosti vendicamus.  
Equus probatur aureus,  
Sic, esto, fœtus armis,  
Fatale donum Palladia  
In arte collocamus.

Wir suchen selbst den Untergang /  
Und lieben unfre Wunden :  
Wann man nur hört den Silber / Klang /  
So ist das Smüch schon bunden.  
Geh's wie es woll / wann nur sein vdl  
Mit Gelt der Beutel gfüllt /  
Es wackelt der Glaub / als wie ein Laub /  
Das Gelt den Meister spillet.

S. VI.

De Jure Gentium latè accepto: &  
de Religione.

1. *Quæ sint juris gentium sine mutua obligatione inter gentes?* n. 1.
2. *Inter hæc præcipue est Religio.* n. 2. & 3.
3. *Omnes baptizati tenentur Deum colere in Religione Catholica.* n. 4.

4. *Refutatur Religio Politicorum, & indifferentiarum, & ostenditur, quod non quilibet possit in sua Religione salvari.* n. 5. & seqq.
5. *Exempla illustria.* n. 8. & seqq.
6. *Subministratur ratio perveniendi ad cognitionem veræ Religionis.* n. 11.
7. *Summum negotium maximè negligitur.* n. 12.
8. *Exempla.* n. 13.
9. *In nullo negotio genus humanum turpius errat, quàm in negotio Religionis.* n. 14. 15.
10. *Ethnici Judæorum, & Christianorum Religionem subsannabant,* n. 17.
11. *Sunt, qui Religionem in Politicis numerant.* n. 18. & 15.
12. *Hæcucinato Tamerlanis, quemque in sua Religione salvari.* n. 19. 20.
13. *Consutatur.* n. 21. & seqq.
14. *Lutherus Seducor Virginis montalis capitis rem. Calvinus stigmatè notatus.* n. 22. & 23.
15. *Objectio, & ejus solutio.* n. 24. & 25.
16. *Motiva credibilitatis.*

**L. Q.** Quæ sint Juris gentium improprie dicti, & sine mutua obligatione? R. Sunt varia hujus exempla. Nam huc spectat  
1. Usus panis pro cibo. 2. Constructio ædium. 3. Munitio civitatum. 4. Divisio rerum. 5. Jus postliminij. 6. Usus pecuniæ. 7. Contractus multi particulares, ut emptio venditio, & similia, quibus nationes pleræque intra se utuntur ob particularem singulorum utilitatem, quam, & non communem totius gentium collectionis, sive communitatis humanæ felicitatem pro fine habent. Wiestner, 56. Suar. loc. supra cit. n. 10., qui tamen n. 8. censet, postliminia, quæ sunt Jus recuperandi libertatem amissam, vel redeundi ad priorem statum à liminibus captivitatis, plus habere de jure Civili, quàm gentium, quod videatur quædam moderatio pœnæ captivitatis, aut servitutis, vel amissionis bonorum, vel deprædationum hostilium, quæ maximè in bello contingunt, quæ non est tam universalis omnium gentium, sed Jura civilia maximè de illa loquuntur.

II. Præcipue verò huc spectat Religio, seu determinatus modus colendi Deum per sacrificia, per certum statum hominum specialiter ad sacrificia, & cultum Dei destinatum, in quibus in communi omnes ferè nationes, & republicæ consentiunt; quamvis in particulari modo fuerit, & adhuc sit magna inter varias gentes, varietas. Suar. cit. cap. 19. n. 10.

III. Circa hoc tria notanda. 1. *Cultus Dei absolute est Juris naturæ.* 2. *Certus modus colendi Deum (sive certa Religio, quæ nihil aliud est,*

est, quàm certus modus, quò Deus coli velit) ad æternam salutem consequendam necessarius est Juris divini; qui modus in veteri testamento non erat, nisi in Synagoga, seu Religione Judæorum; in novo testamento non est, nisi in Ecclesia vera Catholica à Christo ipso instituta, quò, & non aliò modò Deus coli vult: *Qui enim Ecclesiam non audierit, sit sibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Matth. 18. v. 17. 3. Alij modi, & ritus in communi, & quomodocunque colendi Deum sunt Juris gentium improprie dicti;* quia omnes passim gentes in hoc conveniunt, sinè tamen obligatione, & pacto mutuo unius erga alteram.

IV. Omnes tamen Baptizati, quia per Baptismum Ecclesiæ Catholicæ, & Christi in terris vicario subijciuntur, Jure Divino obligati sunt DEUM colere, ut colit Ecclesia Catholica; licet enim hanc multi spernant, & ab ea defecerint, per hoc tamen à Jure hoc non eximuntur; spernere enim Jura, ea conculcare, atque ab iis deficere, non est Juris, ut expedite ad ejusmodi objectiones respondeatur, & sæpius, ubi hoc argumentum redibit, repetam.

V. Quare inane est ad æternam salutem consequendam solatium, quò Politici, & Religionis Indifferentista, ut vocant, dum claris argumentis convicti vident, Ecclesiam Catholicam firmiter longè argumentis niti, quàm omnes alias sectas, quæ seditiosè ab illa recesserunt, sibi blandiuntur, & alios blandiendò decipiunt, dum ajunt: quemlibet in sua Religione, modò Christiana ea sit, & præcipua Christianæ Religionis capita contineat, posse salvari; hoc enim si esset, omnes hæretici in primitiva Ecclesia damnati, & ab Ecclesia rejecti salvari potuerunt, ut Pelagiani, qui negaverunt, peccatum originale, & gratiæ internæ necessitatem; Novatiani, qui lapsos ad poenitentiam recipere recusabant, & alij innumeri; quod si admittatur, erravit prima Ecclesia, primi Patres eos ex Ecclesia ejiciendo, vana fuerunt tot Concilia tanto molimine contra eos instituta; ineptè tot Martyres elegerunt tot tormenta, & mortem ipsam potiùs subire, quàm eorum hæresi subscribere: pessimè fecerunt majores nostri in Germania, quot quot ab Ecclesia Romana defecerunt; quid enim opus fuit tanto tumultu, tanta effusione Sanguinis, tot bellis, quibus prioribus duobus sæculis miserè ab Novatorum dissidentium infide turbas lacerata est Germania, ut nova in-

roduceretur Religio, si in priore antiqua quilibet salvari potest, ut passim defacto fatentur Acatolici? *Iter Polemicum ad Ecclesiam Catholicam veritatem Augusta anno 1708. impressum demonstr. 9. n. 8.* Salubria isthæc, si quidquam salubre, cunctis forent gentibus, si ritè pensarentur; Et quia nullo in negotio fœdius erratur, quàm in hoc negotiorum negotio, visum est rem paulò altius repetere.

VI. Sic igitur arguimus: si per modum Confendi Deum, quo eum Catholica colit Ecclesia, perveniri ad ultimum beatitudinis finem potest, quilibet ad eum redire tenetur: siquidem ipsum rationis lumen dicat, in gravissimo hoc æternitatis negotio viam tutiorem, ac certiore præferendam esse viæ dubiæ, & incertæ: at via in Ecclesia Catholica colendi Deum tutior sanè, ac certior est, cum ex utriusque partis & Catholicorum, & Acatolicorum confessione tuta sit; sectæ verò contrariæ saltem propter auctoritatem tot Catholicorum, Sanctorum P.P., tot Martyrum, tot Doctissimorum virorum, qui omnes censent, eas erroneas esse, ad minimum dubiæ sunt, incertæ, ac suspectæ; proinde à viris prudentibus necessariò posthabendæ alteri, quæ omnium judiciò certa, ac tuta est; unicum testem sectæ aliæ pro se habent, suammet assertionem: Catholica Religio duos, imo complures habet; nempe assertionem & suam, & adversariarum sectarum plurium, quæ suò testimonio confirmant hoc catholicæ Religionis testimonium. *Segneri in incredulo non excusabili parte 2. cap. ult. n. 22.*

VII. Si igitur in aliis gravibus rebus tutiora sequimur, & prudentiora, ut propterea consilia adhibeamus, & summâ industriâ perquiramus, ut, quod tutius salubriusque esse cognoverimus, id amplectamur, in vendendis, & emendis prædiis, suscipiendis bellis, pangendis scederibus, & aliis magni momenti negotiis; cur non idem præstemus in negotio omnium negotiorum, è quo pendet æternitas æternum misera, aut æternum felix? ut eò modò colamus Deum, quò ipse coli desiderat, ob quem cultum æterna præmia; & ob ejus neglectum æterna supplicia decernit. *Quid prodest homini, si mundum universum lucratur, anima verò sue detrimentum patitur? Matth. 16. 26.*

VIII. Hoc argumento Victus Henricus quartus Galliarum Rex Calvini erroribus nuntium remisit, & ad tutissimum Ecclesiæ Ro-

Romanæ gremium se recepit. Quæsit enim à magistris Religionis reformatæ, an in Ecclesia Romana esset salus? & affirmarunt. quæsit & à Magistris Parisiensis Academiæ, qui omnes erant Romanæ Ecclesiæ filij, an in Ecclesia reformata esset salus? & omnes constantissimè asseverabant, certissimum esse, neminem posse extra navim Sancti Petri, seu extra fidem Ecclesiæ Romanæ naufragium æternæ damnationis effugere; tunc prudentissimus Princeps conclusit: ergo salus certa est in Ecclesia Romana, si quis firmiter credat, quæ credenda proponit, & opere exequatur, quæ facienda præcipit: in Ecclesia autem reformata est dubia; quamvis quis credat, & operetur secundum ejus præscriptum: relinquamus ergo viam dubiam, & arripiamus certam. Thyrsus Gonzalez in *Manuale. ad convers. Machometan. parte 2. lib. 2. cap. 4.*

IX. Hoc item argumento jam plures ex Machometanis convicti veritati manus dederunt; cum cogitarent, Evangelium perinde, ac Alcoranum Christi sectatoribus salutis spem facere; cum tamen Machometanis illam tribuat solus Alcoranus, neget Evangelium: hinc consequens erat, summæ esse temeritatis, in tanti momenti negotio unius stare assertioni, etsi liceret rem tutiore locò collocare plurium testimonio fidem præbendò. Segneri. Thyrsus Gonzalez *loc. cit.*

X. Idem argumentum inter alia recentissimè fidem Catholicam persuasit Serenissimo S. R. I. Principi, ac Duci Brunsvicensi Lüneburgensi de Wolfenbüttel, cujus Serenissima Neptis Augustissimo Imperatori Carolo VI. Hispaniarum Regi nuptui tradita est, ex consilio protestantium Theologorum Helmstadiensium, quòd in Catholicâ Religione æquè, ac in sua, in qua nata erat, salvari ea posset: cui hoc Disticho applaudunt:

I, licet, Elisabeth, nullo sub Judice lis est,  
Salvificam Caroli Regna tenere fidem.

XI. Certè qui animò serenò, nullis passionibus turbatò, & in æquilibrio positò, nullamque in partem præoccupatò (quod ad rectam deliberationem requiritur) consideraret quinquaginta illa motiva, quæ ad veram Religionem indagandam proponuntur in eurtò libello recentissimè edito, & ad germanicæ Nationis utilitatem germanicò idiomate excusò Moguntia 1710. adhiberetque regulas deliberandi in ejus præmio succinctè nota-

tas; sique adderet synceram Lectionem *Increduli inexcusabiles P. Pauli Segneri* latine excusi Dilingæ 1696. certè, inquam, qui isthæc pro salute animæ suæ ritè faceret, atque motiva, & rationes cum motivis, & rationibus suæ sectæ, qualiscunque ea sit, componeret, deprehenderet viam, quæ ad salutem probabilior, tutior, certa esset. Sed pro dolor! longis deliberationibus discutiuntur alia negotia; hoc negotium, quod maximum, imò unicum mortalium omnium esse deberet, è quo penderet æternitas, negligitur; reperiunt homines tempus ad omnia alia tractanda, ad tractandū de statu elevando, de bonis conquirendis, opibus augendis, suppetit tempus ad vacandum deliciis, recreationibus, voluptatibus, vanitatibus; huic verò negotio animæ tempus subtrahitur omne, seria cogitatio omnis; aut si quæ eum in finè leguntur, perfunctoriè leguntur, aut animò passionibus occupatò leguntur, & sæpè leguntur eâ mente, ut contemnuntur, non ut ritè, & exactè syncerò Judiciò discutiuntur.

XII. Deplorat mortalium in negotio salutis incuriam, & cæcitatem devotissimus Thomas de Kempis in aureo suo libello de Imitat. Christi lib. 3. cap. 3. *Plures sunt, qui mundum libentius audiunt, quàm Deum, facilius sequuntur carnis sue appetitum, quàm Dei beneplacitum: promittit mundus temporalia & parva, & servitur ei magnâ aviditate: ego (Deus) promitto summa, & aterna, & torpescunt mortalium corda, quis tantâ curâ mihi in omnibus servit, & obedit, sicut mundo, & Dominis suis servitur? erabescit Sidon, ait mare, & si causam queris, audi, quare. Pro modica præbenda longa via curritur, pro aeterna vita à multis vix pes semel à terra levatur. vile pretium quaritur; pro numismate interdum surpiter litigatur; pro vana re, & parva promissione die, nocturneque fatigari non timetur. Sed, pro pudor! pro bono incommutabili, pro præmio inestimabili, pro summo honore, & gloria interminabili vel modicum fatigari pigritatur.*

Concinit Poëta Poëm. de vanit. Mund.

Cantantur hæc, plorantur hæc,  
Scribuntur, & leguntur;  
Videntur hæc, ridentur hæc,  
Et lecta negliguntur.  
Caduca, fluxa vanitas  
Quantò paratur aurò!  
Æternitas dupondis  
Non æstmarur aurò.

Man weint und singt dieß 3' Feld und 3' Haus /  
Man schreibt darvon eins schreiben:

H

Schreib

Schreib hin/ schreib her/ man lache dich auß/  
 Und lass's bey'm nächsten bleiben.  
 Nach Uppigkeit/ und Eitelkeit  
 Thut Geld/ und Silber lauffen/  
 Die Ewigkeit/ und Seeligkeit/  
 O Schand! will niemand kauffen.

Ahemitur vallis lachrymarum plena talentò  
 Uno cum numò posset Olympus emi!

XIII. Omnibus scintillat lux rationis, colendum Deum, quam Ethnici quoque viderunt; Agesilaus Rex Spartaë venerabatur delubra etiam in hostico sita, ab ipsique vim militum, & injuriam abstinebat, quod exillimaret, Divina auxilia non minus in hostili, quam amico solo imploranda esse. Alexander Magnus in ardua, & longa obsidione Tyri, Urbis Judæis finitimæ, ab Judæis auxilia petierat, repulsus, quia cum Dario vetustius iis foedus erat, omnia cædi destinabat; sed Judæorum Pontifice cum populo pacis specie obviam eunte Religione motus urbi, ac genti veniam benignè dedit; quin præmia, & honores addidit. Antiochus Hierosolymam obsidens, obsessis ad cultum Dei perficiendum boves auratis cornibus cum magna vi thuris, & odorum in urbem transmissit. Varia addit Lipsius exempla *Monit. Polit. l. 1. cap. 2.* de Sacris nec in periculis deferendis, & Sacris Antilitibus honorandis &c., & assertum firmat, Religionem firmamentum, & vinculum esse reipublicæ, & ubique Colendum Deum, etiam inter hostes.

XIV. Interim nullo in negotio turpius erratur in humano genere, quam in hoc Religionis negotio; neque ulla in re vaferimus homines dementat magis Dæmon, quam verum ut disturbet cultum Dei: miseratur Lipsius cum Plutarcho humanam conditionem, sive *ἀνθρώπινην ἀδελφικὴν, ὅρον ἐκ Ἰχθυσαν, ἀλλ' ἐκ-Φερόμενην, ὅπως μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν, καὶ τύ-Φον, ὅπως δὲ εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θεῶν, καὶ περι-Φρόνησιν. Humanam imbellisatem, que finem, aut modum non habet, sed aliàs abripitur in superstitionem, & vanitatem, aliàs in neglectum rerum divinarum, aut contemptum.*

XV. Deum immortalem! in quantas enormitates coniecit humani generis hostis gentilitatè, quam ineptos habuere Deatros? quam adhuc ineptioribus eos ritibus coluere? quantam animarum stragem fecit inter Christianos per varias, & plurimas excitationes à Christi temporibus hæreses, quarum quælibet novam cedere volebat colendi Deum methodum?

Quousque in Devias ambages mortalia peccata, quibus inscriptum lumen asserit, Deum Colendum, redegit? *maxima pars hominum, ait Sibrandus Lubbertus contra Faustum Socinum apud Contzen. lib. 9. cap. 10. §. 2. Similis è judicat de laboribus, & curis, quas Doctores in explicandâ, & defendendâ doctrinâ Christianâ ponunt. multi enim Religionem tanquam inanes fabulas, & terriculamenta ad hominum animos percellendos excogitata vident, & subsannant; hi putant, omnes contentiones de dogmatis Christianâ doctrinâ tantum esse logomachias; & quia in corde suo omnem Religionem vident, eamque nullum alium ob finem præstare, quam ut emergant, suis animis mentiuntur aliorum animos, indignanturque, & fremunt, cum vident, aliquem esse, qui ipsorum cupiditati subservire, judicioque applaudere recusat.*

XVI. Ridetur autem Religio; quia è fide in Deum pendet, quæ sperandarum cum sit substantia rerum, & argumentum rerum non apparentium. Hebræ. 11. 1. Difficilis est perceptu hominibus carnalibus, & nihil supra sensum, & animales cupiditates sapientibus, ideo, quod haud intelligunt, rident.

XVII. Judæos olim, & Christianos subsannabant gentiles, cum de innocente protoplastorum ruditate, & de fraude serpentis, de Orbis diluvio narrarent, quæ omnia sarcasmis, & blasphemis diceris eludebant. Quando serpentes loqui desissent? Quo cultro costam Adamo Deus excidisset? &c. Hinc pari modo fabulas suas credi, aut hæc non credi volebant: miracula Christianorum præstigiis, & magicæ arti adscribebant, aut, si possent, facta negabant; quæ nostrò ævò imitantur Acatbolici, dum miracula, quæ luce meridiana clariora sunt, subsannant; & dum credunt, quod lubet, non quod credendum, malunt nescio quibus ethnicorum historicis habere fidem, quam gravissimis Christianis historiographis ante- & post exortam suam sectam ut ut magnò numero asserentibus miracula; Ethnicorum apophthegmatis libros suos infarciunt, Catholica, quia Catholica sunt, negligunt, spernunt; nævus est esse Christiana, sed sue opinioni adversantia.

XVIII. Sunt & non pauci, qui Religionem in politicis numerant, & quæ commo- do temporali magis subservit, ei se, vel potius eam sibi accomodant.

Prodit nuper anno 1708. in lucem libellus Francofurti impressus, cui titulus; *Breviarium*

*Politi-*

*Politicorum*, seu *Arcana Politica*, carnificis manu, & igne dignior, quàm luce publicâ, qui pestilentissimâ, & atheisticâ doctrinâ foetet, is hæc de Religione habet: *Ita Politico Religioni suæ adhaerendum, ut tenaciter quidem sit ei mancipatus intrinsecè, sed extrinsecè coram alijs (si temporis, & loci necessitas id voluerit) in adiaphoris eam simulare, dissimulareque semper contra levitatis notam discat; aperta enim Religio sæpè assequi finem politicum hominem impedit. Sed simulata Religio finem ultimum beatitudinis æternæ assequi non sinit.*

XIX. De Tamerlane refert Segnerius noster in *Incredul. non excus.*, illum cum exercitu suo victore Solymam delatum ad loca Servatoris nostri præsentia consecrata, cã potenti intus divinæ gratiæ motione fuisse percussum, ut emollitus sine lacrymis audire non posset historiam sprete, contempti, & dirissimis cruciatibus enecti Servatoris cuncta hæc ad mortalium genus redimendum perpeffi, allectus proiu occultis invitationibus ad amplectendam ejus religionem tam æquitati consentaneam, ita secum arguere cœpit: *Sicut gloriosum est Monarcha alicui multis iura dicere nationibus, etsi moribus, ac institutis ista discrepent; ita non minus honorificum futurum Deo, si variis colatur Religionibus, quæ & dogmata, & ceremonias diversas habeant.* Atque hoc stygio philtro sopivit oblatrantis animi tumultum, quo ad eum è somno excitandum perstrepebat.

XX. Nec aliter similes latratus compefcunt Machometi affectæ alij, ipsi non dissimiles: non aliter Judæi, non aliter Hæretici, non aliter Pseudopolitici, qui assueti suis in navigationibus non alium respicere polum, quàm sua emolumenta; si non aguntur rectâ in scopulos Atheismi, his saltem hærent sirtibus.

XXI. Omnes foedè hallucinantur, & hoc argumento convincuntur. Idem planè (verbis Segnerij loquimur) est admittere omnes ejusmodi Religiones tanquam aptas ad salutem, quam nullam prorsus admittere. Quæro enim: an non Religiones istæ inter se pugnant? an non negat una, quod affirmat altera? an non una è Diametro adversatur alteri tam in iis, quæ credenda, quàm quæ agenda sunt, ut suus Deo cultus adhibeatur? Hoc certè & earum authores, & dogmata monstrant, siquæ in hisce non discrepent non essent plures, sed hoc ipso una Religio: si au-

tem inter se tantopere discrepant, quomodo eas omnes Deus, à quo oportet beatitudinem conferri, velut sinu complecti potest, omnes probare, omnibus mercedem eodem largiri modo? an non Deus ipsa est veritas? quomodo igitur usque adeò ejurare se ipsum potest, ut descendat ad dandam mendacio mercedem regni perpetui, & mendacio, quod pro ratione ipsum colendi venditatum sit? Idem proinde est asserere omnibus in diversis Religionibus patere ad cælum iter, quàm contendere, non minùs placere Deo *fidem falsam*, quàm *veram, confessionem fictitiam*, quàm *sinceram*, quod profectò idem est, ac velle Deum non esse Deum.

XXII. Sophisma est, quo sibi imposuit Tamerlanes; populi enim, quibus imperat Monarcha, etsi moribus, ac nationibus differant, omnes tamen venerantur Monarchæ legem fundamentalem, ac universalem, adorantque ejus imperium, quo omnes suos vult regi populos; atque hoc ipsum gloriosum est Deo, si omnes diversissimæ nationes reverentur legem fundamentalem, & imperium, quò vult coli: at contrarium faciunt sectæ ab Ecclesia alienæ, nolunt admittere legem Catholicam universalem, quæ est lex fundamentalis, quâ coli cupit Deus, quæ à Deo ipso lata, & tubinde tot miraculis, ac prodigiis, tot argumentis affirmata, ut alia nulla similibus gloriari possit; stare volunt legibus suis, etsi & omnes, & singulas ille, ut in se injurias damnarit, & de lectarijs nostri temporis loquendo, quo arbitrio, quæso te, ductuque novam suam colendi Deum methodum, & ut vocant, *reformationem* induxerunt, atque ab Ecclesia Catholica recesserunt? suone, an alieno? *si ductu suo*; manet robur argumenti, non colunt Deum, ut coli Deus vult, sed ut ipsi volunt colere, sequentes propriam sensum, ac Spiritum tam multiplicem, ut, quot sunt capita, tot sint sententiæ; *si alieno ductu*; igitur Lutheri, & Calvinii ductu; sed quinam fuêre gemini hi quinti Evangelij præcones? Lutherus perfidus, ac perduellis sacræ suæ familiæ seductor Virginis monialis per leges Cæsareas pœnæ capitis reus. L. 5. C. de Episc. & Clericis ibi: *si quis non dicam rapere, sed attentare tantùm jungendi causâ matrimonij sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœnâ feriatur.* Calvinus ipsi adeò naturæ rebellis, qualem ipsum demonstravit stigma illud probrosum, quod in humeris circum-



cumtulit. Bolsec. in vit. Calv. C. 5. Staplet. &c. apud Segneri cit. C. ult. n. 9. Cornelium Hazart in Histor. Eccles. Gall. cap. 8. ubi stigma Calvinii ex instituto examinatur, & illud ex 16. authoribus tam Catholicis, quam Lutheranis, atque varijs rationibus demonstrat contra Andream Rivet, cujus argumenta opposita diluit cap. 9. & eum quatuor mendaciorum arguit.

XXIII. Erubescunt hos Authores plerique honestioris notæ, scripturas appellant, Evangelicos se nuncupant: at iterum quot capita, tot sententiæ, de ipsa scriptura altercantur ipsimet, unus hoc, alius alio modo prorsus opposito eam exponentes, ut in Mysterio Eucharistiæ, & alijs articulis monstrant eorum dissensiones.

XXIV. At, inquires, in omni Religione, Christiana maximè, reperiuntur homines, qui honorant Deum, etsi non eodem honoris genere: stant bona fide pactis conventis; sunt munifici: miseratione inopum tanguntur, & sua vivendi ratione per sæpe Catholicis ruborem incutiunt; an igitur sine præmio hoc facient? an ita inclemens Deus, ut maximam hominum partem, quæ extra Romanam est Ecclesiam, perire sinat non ob aliud, quam quia non cognovère hanc Ecclesiam, in qua vult coli? certè ut ad eundem portum ventis etiam contrarijs tenditur, si rectè ijs Navarchus uti poterit, ita (relictis doctorum disputationi controversis quæstionibus) quilibet utendo medijs, quæ sua ipsi Religio suppeditat ad salutis portum pertingere posse videtur.

XXV. Scopulus hic est, ad quem veram salutis viam prætervecti, naufragium faciunt tot animæ: ostendimus & ostendit ipsum rationis lumen securiore itinere, non temerè navigandum esse ad salutis portum; quod & Navarchi, ni desipiant, maria pernavigantes faciunt; navigia per eam dirigunt viam, quam plurium testimoniò securiorem cognovère, quid ni idem fiat in negotio salutis? virtutes, quas jaçant, politicæ sunt, quales & Ethnici multas exercuere, quæ nisi à vera pendeant fide, Deo haud placere possunt. Ubi enim *fides vera non est, nec potest esse vera justitia*, S. Aug. de serm. Dom. in monte c. 29. apud Segneri: quare virtutes illæ, quia à fide supernaturali non moventur, plane præmia æterna, & supernaturalia non merentur, neque magis placent Deo, quam illæ eadem virtutes, quas olim Ethnici Romani, Græci &c. exercuere, neque cul-

tus, & honor Deo est acceptus, nisi eo modo honoretur, quo honorari cupit.

Honoravit Saul Deum, victimas obtulit 1. Reg. cap. 13. melioribus ovibus, & armentis pepercit, ut immolarentur Domino Deo suo 1. Reg. cap. 15. nunquid placuit Deo cultus hic religiosus? nunquid præmium tulit Saulus de hac sua virtute Religionis? imò gravissimè propterea est punitus, & regno exutus, quid ita? quia non hoc, sed alio modo coli voluerat Deus, excidio Amalecitarum, & obedientiâ Samueli exhibitâ; *nunquid, inquit v. 22. Prophetes, vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? melior enim est obediencia, quam victima, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ non aquiescere, pro eo ergo, quod abjecisti sermonem Domini, abjecisti te Dominus, ne sis Rex.* Solet tamen ejusmodi virtutibus umbratilibus reponi merces pariter umbratilis; redduntur talibus felicitates in hac vita, honores, opes, trophæa, victoriæ, regnorum, aut provinciæ incrementa; quæ non nisi umbra sunt bonorum, quæ in altera vita sincera in Deum pietati rependuntur. Quod ad homines, quæ veram fidem haud agnoscunt, spectat, supra dictum est, si faciant, quantum est ex se, Deum non denegaturum gratiam suam, neque in tenebris eos relicturum.

XXVI. Cæterùm immensò intervallo Religionem Catholicam credibiliorem reddi, quam qualescunque sectas ei adversantes demonstratur ad oculum ex sequentibus capitibus.

### Motiva credibilitatis.

1. Ex studio perfectionis, quod multo majus inducitur à Catholica Religione, unde etiam incomparabiliter majores semper Sancti extiterunt inter Catholicos, quam inter sectarios quoscunque. 2. Ex minore in nostra Religione peccandi licentiâ. 3. Ex miraculis, quæ apud Catholicos fuere, suntque etiamnum plurima, & perquam conspicua, ac indubitata, non item apud sectarios. 4. Ex gentium conversione, & legitima ad eandem missionem virorum Apostolicorum, quæ est apud Catholicos, non apud alias sectas, dum apud Catholicos viri Zelo animarum præditi cum vitæ periculo inter maximas ærumnas conversioni Ethnicorum amore Dei invigilant inter

bar-

Barbaras etiam nationes. 5. *Ex antiquitate*, & perpetuitate Religionis Catholicæ, quæ à temporibus Apostolorum hætenus perseveravit, dum interim variæ sectæ vel dudum fuere extortæ, & dudum pariter extinctæ, vel recens ab uno primùm & altero sæculo excitatæ, & in plurimas inter se se dissensiones circa ipsos articulos fidei distractæ. 6. *Ex uniformi doctrina in rebus fidei per totum orbem*, ubi Ecclesia Catholica existit, dum interim sectarij inter se divisi de articulis fidei digladiantur, & identidem aliqua immutant, unde etiam nostræ Religionis nomen *Catholicæ* adhæsit. 7. *Ex Successione legitima*, eaque perpetua Episcoporum Romanorum in sede S. Petri, cui oves suas pascendas Christus comisit, dum sectarij interim sunt velut oves sine pastore, hinc inde errantes, & non convenientes in iisdem pascuis veræ doctrinæ. 8. *Ex p. Icherrima Hæserarchia*, quæ datur in nostra Ecclesia, non itè in sectis; ubi nullum, vel certè vix ullum plebis, & sacerdotum est discrimen, & ingens confusio Statûs Ecclesiastici cum Statu politico. 9. *Ex uno supremo Iudice sensibus ac regula externa*, & in controversiis fidei apud nos, qualis nulla datur apud sectarios, qui ex sola scriptura omnes quæstiones fidei resolvere volunt, cum tamen nec de scriptura, ejusque libris canonicis, nec de horum genuino sensu, aut versione constare illis possit absque externa ejusmodi fidei Regula. Nec sufficit, sed ridiculum est, recurrere ad spiritum privatum, qui (ut ajunt) verum scripturæ sensum & versionem ipsis inspiret; nam 1. quod talem spi-

ritum habeant ipsi, probare non possunt, sed fingunt. 2. Non possunt discernere ejus suasionem à naturalibus persuasione; unde enim cognoscit aliquis Lutheranus, se jam à privato spiritu, jam verò ab alia persuasionem moveri ad ita sentiendum, ut sentit? 3. Cum ex assentibus contradictoria quilibet pro se alleget spiritum privatum, utique is non potest esse spiritus veritatis, utilis ad controversias dirimendas.

Ex his, & alijs ejusmodi argumentis evidenter demonstratur, solam Catholicam, & nullam aliam esse veram Ecclesiam à Christo institutam; veræ autem Ecclesiæ, & nulli alteri promissa est assistentia Spiritus Sancti, qui eam errare non sinit, hæc est Judex controversiarum ferens sententiam infallibilem inter partes litigantes de rebus fidei. Plura desiderantem remittimus ad Bellarminum, Becanum, Thyrsium Ganzalez, Segneri, & alios his de rebus ex instituto tractantes.

Hæc fufius deducenda duximus, quia multi puncto Religionis pro puncto politico abutuntur, & vix prodit liber A Catholicus in lucem de quacunque re politica, aut Juridica scriptus, cui non immisceant punctum Religionis; sed argumenta consistere solent in inanibus convitijs in Romanum Pontificem jactis, cujus odio flagrant, aut in aliquos abusus, quos vel fictè, vel subinde verè unde unde de aliquo Catholico, maximè ex Clero & Religioso Statu perceperunt; aut Evangelium crepant sine ulla gravis momenti ratione, suæ sectæ.

## S E C T I O III.

DE

### Jure Politico.

**J**us positivum est, quod non ex natura rei, sed ex libera Dei, vel hominis voluntate positum est. Dividitur in Jus Divinum, & humanum. *Divinum est*, quod Deus posuit, in Veteri Testamento per Moysen, & Prophetas; in novo Testamento per Unigenitum Filium suum in terris degentem, & per Apostolos ejus Nomine. *Humanum est*, quod homines posuerunt; ut est Jus Canonicum, & Civile: de quibus quædam exponenda. Sed publica seligimus, reliqua Canonistis, & Legistis relinquentes.

S. I.

#### De Jure Canonico.

1. *Descriptio Juris Canonici. n. 1.*
2. *Ejus divisio in novum, & vetus. n. 2.*
3. *In primitiva Ecclesia non fuit distinctum à Theologia. n. 3.*
4. *Ejus Auctoritas. n. 4.*
5. *Quomodo illud doceant A Catholicis. n. 5. 6. 7.*
6. *Refutatur Daniel Kayser calumnians S. Raymundum de Pennafort. n. 7.*

I

I. Q. I.

I. **Q**uid sit Jus Canonicum? &c. Est Jus Ecclesiasticum ex SS. Canonibus collectum, à sumis Pontificibus Ecclesiæ traditum dirigens actiones hominum Christianorum ad cultum divinum, pacem, & justitiam Christianam, & ultimum finem æternæ beatitudinis Tholosan. Lancelot. &c. Etymologia est à Græco κανών quod regulam significat. Sacri autem illi Canones, seu Regulæ Ecclesiasticæ, è quibus collectum est Jus Canonicum, sunt Decreta Pontificum, & Conciliorum. Duplex enim est in Christianorum republica potestas, una *potestas Civilis*, & *politica* habens finem politicum, quæ civilem, & naturalem felicitatem civium, seu eorum vitam, quatenus naturali rationi sit conformis, dirigit in bonum commune, prout congruit humanæ societati *civiliter viventi*; & ab hac potestate profluit *Ius civile*, quod per suas leges ad hunc suum finem homines dirigit. Altera *potestas Ecclesiastica* habens finem spiritualem, quæ *spiritualem felicitatem Christianorum*, seu eorum vitam, quatenus æternæ beatitudini, ad quam conditi sunt, est conveniens, dirigit; & ab hac profluit *Ius Canonicum*, quod per sacros Canones ad finem hunc æternæ beatitudinis homines dirigit. Illam potestatem tenent Principes, & Magistratus; Hanc SS. Pontifices, & Concilia: illorum decreta dicuntur *leges*, quæ sunt Regulæ rectè vivendi *civiliter*; horum decreta dicuntur *Canones*, qui sunt Regulæ rectè vivendi *spiritualiter*. Sicut enim Deus in Firmamento Cœli posuit *duo luminaria magna, luminare majus, ut præset diei, & luminare minus, ut præset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus; ita in Firmamento Ecclesiæ universalis posuit similiter duo luminaria* (duas dignitates, duas Jurisdictiones) *quæ sunt pontificalis auctoritas, & Regalis potestas, sed illa, quæ præset diebus, id est spiritualibus, major est, quæ verò carnalibus, minor, ut loquitur Innocent. III. scribens Illustrissimo Constantinopolitano Imperatori in Can. solita. de Majoris. & Obed.* Originem suam habet Jus Canonicum à temporibus Apostolorum, & ipso primordio Ecclesiæ, ut ostendit Emanuel Gonzalez *in apparatu, & origine Juris Canonici n. 41. & 42.* cum pluribus, quos allegat.

II. Duplex autem est Jus Canonicum, antiquum, & novum; ad Jus *Canonicum antiquum* spectant Decreta Conciliorum, Pontificum antiquorum: ad Jus *Canonicum novum*

verò Decreta Conciliorum, & Pontificum Romanorum Recentiorum: eadem enim potestas, quæ fuit in Ecclesia antiqua, & ejus capite, est etiam in Ecclesia moderna, & ejus capite. Huc spectant Decreta Concilij Tridentini, Decreta, quæ extant in *Bullario Romano à D. Angelo Maria Cherubino Monacho Casinensi Collecto*; quod quia constat aliquot Tomis, sanè magnum Ecclesiæ, & Juri Canonico emolumentum accederet, si Bullæ illæ in synopsis redactæ componerentur in Canones succinctos servatâ duntaxat earum substantiâ, & resectis solennitatibus, ac alijs superioribus ambagibus, quæ in Stylo Bullarum adhibentur, ut olim in Decretalibus Epistolis fecerat S. Raymundus de Pennafort, cujus operâ libros Decretalium habemus.

Item ad Jus Canonicum recentissimum spectant Decreta Propositionum Damnatarum ab Alexandro VII. Innocentio XI. Alexandro VIII. & recentissimè à moderno S. Pontifice Clemente XI. quæ Propositiones quot continent Damnationes Doctrinæ perversæ, totidem è contrario continent Canones, seu Regulas Ecclesiasticas veram fidei, ac morum doctrinam discernendi à falsâ, ac spuria.

III. Filia igitur Ecclesiæ est Jus Canonicum Natales suos ab Apostolis ducens, & primordio Ecclesiæ. Initio tamen (ut ex Joanne Gerfon refertur) per 400., & amplius annos sic gubernata fuit Ecclesiæ, ut non esset distinctio inter Jus Canonicum, & Theologiam, sed habitabant hæ duæ Sorores Maria, & Martha simul in eadem domo (*Ecclesiæ*) Christo servientes: at cum cibus Christo apponendus esset; videlicet cum fideles multiplicarentur, cœperunt augeri Canones, factaque separatio; ac Theologia, relictis sibi Sublimioribus circa Deum, resque divinas contemplationibus, tanquam Magdalena mansit ad pedes Domini contemplans altiora ejus mysteria; Jus Canonicum verò, tanquam sollicita Martha, occupatur circa plurima, intrat dicasteria, causas dijudicat, dirigit hominum actiones ad benè vivendum &c. Theologia, quid sit Deus: Jus Canonicum, quomodo in praxi servendum Deo: Theologia, quid sit peccatum, quo offenditur Deus: Jus Canonicum, quomodo eliminanda sint peccata, ne offendatur Deus, docent.

IV. Ea autem fuit semper Juris Canonici auctoritas, ut, licet Lutherus turbido suo, & præpostero Zelo furiosus anno Christi 1520. die

die 10. Decembris Jus Canonicum Wittenbergæ (repugnantibus Jctis) in ignem ad id extructum magno hominum affluentium concursu conjecerit cum dicitur: *quia tu consurbasti sanctum Domini, id est Ecclesiam, ideo comburet te ignis aternus*: Ut habet Daniel Kayser mox citandus: Ejus tamen usum suæ fidei locijs tollere non potuit, quin protestantes passim Jus Canonicum suis in Academiis publicè doceant, & utriusque Juris Doctores adhucdum post defectionem ab Ecclesia creent.

V. Sed ita docent, ut accipiant ea, quæ placent; ea verò, quæ non placent, passim convitijs velut dogmata Antichristi proscindant; sicut enim S. Scripturam, ita & SS. Canones tractant; non se accomodant scripturæ, sed scripturam accomodant sibi, & sic accipiunt ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt, sumant, quod nolunt, rejiciant, sicut de Manichæis August. loquitur *Lib. de bono perseverantia c. 11. apud Becanū Lib. 1. c. 1. q. 1.* Ita pariter è Canonibus eos ad se raptant, qui placent; à reliquis divortium faciunt, uti de celebri Tubingæ Professore mihi relatum, quòd in lectionibus, & Collegiis suis ad Auditores frequenter habuerit in ore hæc verba: *Hic à Catholicis divortium facimus*: Sicque habent regulam sine regula; quia pro regula suum sequuntur arbitrium: quis enim, quælo te, dedit facultatem divortendi, ubi, quando, & quoties libuerit? quis Judex ille, an Lutherus? an Calvinus? an proprius Spiritus? Quis?

VI. Alij, & ferè plerique divortio non contenti, sed ubi obstaculum suæ sectæ in canonibus reperiunt, quod pertransire non possunt, instar canum allatrant, bile, & convitijs calamum armant, & in Canonum Legislatorem, ac universalis Ecclesiæ Antistitem, ceu Antichristum, debacchantur. Inter hos impudentiâ nulli vult esse secundus Daniel Kayser Jctus Coburgensis in sua *succincta quidem, sed enormibus mendacijs facta historia Juris, Francofurti & Lipsia anno 1685. impressa*, ubi insigni inconstantia de Jure Canonico agens modò laudat, quod insignem in praxi præbeat usum in causis Matrimoniorum, præscriptionum, usurarum. &c. & quòd idcirco tam quoad theoriam, quàm quoad praxim in viridis observantia; atque ideo leges non dedignentur sacros Canones imitari c. 8. de Judic. C. 1. de nov. oper. nuntiat. Modò mutatâ scenâ calamo felle tincto Ro-

manum Pontificem, ceu Antichristum occidentalem infectatur, & S. Raymundum de Pennafort SS. Canonum Collectorem blasphemè asserit, fuisse Doctorem illum Parisiensem, qui Parisijs mortem oppetiit anno Christi 1086. ubi è loculo se erigebat, & erectus clara voce, & attonito gemitu se ex justo Dei Iudicio damnatum esse, & jam jam infernales sentire cruciatus exclamabat, quo factò Bruno ita obstupuit attonitus, ut in terribilem solitudinem Carthusiam, unde Carthusianorum origo, cum socijs se consulerit, ibique vitam Eremiticam degerit. ita Kayserus allegans unum vel alterum testimonium, sed suæ farinæ, quorum unumquodque pauper est.

VII. Manifestum hoc mendacium redarguitur à P. Wiestner in *Dissert. Proæmial. n. 100.* cum constet 1. Raymundum non fuisse Galum, sed Hispanum Barcinone ex nobilissima, & Arragonum Regibus cognata stirpe genitū. 2. Eum non fuisse cognominatum Diocres, sicut ille Parisiensis Doctor apud Raynaudum *tom. 9. in Brunone parte 3. n. 6. sed Pennafort.* 3. Non fuisse Doctorem Sorbonicum, aut alium Parisiensem SS. Theologia; sed Bononiensem Jurium Doctorem, & SS. Canonum Professore. 4. Non fuisse Canonicum, vel alium Clericum Sæcularem, ut ille Parisiensis erat apud cit Raynaud. *n. 7. sed Religiosum Ordinis S. Dominici, ejusdemque Magistrum Generalem; quem tamen supremum Magistratum humilitatis studiò abdicavit, uti & Archiepiscopatum Patriæ suæ reculavit.* 5. Ipsum non fuisse mortuum anno 1086, vel potius 1082, quo sub Gregor. VII. Pontifice, & Henrico III. Imperatore luctuosa illa catastrophe accidisse perhibetur à Surio in *S. Brunone*; & Raynaudo *cit. n. 15. sed duobus ferme sæculis postea*, nempe anno 1275. sub Gregorio X. Pontifice, & Rudolpho I. Imperatore. 6. Ipsum non fuisse mortuum Parisijs, sed Barcinone in Patria sua præpe centenarium, ubi Alphonsò Castellæ, & Jacobò Arragonum Regibus, aliisque Magnatibus, & Ecclesiarum præsulis præsentibus cum Clero, & Populo universo summo honore, & pietatis sensu est tumultatus; quem editis innumeris miraculis, compluribus etiam mortuis ad vitam revocatis Clemens VIII. postea anno 1601. Sanctorū numero adscripsit. Hæc Wiestner ex *Vita, & Miraculis à Leandro Alberto, Michaële Los, aliisque conscriptis, & relatis in Bulla Canonizationis, qua incipit: Romana, apud Cherubinum Bullar. tom. 3. anno 1601. Bolland. 7. Jan. in Vita S. Raymundi, quæ etiam*

etiam habetur in *Breviario Romano Die 23. Jan.* Ex quibus conjicias, quid intra privatos parietes mendaciorum non ausit ille, qui tam sine fronte toti mundo in re notoria ita mentiri ausus fuerit. Stylus, si non nemini hic acerbior videtur, deprecor; Clavus enim clavo pellendus.

VIII. Illud ridiculum, si Antichristus Occidentalis est S. Pontifex, quomodo ejus Constitutiones in praxi præbere possent insignem usum in matrimonijs, præscriptionibus, usuris &c. ? An ergo leges Cæsareæ, quæ non dedignantur SS. Canones imitari, imitantur leges Antichristi? An Jus Antichristi in viridi est observantia? Butubata! Aliter locutus est Sacratiss. Imperator Justinianus *L. inter claras C. de Sum. Trinit.* Joani ea tempestate Romano Pontifici ita scribens: *reddentes honorem Apostolica sedi, & Vestrae Sanctitati, & ut decet, Patrem honorantes vestram Beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum Statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestrae Sanctitatis.*

## §. II.

### Jure Canonico obligantur omnes baptizati, etiam A Catholici.

1. *Canones obligant omnes baptizatos. n. 1.*
2. *Doctrina, & Calumnie Danielis Kayser Jcti Cbo-burgensis. n. 2.*
3. *Ejus refutatio. n. 3. & 4.*
4. *Ad Scripturam appellat. n. 5.*
5. *A Catholici Regulam credendi cum Regula agendi miscent, & utramque suo genio versant. n. 6.*
6. *Libros de Jure publico falsitatibus implent. ibid.*
7. *Qui cautè sunt legendi; nec magni facienda eorum auctoritas dum, suos auctores citant. ibid.*
8. *Calumnie in Gregorium Septimū Pontificem vindicantur. n. 7.*
9. *Inane, & fallax refugium A Catholicorum ostenditur. n. 8. & seqq.*
10. *Quo sensu accipienda sit Scriptura, ut sit auctoritas, ac Regula credendi, & etiam agendi. ibid.*

I. Q. Quos obligent SS. Canones? R. Obligant omnes homines baptizatos; etiam A Catholicos, Apostatas, & Hæreticos quosunque; quia per baptismum subjecti sunt Ecclesiae, & ejus membra effecti; quare si ab ea recesserint, etiam inviti ad obedientiam, & SS. Canonum observationem censuris, ac pœnis compelli possunt. *c. 1. de Constitut. & ibi Lay. & omnes sinceri Doctores*, quidquid recalcitent illi, qui quintum Evangelium cudere conan-

tes ab Ecclesia, & ejus Canonibus recesserunt, qui constitutiones canonicas, & Ecclesiasticas contemnendo, & ridendo, volunt se ab ijs extricare, & facere exleges; sed *facti est, non iuris recedere à Jure*; interim Jura pergunt etiam suos contemptores, & irrisores stringere. Homines tamen non baptizati, ipsique etiam Catechumeni, qui pro baptismo, & Religione Christiana suscipiendis instruuntur, legibus, ac pœnis Ecclesiasticis non obligantur, cum Ecclesiae subjecti non sint *C. gaudemus 8. de divor. C. de Judais s. d. 45.*

II. Redit hic in scenam gravi cothurno citatus Daniel Kayser, & tumidus fastu Jus Canonicum pedibus velut calcatur, sibi que, Jurique civili in suo foro usitato subjectum tonat; & *Jure Canonico*, inquit, *utimur non in gratiam Romani Pontificis, ut Antichristo occidentali aliquod Imperium in nos concedamus, sed utimur eo tanquam Jure nostro, non coactè, verum ob Statuum Imperij approbationem, pro ea tantum parte, quæ nihil iniquitatis præfert, & quatenus Juri Divino, aut revelationi non repugnat; sicut enim Concilij, & eorum Canonibus credimus propter scripturam sacram, & scriptura sacra, quæ est auctoritas, propter se ipsam, quia infallibilem habet certitudinem, cum sit Divinitus inspirata, Concilia verò non aliter admittimus, nisi quatenus illius vestigijs insistant; eodem modo recipimus ea, quæ proferruntur in Jure Canonico; prout probabilia sunt scriptura sacra, Juri in foro nostro usitato, naturali, & sanae menti, si secus, illa respicimus, atque tanquam exorbitantia negligimus. Legum autem spontanea communio nullam arguit subjectionem; ita Galli, Hispani & multi populi, ipsi adèò Turca non coactè, sed libere Romanas Leges in non nullis causis sequuntur. Silesij, Lusitij, Lithuani, Poloni Jure Saxonico, quatenus id usu comprobantur, civitates vandaltica, & Hanseatica Jure Lubecensi sine ulla subjectione, aut coactione utuntur. Hactenus Daniel satis clarè ob oculos ponens, quod supra insinuavimus, eum, & sui similes non se accommodare Canonibus, sed Canones accommodare sibi quousque placent: qui non est stylus Juris, sed facti, & male facti, quem non nisi legum contemptores, & malevoli adhibent, qui Jura miscunt factis, quæ fiunt, aut facta sunt, obtrudunt, & inde, neglectâ omni concludendi formâ (*Cujus, quia stringit, patientes non sunt*) ab factis saltum faciunt ad Jura; quasi verò, *quæ fiunt*, hoc ipso rectè fiant. Hac metodo omnia Jura susque, deque vertuntur; quæ enim est*

est lex, à qua non recedant, quam non negligant, rideant, contemnant quam pluri-  
mi? *Iliacos intra muros peccatur & extra.* Ab-  
sona quoque vox est eorum, qui dum Jura ip-  
sis ob oculos ponuntur, quæ, quid faciendum  
sit, severè inculcant, ut in Materia de immu-  
nitatibus Ecclesiæ, de Simonijs &c. clamant:  
*in praxi isthac non curantur.* Quibus expedite  
respondere soleo, & sæpius respondi: *Ego n. n.*  
*doceo, quid fiat, sed quid sit faciendum.*

III. Sine, ad conclusionem reducimus di-  
cta JCTi Coburgensis. I. Non concedit Ro-  
mano Pontifici in se Imperium in spiritualibus,  
*Antichristum vocat occidentalem,* uti-  
tur Jure Canonico *non coactè, sed sicut placet,*  
sine subjectione, negligit, quæ non placent &c.  
concedo isthac omnia; quis enim pertinaci-  
am fraugat, quis linguam calumniatricem  
frænet? quid inde sequitur? ergo *Romanus*  
*Pontifex non habet Imperium in spiritualibus in*  
*omnes baptizatos; & etiam hunc JCTum; ergo*  
*est Antichristus; ergo rectè facit JCTus non u-*  
*tendo Jure Canonico, nisi sicut placet, sine sub-*  
*jectione: ergo Jure negligit, qua non placent.*  
Negò consequentiam, quid si ita loqueretur  
contra Principem aut Magistratum suum? si  
hunc vociferaretur Antichristum? si ejus  
legibus negaret in se Imperium? si eas acci-  
peret duntaxat quousque placent, non coac-  
tè, sine subjectione? num Jure id faceret?  
num propterea cessarent obligare leges? In  
possessione stant Canones, qui tamdiu in Ec-  
clesia vigerunt, quibus tot Imperatores,  
Reges, Principes se subjecerunt; nec prop-  
terea eorum obligatio in omnes baptizatos est  
exusta, quòd petulantissimus Lutherus eorum  
volumen exusserit, aut quòd quidam in eos,  
ubi erroribus suis obstant: rabiosè debacchen-  
tur: illud probare deberet JCTus noster,  
quando receditur à Jure Canonico, *Jure re-*  
*cedi.*

IV. Utimur, inquit, *Jure Canonico tanquam*  
*nostro pro ea tantum parte, qua nihil iniquitatis*  
*præferret.* Sed quis fecit hoc Jus vestrum quo-  
ad unam, & non quoad reliquas partes? quis  
vos, *homines privatos* Judices constituit, ut  
iniquitatis condemnetis ea, quæ haud placent?  
an Lutherus vester Monachus apostata? quis?  
*Status Imperij,* ait. At quinam illi Status Im-  
perij? non *Catholici cum Imperij capite Augu-*  
*stissimo Imperatore,* utpote qui non mittunt  
falces in messem alienam: Pontificem ut  
Patrem in spiritualibus venerantur, canoni-

bus ab ipso latis se subjiunt, eos non con-  
vellunt. ergo *Status Acatolici,* qui ab Eccle-  
sia recesserunt: at & id facti fuit, non *Juris;*  
manetque in hos eadem canonum auctori-  
tas, quæ ante hoc factum, & recessum ab Ec-  
clesia fuerat; sed neque illi sine consensu Im-  
peratoris, & Statibus reliquis possunt Jura in  
toto Imperio recepta abrogare, rejicere, ini-  
quitate condemnare: quin neque totum  
Imperium cum ipsomet suo Augusto capite in  
Jura Canonica spiritualia, & Ecclesiastica po-  
testatem habet, sed Christi in terris Vicarius;  
quare licet amore pacis, & ad evitanda gra-  
viora mala permitti possit, & soleat factum,  
quò contra canones agunt hæterodoxi, non  
tamen propterea illis ullum accrescit *Jus,* ut *Jure*  
*agant* contra eosdem. Duas potestates supra  
meminimus, *Civilem* ad ferendas leges poli-  
ticas, & *Ecclesiasticam* ad ferendos canones  
Ecclesiasticos: illa in Principibus, hæc in  
Pastoribus Ecclesiæ residet.

V. 3. Sed ad *Jus Divinum* à Canonibus ap-  
pellat, ad S. Scripturam ad rectam rationem.  
Quasi verò tot viri doctissimi, honestissimi,  
tot Imperatores, Reges, Principes, qui ante-  
& post Schisma à Luthero excitatum cano-  
nibus obediunt, & obedire, non habeant  
in se lumen rectæ rationis, sed JCTus dunta-  
xat noster cum iis, qui sunt sui systematis.  
Insistunt enim verò canones rectæ rationi,  
Juri Divino, S. Scripturæ vel maximè, expo-  
nunt isthac; quare non est, cur eam ob cau-  
sam divortium quis velit à Canonibus facere,  
ne Scripturam offendant.

VI. Cæterum ad controversias fidei hinc  
trahimur; qui mos esse solet Scriptorum A-  
catholicorum, regulam *credendi* cum regula  
*agendi* miscere; quia sicut credunt, *ut placet,*  
& *non ut credendum,* sed quæ credenda non  
placent, ea respuunt, & damnant: ita etiam  
de agendis docent, *ut placet, & non ut do-*  
*endum,* sed quæ non placent, respuunt,  
damnant. Hinc tanta doctrinarum, & circa  
res credendas, & circa res agendas diversitas  
apud ipsos: quorum proin auctores cautè  
legendi sunt in Juridicis, & publicis: ubique  
enim Religionem suam inspergunt, omnia  
huic accommodant, & dum libros præser-  
tim Juris publici multiplicant, veritatem  
hinc, inde opprimunt, suam sectam extol-  
lunt, veram Romanarum rerum Historiam  
falsitatibus ita implent, ut, si modernis secti-  
stis credas, non scias, quid credas; præser-

eim verò, ubi de Ecclesia Romana ejusque Juribus agitur, hæc omni nisu contumeliis opprimere moliantur, & dum veritatem expugnare non valent, multitudine dictionum in libris conantur obruere; si vel unus illorum farinae, novam aliquam contumeliam finxerit, ac typis evulgaverit, videas reliquos turmatim eam avidè arripere, libris suis inferere, citare unum alterum, & multis (quorum unum quodque pauper est) suorum testimoniis contumeliam pro historia vendere. Quare cum Jus publicum maximè pendeat ab historia, circumspèctè legendi sunt publicista, & historici Acatolici, qui modernò tempore prodeunt, & post Schisma Lutheri prodire, & non magni faciendae eorum, ut ut multorum, auctoritas, dum se ipsos invicem citant, & non antiquiores.

VII. Et circa antiquos quoque, quos referunt cautè circumspiciendum, an, & qualem fidem mereantur; plerumque enim tales adhibent, quibus, si ritè examinentur, nulla, aut exigua est fides, quòd animò in Pontifices exacerbato nescio quæ effutierint, ut in variis schismatis contigit, dum pro parte Pontifici adversa, cui adhærebant, scripsere. Exemplum sit in Gregorio VII. Sanctissimo & piissimo Pontifice, quem *Magdeburgenses cent. 11. cap. 10. reprehendunt ut hereticum, necromanticum, sedizioso, Simoniacum, adulterum, ac pestimum non solum omnium Pontificum, sed ferè omnium hominum; & idcirco non Gregorium, ut vocabatur in Pontificatu, neque Hilarbrandum, ut dicebatur ante Pontificatum, sed Hellenbrand appellant, quod Germanicè inferni visionem significat. Eundem Gregorium Theodorus Bibliander in Chronico vult esse ipsum Gog principem Magog, & nullum alium Pontificem magis sectarum hujus temporis detestantur, quam ipsum, ac præsertim Tilmannus lib. 1. de Ecclesia cap. 9. ubi aperitissimè mentitur, ea, quæ narrantur mala de Gregorio VII, haberi in libris Monachorum, papaꝝ adulatorum; cum tamen & ipse Tilmannus, & Centuriatores nullum proferant testem præter unum; qui suis juratus hostis Gregorii Septimi, omnia enim probant minus Bennonis Cardinalis testimonio, qui illò tempore vixit, & vitam Gregorii VII. scriptam reliquit; ut habet Bellarminus tomò 1. Controversiarum controversiâ Generali 3. lib. 4. cap. 13. ubi: Hujus Bennonis librum legens, inquit, & impudentissimorum mendaciorum plenissimum inveniens, alterum è duobus mihi persuasi, aut reverà nihil tale eò tempore scripsisse Bennonem, sed*

*aliquem Lusheranum esse hujus libri auctorem, quòd cum sub Bennonis titulo ediderit, aut certè Bennonem illum non tam scripsisse vitam Gregorii VII. quam sub nomine Gregorii VII. voluisse depingere ideam pessimi Pontificis ad eum modum, quò Xenophon scripsit vitam Cyri Regis Persarum, qui non tam narravit, quid Cyrus egerit, quam quid agere debeat optimus princeps.*

Non autem esse ullam fidem habendam huic Bennoni demonstrat. cit. Bellarminus ad oculos ex eo, quòd contrarium scribant omnes alij Auctores, qui illo tempore aliquid de hac re ediderunt, quorum 10. refert, qui eòdem tempore scripserunt, & 22, qui paulo post, & posterioribus temporibus scripserunt à quibus Gregorius laudatur; adeoque uni Bennoni, qui ab Antipapa Clemente Octavo in Cardinalem assumptus fuerat Gregorio infensissimus, (contrà, quàm Bibliander mentitur) ad retundendam Centuriatorum & Tilmanni impudentiam opponit triginta duos Auctores.

VIII. Cum autem Carioso doctrinæ suæ nucleo superinducere conentur splendidum corticem S. Scripturæ, quæ cariem tegant, juvat corticem frangere fucatae nucis.

Ad Scripturam igitur se recipiunt, dum à Canonibus pulsantur, & hæc, ceu umbone sagittas in suam sectam emissas propellere nituntur. *Scripturam, Scripturam, Scripturam* clamant Stentoreâ voce, hanc esse infallibilè, à Deo inspiratam, *ἀυτοπίστον*, Judicem controversiarum ingruentium, ad hanc regulas & credendi, & agendi conformandas. Quid ni? Verbum Dei est. Summa veneratione colunt omnes Catholici. Verissima hæc Scripturæ elogia sunt, quæ vera Dei scriptura est, & vero sensu accepta, quòd eam PP. communi consensione interpretantur, & ceu regulam credendi, agendique Fidelibus proponunt; at quam tu mihi scripturam J. C. Te Choburgice? quò sensu intellectam? tuòmet arbitriò, ac beneplacitò? absit ut regulam credendi, & agendi mihi summam tuam arbitrium rabie inflammatum, calumniis opletum. Scripturam colo summâ, quæ possum, veneratione, *ἰψάλλibile ἰψάλλιμας* Dei verbum est, *ἀυτοπίστον* est, norma credendi, & agendi est; si in genuino suo sensu accipiatur, quòd communis Patrum, & Ecclesiæ consensio eâ accipit; non verò eò, quem quodlibet turbulentum, aut heteroclitum ingenium sibi cudis, sensu; hæc enim ratione scripturam esse

esse non posse constantem regulam credendi, ac agendi, & Judicem controversiarum demonstrant sexcentæ controversiæ, ac lites inter ipsosmet Acatolicos, quibus circa scripturæ sensum, ac interpretationem altercantur quotidie, quas Judex hic hodie dum decidit nunquam.

IX. Ponamus 1000. Litigantes civilibus suis in controversiis in eo convenire, quod Judicem alium nolint, quàm ipsas leges. Nemo non videt, quemlibet eorum volumen legum interpretaturum in rem suam, & sic ejus textus accepturum, ut suæ causæ præcipuè faveat; hac ratione omnium, & nullius causa æquitate niteretur. Libuit aliquando Atheniensibus post insignem ex hoste victoriam domum reversis coetum cogere ad pronuntiandum, quisnam tandem ex omni pugnantium numero potissimam victoriæ partem sibi posset vindicare? sed disceptatio de victoria ex hoste externo desuit in bellum civile; neque enim ex omni illo deliberantium numero inventus est unus, qui palmam cæteris præripuisse sibi non videretur. Unde satius visum est omnibus, senatum dimittere, quàm sententiam expectare. Hoc idem est, quod sectariis semper accidit; omnes aiunt, doctrinam suam verbò Dei niti, omnes scripturam clamant, omnes verum illius sensum sibi arrogant, & alias sectas eò destitutas contendunt: quâ verò ratione Judex esse queat, & secuta regula credendi, ac *avtrivisov* ille textus, quo quælibet pugnantium pars ut sibi favente utitur? quomodo rectum esse potest, quod omni figuræ curvæ, & obliquæ respondet? qui *Puritani* hæreticos pronuntiare possunt *Protestantes, Antiadiaphoristas, Adiaphoristas, Antinomi, Anabaptistas, Molles Lutherani Rigos*, cum omnes ad Scripturam appellent? quo Jure tu potius Scripturam intelligis, & interpretaris, ut ipse vis, ac sentis, quàm ego interpreter, ut ipse volo, ac sentio? an non res postulat, ut ad litem componendam, & tu, & ego stemus arbitriò alterius, à quo nulla sit ad aliud tribunal provocatio? Segneri in *incredulo* p. 2. cap. 22.

X. Omnes, quotquot hæreses hactenus in Ecclesia ab Apostolorum temporibus exortæ fuere, licet diversissimæ, & inter se pugnantes, originem suam ex scriptura traxere; causa malorum non est in ipsa scriptura, quæ eadem est omnibus, eadem docet omnes, sed causa est in malo intellectu, in sinistra interpretatione Scripturæ; neque enim nata sunt hæreses, nisi dum scriptura bona intelliguntur

non bene, & quod in eis non bene intelligitur, temerè, & audacter assertitur, inquit S. Augustinus *Tract. 18. in 104.* Dum quilibet privatus suo sensu abundans scripturam ad suum genium versat, & quam suo cerebro excogit, interpretationem *avtrivisov*, & à Deo inspiratam clamat. Est quidem scriptura *ex incredibilibus*, sed ut sit mihi regula credendi, hæc tria adsint oportet. 1., ut mihi constet, *hanc*, cui credo, esse *veram scripturam* à Deo inspiratam, & non ab hominibus corruptam. 2. *hanc*, quam teneo, *versionem Scripturæ* ex Hebraica, Græca lingua in latinam, vel vernaculam esse *genuinam versionem*, non vitiatam. 3., *hanc*, cui credo, esse *veram scripturæ interpretationem*, quæ contineat verum sensum Scripturæ à Deo inspiratum, & non ab humano aliquo cerebro excogitatum: nullum ex his est *avtrivisov* ex se ipso credibile, sed ex autoritate Ecclesiæ ut jam demonstrabimus.

XI. Non 1.: quia ex ipsa scriptura mihi non potest constare, utrum *hæc scriptura*, quam ante me habeo, & lego, sit revera eadem illa Scriptura sine ulla mutatione, & corruptione, quam Moyses, David &c. ante bis mille, & longe plures annos à Deo inspiratam scripserunt; utrum hæc Epistolæ Petri, Pauli, Joannis &c. sint prorsus eadem, quas Petro, & Paulo, hæc Evangelia sint prorsus eadem, quæ Evangelistis Spiritus S. dictaverat, & illi scripserunt ante sesqui mille, & plures annos; per quos enim, quæso te, hominum, libratorum, describentium manus venere hucusque Scripturarum libri, & quid facilius, quàm ut vel per imposturam, vel per incuriam irrepererint multa alia, quæ Spiritus S. non dictaverat, præsertim antiquis temporibus ante inventam artem Typographicam, ubi describendi erant libri. Item ex Scriptura constare non potest, quinam libri sint *Canonici*, & quinam *Apceryphi*: hinc Dissensiones inter sectarios circa ipsam Scripturam: nam Calvinistæ ex veteri testamento expunxerunt Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos. Lutherani verò tum illos, tum etiam ex novo Testamento Epistolam ad Hæbreos, Epistolam Jacobi, Epistolam Judæ, & Apocalipsin Joannis. Becanus *Lib. 1. controuv. cap. 1. q. 1.*

XII. Non 2.: quia neque ex ipsa Scriptura mihi constare potest, an *hæc versio*, quam habeo, sit legitima, Catholici utuntur veteri, ac vulgata versione, quæ jam multis sæculis



culis in Ecclesia viguit, & communi Christianorum consensu recepta est; hanc repudiavit heterodoxi, & in ejus locum non unam, aut duas, sed propè infinitas novas suspectas, & ab ipsis etiam damnatas suis auditoribus obtrudunt; nam alia est versio Lutheri, alia Oecolampadij, alia Theodori Bibliandri, alia Castalionis, alia Janij, & Tremellij, alia Münsteri, alia Bezae, alia aliorum: quæ omnes inter se dissident, & ab ipsis adversariis meritò reprehenduntur. Becanus *loc. cit. q. 2.* apud quem Lutherus: *tam multa; inquit, nostro tempore sunt versiones Bibliorum, ut paulatim tam multa sint Biblia, quam multi scioli in Hebraica lingua Magistros esse profitebuntur.* Lutheri versionem carpunt Tigurini, Osiandriini, Münster, Bucerus, & Lutherus ipse post 20. annos falsus est, se crebrius errasse, quòd Rabbiorum glossis nimium credidisset. Osiandriini obijciunt illi dolum, & falsitatem, Bucerus manifestos, & non paucos errores, Münsterus non paucorum versuum omissionem: alij aliquot centenos errores numerant. Bezae versionem damnat Castalio, Samuel Hubertus, Hugo Broughton. Münsteri versionem damnant Tigurini *cit. Becan. q. 6.*

XIII. Certè, si quis vellet cognoscere, an habeat authenticam Scripturæ versionem, deberet 1. perfectissimè cognoscere linguam Hebraicam, Græcam, Latinam, Germanicam, Hispanicam, Italicam, Gallicam, Anglicam &c. 2. Deberet habere ipsum authographum, seu primum exemplar ab ipso Moysè, David &c. Hebraicè scriptum. 3. Deberet habere Authographum ipsius versionis ex Hebraica in Græcam, è Græca in Latinam, è Latina in Germanicam, Italicam-Hispanicam, Gallicam &c. linguam, ut dein ex omnibus posset formare quaecunque judicium, quænam sit vera Scriptura, & vera ejus versio: quis autem est, qui calleat omnes has linguas perfectissimè præsertim ex plebe? quis est, qui habeat omnia hæc Authographa exemplaria? ex quibus manifestè patet, quàm enormiter decipiantur, & homines rudes decipiant, qui solam Scripturam tanquam *αὐτόγραφον* pro Regula credendi & agendi simplicibus obijciunt.

XIV. *Neque Tertium*: nempe, quæ sit vera Scriptura interpretatio, & quis legitimus illius sensus, ex sola scriptura statim intelligi potest ab eo, qui eam legit: quia, licèt in multis

locis clara sit Scriptura, tamen in multis etiam est valde obscura, & intellectu difficillima, uti ex Exemplo Discipulorum euntium in Emmaus; Exemplo Eunuchi Reginae Æthiopum; & ex posteriore Epistola B. Petri cap. 3. 16. ostendit Becanus C. 1. q. 4. & testes sunt ipsimet adversarij, qui in explicando Scripturæ sensu sæpe graviter inter se dissentiunt.

XV. Oritur hæc Scripturæ obscuritas tum ex rebus, quas tractat; tum ex modo, quo eas tractat: ex rebus; quia earum aliqua sunt valde sublimes; sunt autem res illæ quadruplices. 1. *Historia* ut in Libris Genesis, Exodi, Regum, Machabæorum &c. 2. *Propheta*, ut in Psalmis, Libris Prophetarum. & Apocalypsi. 3. *Mysteria fidei*, præsertim de Trinitate, Incarnatione, Prædestinatione, Fide, Iustificatione, de Præsentia Christi in S. Eucharistia &c. 4. *Præcepta, & documenta moralia* de virtutibus, & Vitijs; tametsi ergo in his Documentis, & in Historijs forsitan non sit adeò magna obscuritas, summa tamen est in *Prophetijs, & Mysterijs fidei*; quæ superant humanum captum, neque à nobis percipiuntur, nisi in ænigmate, teste Apostolo I. Cor. 13. 12. *Ex modo tractandi* redditur Scriptura obscura; quia modus ille sæpè est valde obscurus propter multas locutiones figuratas, Tropos, Schemata, Hyperboles, Metaphoras, allegorias, & parabolas, quibus tanquàm involucris multæ veritates occultantur, quæ lectori non statim innotescunt. Quando igitur controversia ingruit de ipsa Scriptura, de ejus versione, aut ejus interpretatione debet esse Judex, qui controversiam dirimat; qui Judex non potest esse ipsa Scriptura; nam Judex inter partes litigantes debet ferre sententiam claram, ut uterque litigans sciat, quæ sit sententia Judicis, & ut alter fateatur, eam *pro se*, alter, *contra se* latam esse: hoc autem scriptura de se ipsa non præstat uti patet ex verbis illis Christi: *Hoc est Corpus meum*: de quibus controvertitur inter Catholicos, Lutheranos, & Calvinistas: Catholicos docent, statim post Consecrationem adesse verum Corpus, & Sanguinem Christi: Lutherani (saltem plerique) ajunt advenire Corpus Christi in ipsa Sumptione: Calvinistæ volunt, Christum per ea verba solum loqui figuratè, ut sensus sit: *hic panis est signum, seu figura Corporis mei*; in hac autem controversia Scriptura suismet verbis non pronuntiat sententiam claram pro ulla parte. Item Lutherani, & Calvinistæ multis jam annis litigant

de

de his punctis. 1. De Baptismo parvulorum. 2. De Predestinatione. 3. De Persona Christi. 4. De Exorcismo; & tamen controversia nondum est inter ipsos decisa, nec hactenus facta sunt, vel Lutherani, vel Calvinistæ, contra se esse prolatam sententiam.

XVI. Ridiculum sanè videtur, quòd ex una parte tam Lutherani, quàm Calvinistæ clament, se non alium Judicem agnoscere, quàm Scripturam, hanc esse *αὐτόπιστον*, esse claram, & ad omnes controversias sapiendas per se sufficientem, nec ullam falsitatem illi subesse posse: ex altera verò parte ipsi continuo litigando apud hunc Judicem aliud non efficiant, quàm ut quotidie crescant eorum lites: ex quibus alterutrum sequi necesse est, vel scripturam hactenus non pronunciâsse claram, perspicuam, & sufficientem sententiam: vel certè, si pronunciavit, Lutheranos, & Calvinistas pervicaces esse, qui claræ, perspicuæ, & sufficienti sententiæ non volunt acquiescere, ut arguit Becanus *Lib. 1. cap. 5.*

XVII. Quantò feliciores Catholici, qui unam, certam, constantem, ac uniformem sequuntur Scripturæ editionem, eamque ex communi PP. & Ecclesiæ sensu interpretatâ; & licet totò Orbe sint diffusi, unâ tamen omnes loquuntur linguâ; in obscuris, & controversis scripturæ locis Judicem habent Ecclesiam, quæ est columna, & firmamentum omnis veritatis, habens assistentiam Spiritûs S. qui eam errare non sinit, usque ad consummationem sæculi; huic Deus auctoritatem de Scriptura, ejusque vero sensu judicandi concessit, & non Lippis, ac tonforibus; propter hujus auctoritatem credimus infallibiliter, hanc esse veram Scripturam, veram ejus versionem, veram illius interpretationem, propter hujus auctoritatem credimus Conciliis. audi S. Aug. tom. 6. *Lib. contra Epist. fundamenti cap. 1.* disputantem adversus Manichæos: *Ego verò, inquit, Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas.* P. Schmitz in *Proem. Funiculi triplicis.*

XVIII. Quam suam Sententiam dupliciter pronuntiat Ecclesia, vel per Pontificem, qui est caput, & Pastor Ecclesiæ; vel per Concilia generalia à Pontifice approbata, quæ representant Ecclesiam. *Norma*, quam in ferenda sententia sequitur, est *Scriptura vera*, & à Deo inspirata, non quidem sola, sed unâ etiam traditiones: nam optime Catholici distinguunt

inter normam, & Judicem. Audiatur Jurista Acatolicus hac de re loquentem Sacratissimū Imperatorem Justinianum, qui *L. inter Claras 8. §. Sulcipimus 3. C. de Summa Trinitate* rescribens Joanni Romano Pontifici, *suscipimus autem, inquit, Sancta quatuor Concilia, id est, trecentorum decem, & octo SS. Patrum, qui in Nicæna Vrbe congregati sunt; & centum quinquaginta SS. Patrum, qui in Regia Vrbe (Constantinopoli) convenerunt: & SS. Patrum, qui in Epheso primo congregati sunt: & SS. Patrum, qui in Chalcedone convenerunt; sicut vestra Apostolica Sedes docet, atque prædicat: omnes ergo Sacerdotes sequentes doctrinam Apostolica Sedis vestra ita credunt, & consentunt, & prædicant.* Optandum esset, ut hunc tenorem, & affectum Ecclesiæ ad finem vitæ suæ Sacratissimus hic Imperator conservâset.

XIX. Non recurrit Imperator immediate ad Scripturam tanquam *αὐτόπιστον*, & propter hanc suo libitu interpretatam suscipit Concilia, ut facit J. C. Choburgicus, & alij illius farinae, sed suscipit Concilia sicut Apostolica Sedes docet, atque prædicat.

XX. Ut paucis verbis hanc doctrinam, quæ controversias fidei ingreditur, complectamur; sicut Scriptura ob auctoritatem Ecclesiæ (ex qua constare debet, quòd hæc sit vera Scriptura, & hic verus illius sensus) fit *regula credendi*, ita Canones ob auctoritatem ejusdem Ecclesiæ sunt *regula vivendi*: & sicut Scriptura ab Ecclesia approbata, & interpretata est *αὐτόπιστος, ex se credibilis*, ut non cuilibet hominioni fas sit, eam pro cerebri sui libidine mutilare, ac corrumpere, ita Canonica Juris prudentia est *αὐτόνομος ex se legisera*, & quoad constitutiones tuas servanda, & non cuilibet fas est pro sectæ, & pertinaciæ suæ libidine eam versare, mutilare, ac corrumpere. Discutienda hæc fuere; quia Acatolici passim, ut supra monuimus, in Juribus suis, & civilibus, & publicis Scripturam crepant; & ad hanc refugiunt; ut ostenderemus, quàm imbecillia sint ampullata hæc eorum verba, si è lateribus in apicem ponantur.

### §. III.

De Jure Civili; & an copia Legum proficua sit Reipublicæ?

1. *Quid sit Jm Civile. n. 1.*
2. *Leges paucæ, & clare Reipublice optandæ. n. 2.*
3. *Leges ut medicamenta esse debent. ibid.*

4. *Mul.*

4. Multitudine Legum abutuntur Causidici astuti. 3.
5. Ed multi obruantur. *ibid.*
6. Clades justitiae, quod ad officia reipublice non admoveantur, qui sunt aptiores. n. 4.
7. Exempla. n. 4. & seqq.
8. Judicia Mercatorum expedita. n. 9.
9. Apud Sivas nullum officium venale. n. 10.
10. Galeacius vasfrum Causidicum suspendit. n. 11.
11. Judiciorum mos apud Turcas. n. 12.

I. Q. 1. Quid sit Jus Civile? R. Quod quisque populus, vel civitas sibi proprium constituit: sive quod à Magistratu seculari conditum est ad rectam civium, ac subditorum gubernationem, pacem, ac tranquillitatem reipublicæ temporalem, ac politicam conservandam, promovendamque. *Can. Jus civile dist. 1. §. Jus autem civile Inst. de I. N. G. & C. L. Omnes ff. de I. & I. Ejusmodi Jura varia sunt, ut Jus Atheniense, Lacedæmoniorum, Longobardorum, Francorum, &c. Defactò tamen per Antonomasiam in Europa Jus Civile dicitur Jus Commune Romanum. Originè ducit ab Urbe Roma, ubi conditum fuit potissimum inter ethnicos; creverat autem ab Urbe Condita Legum multiplicatio in tantam copiam teste Manzio ad §. proæm. Inst. n. 7. ut Jurium, ac Legum volumina propemodum infinita essent, ut impossibile fuerit hominis ætatem istorum voluminum lectioni sufficere; vigeant enim tres Codices, *Hermogenianus, Gregorianus, & Theodosianus* à suis auctoribus sic dicti: fuerunt præterea duo millia librorum, & trecentæ myriades, id est, tricies centena millia versuum, ut habetur *L. 2. §. Omnia I. G. de vet. Jur. enucle.* Hanc Legum farraginem Justinianus operâ Triboniani (quem ethnicum fuisse tradit Flavius Popeus de *Libert. Eccles. cap. 1. n. 9. & alij*) Dorothei, Theophili, & aliorum Jctorum ad pauciores Leges in ordinem, ac volumen redegit, quod vulgò *Corpus Juris Civilis* appellamus, quemadmodum volumen, in quod SS. Canonès collecti sunt, *Corpus Juris Canonici* dicimus. Est autem Jus civile aliud *vetus*, aliud *novum*, ad quod spectant Leges, & Decreta Imperatorum Recentiorum, quæ in Romano-Germanico Imperio condita extant, ut *Bulla Aurea Caroli IV. varij Recessus Imperij &c.* Cæterum ut ut multas Leges Justinianus sustulerit, magna tamen adhuc earum restat copia.*

II. Q. 2. Consultumne sit multas habere Leges in republica? Respondent Lipsius, & Contzenius duo veræ Politices lumina; ille *Moris Polit. lib. 2. cap. 10.* hic *Polit. lib. 5. cap. 11.*

Leges & paucas habere, & *clara*; optimum esse Reipublicæ, *multas, & obscuras* malum. Uterque multitudinem Laconicè perstringit, ad paucas reducendam suadet. Optimum Consilium, si ad effectum illud deducere temporum circumstantiæ sinerent. Eorum sensa referre juvat, salubria continent, & vera, licet acrisale conspersa. Leges, *inquunt*, in Republica ut medicamenta esse debent. Contra morborum monstra medicamentis se armat medicina; contra scelera, quæ morbi sunt Reipublicæ, condit Leges Respublica; & quemadmodum medicamentorum multitudine irritantur Symptomata, ita legum varietate novantur injuriæ; sanitas profectò (verba Contzenij sunt) vel paucis, vel nullis restituitur medicamentis, varietas viscera omnia conturbat. Multitudo Legum innumeras parit lites. Plato verissimè: *ὅτι παρ' οἷς πλείους νόμοι, καὶ δικαί, παρὰ τῶτοις καὶ βίαις μοχθηραῖς, ἀπὸντος πλείους νόμοις, ἴβι & λίτες, τίεμque mores improbi.* Non multæ leges bonos mores, bonum Jus faciunt; sed paucæ fideliter servatæ.

III. Conticuerat penè multitudo legum occupatà à Barbaris Asiâ, Africaque, alienatis ab Imperio in Europa regnis. Lotharius in usum reduxit, & nunc magna multitudine Legum, & litium pene mergitur Imperium: quo fructu? certè illo tot litium; nemo negaverit; quæ ex Legum multitudine nimium quantum succreverunt. graphico zelo Lipsius: *Europam vide*, inquit, *& mentior, nisi maxima pars circa istas occupatur: alij judicant, alij instruant, alij agunt, & qui miserissimi sunt, eas habent.* Improbitas sæpe in multitudine legum pallium reperit: abutuntur haud rarò legum multitudine, & obscuritate Causidici astuti, quibus melior legum vasfrities, quàm conscientia, & in turbido piscantur lucellum; multitudo, & obscuritas multis calumniis ostium aperit, & lites in longum trahit. Non culpatur Lipsius synceros, & peritos Jctos, qui ex dignitate, & veritate Jus habent, non culpatur Contzenius, pauciores leges optant; nos omni laude superiores pronuntiamus Jctos illos, qui in tanta legum copia eò emerferunt indefesso labore, & sudore, ut justitiam à calumniis vindicare & possint, & vindicent: nihil Deo gratius, nihil Reipublicæ utilius, quàm justitiam, quæ in tanto cumulo legum, tantæque interpretationum multitudine persæpe miserè vapulat, & calumniantium faucibus erue-

re. Plures hujus fortis optamus; rariores hi sunt inter multos. Ratio; quia multi legū immensitate obruuntur; multi, dum tempus studio legum destinatum malè collocant, neque omnem ingenij vim exerunt, atque omnem industriam impendunt, tantæ moli addiscendæ deficiunt, quam & ij, qui omnes vires, conatum omnem præstant, vix capiunt; hi è scholis ad agendum evolant, & errando praxin addiscunt pretioso errore; mater enim errorū est Praxis sinè fundamentis theoreticis.

IV. Neque omnem culpam in legum copiam conijcimus. suprema clades est justitiæ, quòd selectus cum habetur, ad Reipublicæ officia promoveantur non lectissimi quique, atque Jurium magis periti, (quorum numero non caret ævum hoc) sed sæpe, qui patrocínio, Opibus, Nobilitate, consanguineis potentibus valent; non curatur, quales Officium *requirant*, sed officium quales *requirant*, secundum leges pronuntiare debet Judex, nemo est, qui ignoret: leges plurimæ, plures interpretationes, & variæ; probabiliore seligat Judex, necessum est, advocatorum versutias dignoscat, moras, & ambages quæsitæ, & ad rem non facientes truncet, oportet; non enim *justè* duntaxat causam dijudicare debet, sed & *celeriter*; *injustissia est differre justitiam, aut versutia advocatorum eam prolongari sinere*, quorum artes omnes, Jura omnia, quæ allegant, perspecta habere debet Judex, *dirivitor* est, ut eorum sententias magisne, an minus Juribus conformes sint, discernat. Quí verò Jus dicet secundum Leges, Jura, & Leges qui haud intelligit?

V. Conscientiæ dubitatio quemdam advocatum incessit, quâ angebatur, & consilium petebat; causam sibi proponi, ab utraque ligantium parte advocatum se peti, videre autem, quòd altera pars multis parasangis meliorem foveat causam, altera vix probabilem; prævidere insuper, si huic parti, à qua pinguiore immineant sportulæ, astiterit, quòd certò sit triumphaturus contra eum, quem melioris causæ pars advocatum sit assumptura, qui Jurium technas nondum habeat perspectas, & coram eo Judice, coram quo sit litigaturus. Quid Consilij? difficilis responsio; si fraudibus abstinendo triumphare possit; nondum enim decisum per oraculum Romanum, teneri advocatum necessario assumere causam, quam judicat pro-

babiliorem, quod de Judice decisum ab Innoc. XL per secundam propositionem damnatum. Interim tamen patitur justus. Eorum sortem miseramur, quibus omnis persæpe labor, quo pro justitia sudant, & argent, per legum anfractus, & tenebras ab astutis subdolè eluditur, & in irritum cadit.

VI. Sæpè recurrit memoriæ, quòd à Jureconsulto omni exceptione majore, & quem ceu oraculum adorant non pauci, didicimus, qui coram varijs, & innumeris tribunalibus sæpissimè feliciter pro justitia certans triumphavit; conquestus is mihi est, Judicium haud rarò, coram quibus litiget, incitiam, & fausta mihi, inquit, sidera luxisse arbitror, si judicem, qui legum sit ritè gnarus, magisque me peritus, nactus fuero. Deum bonum! quomodò secundum Leges judicabit, qui Legum ritè gnarus haud est?

VII. Alius delegatus Judex designatus hoc anxius erat verme: causam, inquit, ad quam judicandam destinatus sum, non intelligo, assignatus mihi judicij ferendi Comes, qui itidem non intelligit, res moram non patitur, alij comittere haud patiuntur circumstantiæ, meaque auctoritas, quid consilij? prompta responsio: Officium deponat, necessum est, nã aut ipse quamprimum se capace reddat, aut alium, qui ejusmodi causas rite Judicet, substituatur; neque refert, quòd auctoritas patieretur tua; tuum est vitium; refert autem, ne innocens cadat causâ, & respublica præjudicium ferat.

VIII. Quid hisce in rerum publicarum malis, quæ per provincias grassantur, remedij? Lipsij monitum est, & lites, ut minuat Princeps & leges; ad stipulatur Contzenius; & *una Principis suprema vox, ait, bis labyrinthis, & ambagibus medebitur, si, succisis anfractuuum umbris, claris sententiam legis verbis præcipiat, sciet quisque non modo legem, sed & sensum legis, meritis enim omnes requirunt, ut, quod factum est, intelligere possint*; in tanta autem Legum copia, & peritos persæpè ignorare jus suum necesse est, illudque disceptationi caudicorum obijcere, quo quidam quidem aluntur, & ditescunt, sed ij, de quorum Jure agitur, sæpè ingemiscunt.

Salubre Reipublicæ, virorum doctissimorū Consilium veneror; legum copiam minuendam censeo, censeo & ego, siquidem effectui id dare circumstantiæ sinant nostrorum temporum, stante autem Legum copia quod

quod saluberrimum iudicem, est, numerus si minuatur eorum, qui leges imperite tractant, & qui iudices dum sunt, rite iudicare haud sciunt.

IX. Feliciora Mercatorum iudicia, quæ, ut à rerum, & Jurium eorum perito, viro omni fide dignissimo percepi, intra horæ, aut etiam dimidiæ spacium finiuntur: Constituantur unus, & alter ex eorum tribu rerum gnari iudices, indicitur Juri dicundo dies, & hora, qua uterque litigans comparet suis instrumentis, testibus &c. benè instructi, proponunt ultro, citroque, quæ quisque in rem suam habet, fertur sententia, fit executio &c. & ita à se iudicatum mihi retulit, qui hæc retulit, atque ita iudicari in causis centum, & amplius millium florenorum. Qua ratione id fieri potest? Leges habent, & paucas, & claras, & qui iudicant, earum sunt intelligentes. Refugium ad expeditum hoc iudicium persequere, ut percipio, & alij capiunt, qui apud tribunalia procrastinationem metuentes in celeres hos iudices compromittunt bono expensarum compendio.

X. Sinarum politia saluberrima, qua, ut Juvencius noster *Histur. societ. parte. 5. Lib. 19 §. 17. n. 4.* Refert nullum apud eos populos munus publicum venale est, sed virtute duntaxat, ac doctrinâ parabile; hanc ob causam in Candidatorum mores, ac vitam diligenter inquiritur, de illorum verò eruditione tot instituuntur examina, ut nullus fraudi locus relinquatur.

XI. Monitis Lipsius Exempla, more suo, jungit, de quibus duo seligo. 1. Mediolano petit: *Galleacius Dux Mediolanensium cum aliquoties audisset vafro ingenio Causidicum esse, qui lites serere, & satas producere, atque alere etiam in liquido iure posset; hominem ad se accitum affatur: debeo, inquit, pistori meo centum aureos, non lubet solvere: tu ecquid tueri me in iure, & rem procellere potes? annuit largiter ille, & Principi promptè se dedit: Sed iste ei malum; nam fraudis sic confessum, verbis prorsus increpitem, laqueo publicè necari iussit.*

XII. Alterum à Turcico iudiciorum more mutuatur, atque eò iudicij brevitatem explicat: *Qui alium in ius vocat, ait, ne litorem quidem, aut publicum apparitorem adhibet ad vaudandum; sed ipse adversarium adit, & coram testibus ad Dei iustitiam (sic loquuntur) vocat. Hic nec verbo refragari ausit, sed statim unà ad iudicem, siue Cadum suum eunt. Ille autem semper*

*paratus totum diem ante ades sub tecto aliquo sedet, & copiam sui facit. Iste nullo avvocato, aut Causidico quisque rem suam narrat: testes, si eos habent, adhibent: Iudex ibidem re pensata, in hanc, aut illam partem decidit; quod postea aliud alleges, aut approbes, nihil est: arbor ea cecidit, relevari, aut erigi ultra non potest. Quid? iniquies. Non interdum iudices improbe, aut improbi? Credo, esse: sed in rebus humanis nihil sinceri est, & eligenda, qua minus noxa habent. Lipsius hæc. omni ex parte haud placet præcipitata hæc iustitia, ut enim jus differre injuria est, ita jus præcipitare temeritas injuria est: medium tenuere beati.*

## §. IV.

### An Leges Civiles obligent Ecclesiasticos in Spiritualibus.

1. *Leges Civiles in Ecclesiasticos vim non habent in Spiritualibus ob defectum Jurisdictionis. n. 1. & 2.*
2. *A vera Doctrina recessit Henricus Octavus Rex Angliæ. n. 3.*
3. *Potestatem in Spiritualibus Christiani Principes in Ecclesie Pastoribus venerati sunt. n. 4.*
4. *Exempla. n. 4. & seqq.*
5. *Protestantes Legaleij calumnijs Jurisdictionem Romani Pontificis conantur obliterare. n. 10.*
6. *Calumnias inspergunt libris Juridicis, & politicis. ibid.*
7. *Perniciosè Catholici Juvenes traduntur erudienti A Catholicis Civis, ut ius publicum ab eis discant. n. 11.*
8. *Refutatur Hoppius, & ostenditur, Ecclesiam, & ejus Jurisdictionem Spiritualem in omnes Christi fideles nunquam defecisse. n. 12. & seqq.*
9. *Exemplum Susannæ. n. 16.*
10. *Scammatis certare viros honestos non decet. n. 17.*
11. *Infelix solet esse exitus eorum, qui Ecclesiam, & ejus Jurisdictionem persequuntur. n. 18.*
12. *Exempla. n. 19.*

Certum est, Leges Civiles se non extendere extra territorium Legislatori subiectum ad alias gentes externas. Sed

I. Q. 1. An Leges Civiles obligent Ecclesiasticos intra territorium Principis existentes quoad Spiritualia? R. In eos vim non habent; quia in eos Jurisdictionem non habent. Duplicem enim, ut supra meminimus, potestatem Deus constituit, qua homines ad æternam beatitatem, ad quam eos condidit, dirigeret: politicam unam, medi-

ante

ante Republica principibus traditam, quâ gubernentur cives, & causæ politicæ, quæ in *ca. soluta de majoris. & obed. lunæ* comparatur. Ecclesiasticam alteram & Spiritualem, D. Petro, Apostolis, & per hos eorum Successoribus traditam, quâ Ecclesiastici, & causæ Ecclesiasticæ gubernentur *qua in cit. ca.* comparatur soli. Sicut enim Christus dum in terris versatus est, cum Apostolis Ecclesiam rexit, ac gubernavit tanquam Pontifex, & Pastor, ita dum in Cœlum abiit, in Ecclesia militante vicarium reliquit, cui cum Episcopis suis Ecclesiæ Regimen commisit, & oves suas pascendas; cui claves tradidit &c. Petro namque, ejusque Successoribus, non sæcularibus Principibus dictum est: *Pasce oves meas Jo. 21. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in Cælis. Matth. 16. Attendite vobis, & uni, verso gregi in quo vos Spiritum Sanctum posuistis Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivistis sanguine suo. act. 20. v. 28. si quis Ecclesiam non audierit, sit sibi sicut Ethniscus, & Publicanus Matth. 18. &c.*

II. Neque conveniens erat, ut Christus hanc spiritualem potestatem Principibus committeret, utpote qui temporalibus curis implicatissimi sunt, neque inter tot strepantium negotiorum sæcularium tumultus, euræ pascendi animas, & sacris literis, ac Divinæ Scientiæ, cujus Doctrina maximè necessaria est in Ecclesiasticis pastoribus, vacare possunt.

III. Recessit à verissima hac Doctrina Henricus VIII. Rex Angliæ, qui, ut Pontifici obedientiam negaret, consequenter etiam negavit, se habere in terris superiorem tam in *spiritualibus*, quam in *temporalibus*; sed se in suo Regno habere omnem potestatem supremam asseruit, atque Clerum in omnibus rebus, & causis sibi esse subiectum in suo Regno contendit; ut habet Suar. in *defensione Fidei L. 3. cap. 6. n. 3. & Lib. 4. cap. 2. num. 1.* ubi, & in toto eo opere Schisma hoc è fundamento refellit. Eodem Systemate procedunt sectæ nostri temporis passim, & exinde inferunt, Principes sæculares habere authoritatem ferendi Leges in omni materia, & obligantes omnes Personas.

IV. Hanc verò potestatem synceri orbis Christiani Principes, & Imperatores sibi non assumpserunt; sed eam in Ecclesiæ Pastoribus venerati sunt.

De Philippo I. Imperatore Christiano memoriæ proditum est, obedivisse Fabiano Pa-

pæ, ut ad Communionem non priùs accederet, quam inter publicos poenitentes sedens peccata deiseret. Euseb. *Lib. 6. Hist. cap. 25* Niceph. *Lib. 5. cap. 25.* apud Suar. in *defens. Fidei contra Regem Angliæ Lib. 3. cap. 21. num. 7.*

V. Constantinus M. libellos accusatorios sibi à quibusdam Episcopis contra alios Episcopos porrectos exussit. Dicens: *Sacerdotes ab hominibus judicari non posse, sed ad judicium solius Dei reservari* ut habetur in *can. futuram 15. caus. 12. q. 1.* & apud Ruffinum, ac passim apud veteres historicos refertur. Grethcherus *contra Theologos venet. Lib. 2. considerat. 5.* Suar. *loc. cit.*

VI. Theodosius Imperator ob cladem Thessalonicensium à S. Ambrosio publicè repulsus est ab ingressu Ecclesiæ, paruit, repulsam tulit, quousque post octo mensium publicam poenitentiam eundem in Ecclesiam iterum admitteret Ambrosius, ut ex *Ruffino, Theodoro, Paulino, Sozomeno, Augustino, & ipso Ambrosio* refert Spondanus *ad annum Christi 390.* cùmque Theodosius se excusaret exemplo Davidis, qui homicidium quoque perpetrasset; respondit Ambrosius: *qui secutus es errantem, sequere quoque corrigentem, seu poenitentem.* cit. Spondanus ex *Paulino.*

VII. Justinianus *L. inser. claras C. de summa Trinitate*, quam supra retulimus, scribens Joanni Sanctissimo Pontifici, ut Patrem eum veneratur, & omnia, quæ ad Ecclesiarum Statum pertinent ad eum refert, *nec enim, inquit, patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum Statum perinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestra innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium sanctorum Ecclesiarum; per omnia enim properamus honorem, & auctoritatem crescere vestra sedis.* Plura ejusmodi Testimonia refert Gratianus in *can. 3. dist. 19. can. 2. dist. 10. can. generalis 25. q. 1.*

VIII. Adjungit Suar. *num. 9* plura signa Reverentiæ, & obedientiæ Sedi Apostolicæ data ab Imperatoribus, & Regibus in omnibus locis, ac temporibus: nam in primis ferè omnes vocant *Spiritualem Patrem*, & addunt, *Beatissimum, Sanctissimum*; aut aliquid æquivalens, ut videre est in multis Epistolis ad Leonem Papam, Hormildam, Anastasium &c. sæpè confitentur, & recognoscunt Cathedralam Petri in Pontifice Romano, ejusque universalem Jurisdictionem in totam Ecclesiâ; sic Leo Rex Armenorum in *Epistola ad Innoc. 3.*

M

cum

*cum Dominum, & in Christo Patrem, & universalem Papam appellat, & Pastorem, quem Deus Ecclesie suae praesse voluit.*

IX. Carolus Rex Franciæ in Epistola ad Adrianum secundum sic scribit: *Sanctissimo Patri Adriano Summo universali Pontifici Carolus Dei gratiâ Rex, & Spiritus Filius vester. Plura dabit cit. cap. 21. Suar.*

X. Crabrones hinc excitavimus, adsunt Leguleij protestantes, qui tanquam pro aris, & focis pugnant contra hanc Pastoris Ecclesie universalis Jurisdictionem per universum terrarum orbem extensam, & manibus, pedibusque reluctantur, ut eam à suis excludant territorijs, & sæculari potestati subjectam contendant. Quò argumentò? negant, prætereaque nihil? nihil; si convitia, Scømmata, & calumnias excipias, quas acervatim jaciunt, & Ecclesiam, ac cum Ecclesia Jurisdictionem universalem in Fideles per orbem diffusos detecisse post Gregorium Magnum clamant: sufficit unum quempiam suæ farinae rabie in Ecclesiam inflammatum Lutheri stylo calumniam in Ecclesiam typo evomuisse, avidè arripiunt, & sequuntur reliqui, modò convitia sint contra Catholicos; sicut oves sequuntur præeuntem ovem, licet in præceps ea ducat: & sicut oscitante uno oscitat & alter, ita calumniantem uno contra Ecclesiam caluminantur reliqui, aut calumnias referunt. Luxuriant omnes passim libri Jctorum sectariorum narratiunculis calumniosis in Romanam Ecclesiam, quam cum solidè impugnare eorum Pastores haud possint, succurrunt Jcti, quorum libros Germania legit, & narrando narrationes, nescio quas sinistras, easque libris suis Juridicis inspergendo conantur obliterare. Longè majorem stragem Catholica veritas ab eorum libris politicis, & Juridicis patitur defactò, quàm ab alijs, quibus apertè suum Dogma in apricum ponunt de fidei controversijs disputandò; hi enim libri, & à paucis leguntur, quia prohibiti, & inveniantur facillè, qui confutent: Juridicos verò eorum libros, ut ut veneno heterodoxi erroris sparsim mixto refertos passim terunt non Jcti duntaxat, sed & Jctorum Discipuli, & vix est, qui confutet errores, & venenum, ut ab eo caveatur, demonstret. Maximè verò sub Schemate Juris publici virus instillatur, quod cum ex historijs maximè politicis pendeat, inter veras aliquas narrationes dogmata suæ sectæ, & mille falsitates, ac subinde valde subtiles, ac delicatas miscet,

& referunt maximè circa res Ecclesiasticas, quibus odium Ecclesie Catholice inspirantensim sine sensu, quas ceu venenum dulci vino inspersum hauriunt incauti Juvenes, qui istis operam dant, ac minimè sentientes inficiuntur.

XI. Quare pestis est Reipublicæ Christianæ, & res summè perniciofa, si juventus aut se tradit, aut à parentibus traditur in cautè heterodoxis Leguleijs erudienda, & tamen traditur! nec sanè apparet, qui salvà id conscientiam fieri queat, cum propter depravationem Canonum, à quibus Jus Civile quoad spiritualia, & quæ peccatum concernunt, ne erret, dirigi debet; tum propter heteroclitia ejusmodi dogmata, quibus Jus universum infarciunt. Inculcamus isthæc, & monemus tantopere, quia boni publici refert ea inculcari, & moneri. Basis, cui hac in parte innititur heterodoxa Jurisprudencia, sunt ejusmodi narratiunculæ, & Scømmata, quibus Jurisdictionem Ecclesie, & Romani Pontificis collapsam vociferantur; quæ fides hisce sit adhibenda, paulò antè diximus.

XII. Hoppiam audiamus, qui ut modestus mihi laudatus est, & quem recenter multi familiarem habent: is in *pracognitis luris cap. 8. §. 27. & 28.* ita habet: *Dubium non est, inquit, Jus canonicum in terris Ecclesia auctoritatem suam habere, quæ scilicet ipsi Pontifici subjecta sunt, quoad aliorum verò Principum territoria, Jus illud, quæ Pontificium auctoritatem non habet, etiamsi Principes illi sint Pontificij. Denegamus enim Pontifici potestatem leges ferendi non subditis, & ita ultra territorium suum Jus ferendi contra L. fin. ff. de iurisdic. Quod in causis sæcularibus expeditum. Sed an non Decretum Pontificis causam Ecclesiasticam concernens obliget subditos Principum Catholicorum? hoc perinde negaremus, nisi ex falsa hypothesis decidenda foret questio, quasi caput Ecclesia universalis esset Papa, ut sic decreta ejus quavis Ecclesia membra, & sic quoque alterius Principis subditos stringant. Quoad terras verò (pergit §. 28.) protestantium res magis expedita. Negamus enim pontifici Principium suum; eundem esse caput Ecclesia, quò fundamentò collapsò, quæ superstructa sunt, propria sponte corruent.*

XIII. Cernis fundamentum cur leges quoad causas Ecclesiasticas (de legibus merè politicis, quas pro sua ditione temporali fert Pontifex tanquam territorialis Dominus expeditum relinquimus) in sua territoria admittere recusent, negant, esse caput Ecclesie Pon-

Pontificem, & ideo negant, habere Jurisdictionem ferendi leges Ecclesiasticas, quæ se in aliorum Principum territoria protendant: huic negationi superstruunt totam suam Jurisprudenciam, & Jura Canonica Legibus subjiciunt. Sed cum Hoppio solo loquamur; negas Jurisdictionem in Christi fideles spiritualem Romano Antistiti? concedo equidem; quis enim neganti tibi negare te neget? at, amabo te, qua ex ratione negas? sine ratione enim negare prudentis non est; sed, ut parœmia fert, sine ratione unus insipiens potest plus negare, quam 10. sapientes probare. *Quia defecit Ecclesia, & ejus jurisdictio*, inquit §. 1. *postquam ποικίλων in τυραννῶν verterunt sequiores Romani Pontifices post obitum Gregorij Magni.*

XIV. Gravissimum Scelus! Apostasiæ, & defectionis à vera fide accusas Universalẽ Ecclesiam? Quæso te, qua id ratione probas? JCrus es, scis, cautè esse incedendum accusanti tam enormia crimina, ne calumniator audiat: Scis, requiri probationes validissimas, perspicuas, & luce Clariores *L. fin. C. de probat. Scis, actore non probante, reum absolvi L. qui accusare 4. C. de edendo. L. actor. 23. C. de probat.* Quid si deberes te ad pœnam Talionis subscribere secundum *Can. quisquis 2. q. 8. L. si cui ff. de accusat. L. fin. C. cod.* certè Talionem reddet ille olim Judex qui scrutatur corda, & renes. Ede probationes tuas, produc testes, non ex Lutheri, aut Calvini Consortio, omnes enim hi partiales, & in causâ propriâ sunt, odiò flagrant in Ecclesiã, & à quâ defecerunt ipsi, eam defecisse calumnantur, præoccupati sunt suâ heteroclitâ persuasione; sed produc testes antiquos, solidos, omni exceptione majores; ostende locum, tempus, dogma, ubi, quando, in quo defecerit universa Ecclesia Romana, & perdidit suam in Fideles omnes Jurisdictionem spiritualem?

Dico: *Univerſa Ecclesia Romana*, gnare enim scio, varias particulares hæreses exortas variis in locis, quibus Romana Ecclesia impugnata est; semper tamen stetit immota, & invicta, ceu rupes irati pelagi fluctibus verberata, *Columna, & Firmamentum veritatis. 1. Timoth. 3. 15.* Ostende tribunal, in quo legitimè fuerit erroris accusata, convicta, & condemnata? Ostende quis ab aliquot Sæculis quos dicitis, novos errores invexit? quò Pontifice virus tam pestilens vomitari cæptum? quibus in terris? quam apud Nationem? quã

viã, modòque? quæ Orbis pars, infectis cæteris, mansit intacta? Qui Patres, qui Doctores bellum moverunt novitiis illis, & execrandis erroribus? Enim verò suis in latibulis, ut Segneri loquitur, quietos relinqui Dracones mirum non est; sed cum prodeunt, ut agros, locaque culta pestilenti suo halitu inficiant, quomodo nullus uspiam magni animi vir frontem illis obvertit, ut posternat, ut in fugam agat? quĩ igitur fieri poterat, ut hæresis aliquis auctor prodiret in publicum, totam rempublicam Christianam exitalibus erroribus, quos appellatis, inficeret, nec tamen Doctorum quispiam calamum stringeret ad vitam monstro eripiendam? nemo pastorum Populi nemo Præfulum clamaret saltem, & lupum proderet? fuit quidem semper iste mos Ecclesiæ constantissimus, quoties hæreses alicubi se prodebant, ut confestim sese illis magno studio opponerent Doctores: quã igitur ratione exitalia ejusmodi nocumenta prævaluerunt, & tot sæcula perdurârunt, donec Apostata Lutherus convitiis bacchari in Ecclesiam cœpit, & hunc Protoparentem suum reliqui sedarij sint secuti?

XV. Stetit sub suo capite Romano Pontifice Ecclesia, stetit ejus in fideles Jurisdictio spiritualis, & Ecclesiastica usq; ad Gregorium Magnum; non abnuvit Hoppius, non abnuvit alij; cur igitur nunc volunt esse ἀνέφαλον, sine capite? nisi ut sine Pastore libera detur errandi facultas: quæ est pernicioſa illa libertas, quam vocant, conscientiæ.

In possessione est à tot sæculis Ecclesia Romana, in eadem permanet, quamdiu ex ea non dejicitur; dejecta autem hæctenus non est à paucis illis, qui post Lutherum eam, ut canes lunam, allatrare cœperunt; cum interim pro ea stent tot Regna, & Provinciæ, tot Doctores, Reges, & Principes, qui utique & ipsi viderent ea sphalmata, quæ calumniosè ab ejus hostibus obijciuntur. Non asserenda sunt tam enormia Crimina, Defectio, Apostasia, Idololatria, Tyrannis, &c. probanda sunt, aut qui obijciunt, calumniatores sunt; probare autem hæctenus non potuere, neque poterunt. Talio ubi es?

XVI. Accusaverant innocentem Susannam libidinosissimi senes sceleris, quod ipsi meditati erant: adest Daniel, separari eos ab invicè jubet, & quemq; seorsim interrogat, quãnam sub arbore viderit scelus à Susanna patratum cumque unus sub *Schimo*, alter sub *Prino* reponeret, indignatus impudentiæ, & mendacio

Da-



Daniel, ad quemlibet eorū; *rectè mentitus es, inquit, in caput tuum*; & utrumq; calumniatorem pœnâ talionis morti dat. *Dan. 13.* Eadem methodô procedunt sectarij contra Ecclesiam, sed non eadem Talione: *defecerunt ipsi ab Ecclesia, & defecisse ipsam calumniantur*; si quæras, sub quo Pontifice, quô tempore &c? unus sub *Schimo*, alter respondebit sub *Primo*, ille sub hoc, alius sub alio Pontifice, unus hœc, alius aliô tempore. Defecisse ipsos ab Ecclesia certum est; defecisse Ecclesiam asseritur, non probatur; quid judicandum, prudens Lector dispiciat.

XVII. Calumnias, & Scoñata, quæ passim reperire est in sectariorum libris & Juridicis, & Politicis, non refutamus, sed rabulis, ac fucris refutanda relinquimus, aut iratis, ac furore insanientibus mulierculis, quod hominum genus huic pugnae assuetum melius sciet in forma retortionis alia convitia, & Scoñata reponere, ut sunt *Antichristi Tyranni &c.* nomina. Viros honestos isthæc non decent.

XVIII. Illud addimus, infelicem solere esse exitum eorum; qui in Ecclesiam à Christo fundatam insurgunt & ad eam persequendam aliis stimulos addunt. Quod ostendit Bellarminus *de Notis Ecclesie cap. 17.* *Est enim Deus permittat ejusmodi Calumniatores, & Oppugnatores Ecclesie, ut per eos puniat suos, & flagellet, tamen tandem virgam projicit in ignem.*

XIX. *Simon magus cum ope Daemonum in æra elatus volare vellet, precibus S. Petri infelix Icarus è suo volatu dejectus in terram, sibiis freuit, & paulo post cum summâ ignominia obiit.*  
 2. *Excoriatus est a Rege Persarum Manichæus vivus, non ob fidem, sed quia filium Regis curaturus occidit. Epiph. heres. 66.* 3. *Montanus, Theodotus, & Prophetistæ eorum laqueis seipos necaverunt. Euseb. lib. 5. histor. cap. 16.* 4. *Donatistæ quidam cum canibus Eucharistiam projicerent, ab iisdem Canibus lacerati sunt. Optat. lib. 2. contra Parmenianum.* 5. *Arrius, cum in Ecclesiam intrare vellet, subito motu alvi ad latrinas publicas accessit, & simul cum excrementis intestina omnia, & animâ effudit. S. Athanas. orat. 1. contra Arrian. Ruffinus lib. 10. hist. cap. 13.* 6. *Julianus Apostata Divinitus occisus communi etiam caruit sepultura; nam à terra sponte aperta absorptum scribit Greg. Nazianzen. orat. in Athanasium in fine.* 7. *Valens Arianus, qui Juliano in persecutione Christianorum successit, vivus a Gotbis etiam Arianis Crematus est. Ruffin. lib. 1. hist. cap. 13.* 8. *Nestorius lingua impia à vermibus consumptâ miserime interiiit. Evagrius lib. 1. histor. cap. 7.* 9. *Hunericus Rex Wandalorum Arianus, & persecutor Ecclesie, vermibus toto Corpore scatens consumptus est. Victor. lib. 3.* 10. *Anastasis Imperator fautor hereticorum Erychianorum fulmine itum interiiit, ut scribunt Cedrenus, Zonaras, & Paulus Diaconus in*

*ejus vita.* 11. *Tempore Leonis Iconomachi pestilentia consecuta combustionem imaginum in foro Constantinopolitano trecenta millia hominum sustulit Constantinopoli: vide Chronicum Mathei Palmerii ann. 741. de Constantino Copronymo, & Paulum Diaconum.* 12. *Lutherus morte repentina sublatum est; nam cum vesperi opiparam Cœnam sumpsisset letum, & sanus, & facetiis suis omnes ad risum provocasset, eadem nocte mortuus est, Cochleus in ejus vita.* 13. *Zwinglius in bello contra Catholicos trucidatus est, & paulo post Basileæ frater ejus spiritualis Oecolampadius cum vesperi sanus cubitum ivisset, manè inventus est ab uxore mortuus in lecto. Cochleus in actis Lutheri annò 1531.* 14. *Andream Carolstadium à Demone interfectum ministri Basileenses scribunt in epistola, quam ediderunt de morte Carolstadij.* 15. *Joannes Calvinus vermibus consumptus expiravit, ut Antiochus, Herodes, Maximinus, & Hunericus: testatur Hieronymus Bolsecus in ejus vita, qui etiam addit, eum, Demonibus invocatis blasphemantem, & execrantem obiisse. hæc Bellarminus.*

## §. V.

An Magistratus Civiles possint ferre Leges circa Ecclesias, & Personas Ecclesiasticas in rebus, & Causis temporalibus?

1. *Controversia inter Paulum V. Rom. Pontificem, & Serenissimam Republicanam Venetam. n. 2. & seqq.*
2. *Magistratus Politicus non potest ferre Leges in Ecclesias, & Personas Ecclesiasticas. n. 5. & seqq.*
3. *Nec potest Privilegia, quæ Ecclesia concessit, revocare. n. 11.*

L. **O**stensum est, Ecclesias, & Clericos non subjacere Jurisdictioni, & Legibus politicis in *Causis spiritualibus, & merè Ecclesiasticis*: neque esse potest ulterius dubium, quin Jure Divinò in his sint Eximij Ecclesiastici; ut, in *creandis Episcopis, & Sacerdotibus, in distribuendis Diocesis, & Paræcis, atque omnibus causis inde emergentibus*; & quæ *Fidem, Sacramenta, Sacrificium, & Divinum cultum, animarumque salutem respiciunt*; Nam Apostoli finè ulla laicæ potestatis auctoritate curam, & administrationem Ecclesiæ exercebant, eodémque modò perpetuò se gesserunt eorū successores. Ludovic. Molin. *de l. & l. tr. 2. disp. 31.* In dubium autem quidam trahere conati sunt *causas temporales Ecclesiarum, & Clericorum*; ut, circa *solucionem tributorum, punitionem criminum, circa bona Ecclesis donanda, vendenda, &c.*

II. Acriter hac in re concertatum fuit initio prioris sæculi occasione controversiæ Venetæ exortæ inter Paulum V. Romanum Pontificem,

q̄ta, & Serenissimam Remp̄blicam Venetam circa leges quasdam, quas Senatus Venetus sanxerat, occasione cujusdam litis, quæ vertebatur inter Doctorem Franciscum Zabarellam, & Monachos Benedictinos Monasterij de Praglia, aliàs sanctæ Justinæ de Padua dicti in Diocesi Paduana; ne quisquam sive sæcularis, sive Ecclesiasticus in ditione Veneta Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, aliâque pia loca fundaret sinè Senatûs speciali licentia, ne quis bona immobilia ad pias causas, aut in favorem personarum Ecclesiasticarum testamento, donatione aut quovis titulò absque licentia Senatûs alienaret: ne bona Ecclesiastica Emphyteutica à laicis possessa ad Ecclesias, & pia loca, quorum est directum Dominium, ullo unquam tempore, quovis Titulo redirent. Præterea Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum, & Brandolinum Valdemarinum Foroiuliensem Abbatem Monasterij, seu Abbatiz de Nervela Tarvisinæ Diocesis, Personam in dignitate Ecclesiastica constitutam, ob quædam prætentata crimina in civitate Vicentina, & alibi per illos (ut dicebatur) commissâ Carceri mancipavit. Hæc sua Decreta, ac leges cum senatus sæpe paternè monitus revocare renuisset, à Paulo Pontifice fuit anathemate adstrictus, ipsâque dictio Veneta Ecclesiastico interdicto subjecta, prout refert Gretserus *in considerat. advers. Theolog. Venet.* referens 22. auctores, qui causam Pontificis defenderunt, & Adamus Tannerus *in defens. Eccles. libert.* uterque *in facti specie*: quæ initio prioris sæculi omnium ore celebrabatur: rem gestam etiam refert Jos. Juvencius *Hist. soc. p. 5. L. 12. num. 98. & seqq.*

III. Ut autem nulla ferè causa est, quæ patronum non inveniat, ita & in hac non pauca ingenia placendi studiò se exercuerunt contra beatissimum Ecclesiæ præfulem, & ejus Jurisdictionem, ut potestatem hujusmodi leges ferendi Magistratui sæculari afferrent, quod præter plures alios, quos recenset Gretserus, moliri præcipuè conati sunt Joannes Marsilius Neapolitanus presbyter, Paulus Venetus servita: F. Fulgentius Manfredus minorita, F. M. Antonius Capellus minorita conventualis nota Principio prioris sæculi nomina.

Contra hos cum Illustrissimis Cardinalibus Baronio, & Bellarmino, præter multos alios, egregiè vicissim pugnârunt in Germania nostra anno 1607. cit. Jacobus Gretserus,

& Adamus Tannerus, uterque insigniter causæ adversæ patronos confutat; quorum posterior insuper Lib. 1. eruditè ostendit, memoratum Marsilium Neapolitanum, & ejus Commilitones prorsus eâ procedere methodo, quâ Lutherus, Hussus, & alij similes in excitando suo Schismate processerunt; & Lib. 2. demonstrat, eorum argumenta à Wicleffo, Calvino, & alijs ejus ævi sectarijs esse petita, & à Marsilio de Padua, qui quingentos ferè annos præcesserat, ac inter alias hæreses dixit, Christum solùm dedisse Sacerdotibus potestatem ministrandi Sacramenta, & prædicandi Verbum DEI, in reliquis verò omnibus eos Dispositioni, & Jurisdictioni temporalium Magistratuum subjectos reliquisse, ut ex Pighio Lib. 5. de Ecclesiastic. Hierarch. refert Suar. *in defens. fido. L. 3. cap. 6.*

IV. Non est nostrum intentum sepultas hæc lites novare; insinuanda tamen hæc fuere; quia scimus, esse, qui nostro ævo cramben hanc antiquam recoquunt, & nescio quid se invenisse arbitrantur, dum centones quosdam ex dudum confutatis chartis reperiunt, variòq; idiomate denuò in apicū protrudunt. Quæ hodie contra Jurisdictionem Ecclesiasticam eduntur in lucem, ex his ferè fontibus fluunt; ut sciat cautus lector, quales legat, si hosce legat, quem ad cit. Gretserum, & Tannerum remittimus, si scire isthæc amplius desideret, ubi non tantùm refutata, sed & convicta ea reperiet. Nos interim in genere examinamus quæstionè, quâ

V. Q. An Magistratus Civiles possint ferre leges circa Ecclesias, & personas Ecclesiasticas in causis, & rebus temporalibus? R. Non possunt ferre; sed tales Leges, si ferantur, irritæ sunt, sicut & omnes Leges repugnantes immunitati Ecclesiasticæ. Responsio constat ex utroque Jure Canonico, & Civili. Ex Jure Canonico constat *ca. que in Ecclesiarum 7. de consis.* & ibi glossa: *nova*, inquit, *quod constitutio facta in rebus Ecclesia per Laicos non valet.* *Ca. Ecclesia 10. eode. ca. noveris 49. ca. gravem 53. de sent. excom. can. 1. & seqq. dist. 10. can. si Imperator 11. & can. nunquam 12. dist. 96. Ex Jure Civili L. placet 5. L. Privilegia 12. auth. cassa C. de ß. Eccles.* Ratio est: quia Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ cum suis rebus sunt extra limites Jurisdictionis sæcularis. *ca. qui res Ecclesia, & ca. fin. de rebus Ecclesia alienand. ca. quanquam 4. de censib. in 6.* Estque Regulæ instar JCtis, *quod Clericus tam in criminalibus, quam Civilibus à Iudice Laico judicari*

non possit; neque subit ipsius Jurisdictioni, consequenter nec Legibus, quæ Jurisdictionem supponunt. Prosper. Farinacius. *Lib. 1. tit. 1. q. 8. num. 1. ex ca. cum non ab homine c. at si Clerici. ca. Clerici. ca. qualiter de judicijs ca. si diligenti. ca. significasti de foro compet. ca. si iudex Laicus de sent. ex com. in 6. can. continua. can. placuit. can. Clericum nullus 11. q. 1. can. denique dist. 96. auth. ut Clerici apud proprios Episc. collat. 6. Et multis demonstrant Canonistæ ad tit. de foro compet. & de immunit. Eccles.*

VI. Hanc Ecclesiarum, & Personarum Ecclesiasticarum Exemptionem à Jurisdictione sæcularium antiquissimam esse ostendit Tannerus contra prædictos Theologos venetos *Lib. 1. cap. 8. & seqq.* ubi retro ad tempora Caroli Magni ab his ad tempora Augustini, ab his ad tempora Constantini, & Sylvestri, ab his ad tempora Apostolorum ostendit, semper immunitatem Ecclesiasticam in Ecclesia viguisse; licet ea temporibus persecutionum, & Imperatorum Ethnicorum fuerit Tyrannide oppressa. Idem ostendit Suar. *Lib. 4. defens. fid. cap. 3. n. 20. Ex Epistola Alexandri 1. ad omnes orthodoxos, qui sedit anno 109. & testatur, à temporibus Apostolorum id observatum fuisse. Ex Caio Papa ad Felicem Episcopum ann. 283. ex Marcillino Epist. 2. ad universos Episcopos orientis ann. 196. Ex Sylvestro in Conoil. Roman. ann. 314. ex Gelaf. relato in can. Christianis, & can. Sylvestri 11. q. 1. & alijs. Multa item refert Concilia generalia, & Provincialia antiqua, & recentiora, quæ Clericos non à Laicis, sed ab Episcopis, vel Concilijs Provincialibus judicandos esse tradiderunt. Impossibile autem est, concludit; tot Pontifices Sanctos, & sapientes, quorum multi etiam Martyres fuerant, & tot Concilia Ecclesiam in hoc decepisse. Unde prorsus incredibile est (quod A catholicis calumiantur) Clericos contra Imperatores, & Reges Privilegium hoc per Tyrannidem, vel injuriam utrupasse.*

VII. Ad eandem veritatem demonstrandâ Jura, & Auctores coacervat Emmanuel Gonzalez *ad ca. 8. de judicijs*, ut adeo omnibus pateat, quàm hallucinati sint Marsilius, & Paulus Venetus dum prior ait, usque ad Justinianum Imperatorem; alter per 12. sæcula nullum extare in Jure Privilegium de Exemptione Ecclesiasticorum. Apud Tannerum *tit. cap. 8.*

VIII. Atque extenduntur hæc quoque ad bona Patrimonialia Clericorum, ut & hæc sint extra Jurisdictionem politicam, neque Legibus Civilibus subjecta, ut communis fert

& Canonistarum, & Legistarum sententia, teste Lay. *L. 4. rr. 9. cap. 6. num. 9.* & colligitur aperte ex *ca. adversus de immunit. Eccles. & ca. quanquam de censib. in 6. Clement. un. de immunit. Eccles. L. 2. & constitut. item nulli C. de Episcop. & Cleric.* nam in his Juribus universim prohibetur, ne Ecclesiasticis personis Talliæ, collectæ, aut aliæ quæcunque exactiones imponantur: Quando enim personæ sunt exemptæ, à Legibus, & Statuis, etiâ res earum sunt exemptæ, utpote quæ accessoriae sunt personis, illisque adhærent; igitur cum Jurisdictio in personas non competat, nec in res earum competit, ut ex Abbate arguit Pirhing *tit. de constitut. n. 73.* quia Lex non potest disponere de rebus, nisi obligando personam; cum res non sint capaces Legis, nisi ratione personæ, quæ illas possidet.

IX. Excipiuntur 1. res feudales, quoad has enim Clerici Vasalli Domino Laico subijciuntur; quia Dominium directum is retinet. Excipiuntur 2. res patrimoniales, quæ antequam persona Clericatum assumeret, jam fuerunt subjecta tributis merè realibus.

X. Non discutimus hîc controversiam, an hæc Exemptio quoad causas, & res temporales sit *juris Divini*, quod communior sententia asserit; *ex ca. quanquam de cens. in 6. ca. nimis de iure iur. Conc. Trid. sess. 25. cap. 20. de reform. vel solùm juris humani* per Privilegia Imperatorum, & Regum Statui Clericali concessa, & à Romanis Pontificibus, aliisque Ecclesiæ Prælati acceptata, atque sanctionibus Ecclesiasticis confirmata, ut alij volunt cum Cõvaruvia *pract. quest. cap. 31.* certè Juri Dixino naturali valdè consentanea hæc exemptio est, sique eam Jus Divinum naturale non efficit, saltem dictat, esse concedendam à Principibus, quod ex his rationibus patet: 1. Quia Ministri Ecclesiæ *jure Divino sunt instituti*, & sub Jurisdictione Ecclesiastica constituti ad vacandum spiritualibus sub uno supremo capite. Sanè hoc Jus Divinum, quo ita instituti sunt, & ipsum Lumen naturale dictat, ut à Jurisdictione sæcularium eximantur, ne sub duplici Jurisdictione existere debeant. 2. Ut Clerici liberiores reddantur ad vacandum spiritualibus suis officijs ad diversa tribunalia minimè distracti. 3. Ut Status Clericalis dignitas, & auctoritas in subditos suos melius conservetur: constat, quanto in contemptu apud Lutheranos, & alios A catholicos passim sint Præcones, qui sæculari Judici subijciuntur; ut non reperiat vir magni Stemmatis, & Authoritatis, qui hoc

officium apud eos assumere velit. 4. Quia Clerici sunt Pastores, & Patres Spirituales, Laici verò eorum ovicula, & Filij; soli enim Petro, & ejus Successoribus dictum: *palce oves meas*; indecens autem esset, si illi, quibus Laici *tanquam filij in Spiritualibus* sunt subiecti, ut *Episcopus, & Parochus*, ab eisdem in *temporalibus* judicarentur, ac punirentur, indeque plurima indecentia, & valde absurda oriri possent, dum Ecclesiastici ob metum sæcularium, à quibus in temporalibus penderent, erga illos munus suum in Spiritualibus ritè exercere non auderent. Molina de just. tr. 2. disp. 31. num. 7. præsertim difficultas esset in Sacramento poenitentiae administrando, & conveniente poenitentia pro satisfactione injungenda &c. 5. Quia, etsi Principes Clericos ab injuria defendant, & curent, ut tranquillitate temporali fruantur, tamen Clerici vicissim Principibus majus longè beneficium conferunt, ipsorum enim ministerio sunt Christiani, accipiunt doctrinam salutis, remissionem peccatorum, animæ sanitatem, panem coelestem, & vitam æternam: ipsorum orationibus fulcitur regnū, avertuntur calamitates, & conciliatur pax, tranquillitas, & felix Status rerum. Ex quibus patet, Principes Lege Religionis, observantiae, & gratitudinis obligari, ut Ecclesiasticos exemptos habeant, seu eximant. Less. Lib. 2. cap. 33. Dub. 4. 6. Clericis Laicos in seipso oppido tradit antiquitas, & presentium experimenta temporum manifestè declarant, ut dicitur in ca. 2. de immunit. Eccles. in d. can. Laici 2. q. 7. unde non debent illorum Jurisdictioni temporali subijci, nec eis permitti facultas corrigendi, & vindicandi scelera in Ecclesiasticis personis, & proferendi judicium de earum vita, & moribus, & bonis. Ganzalez. 7. Quia etiã apud Judæos eorum levitæ, & alij Ministri Templi exempti fuere ab omni sæculari potestate, ut probat Menoch. Lib. 1. de Republ. Hebr. cap. 11. & Lib. 2. polit. cap. 5. apud Gonzalez ad ca. 8. de iudic. num. 7. Apud gentiles quoque idem observatum; nam apud Romanos Vestalium incestus tantum Pontifices vindicabant, ut ex Plutarcho, Tacito, & Plinio habet cit. Gonzalez. Et probat Suar. Lib. 4. cap. 8. contra Reg. Angliæ n. 13. & legq. ab ipsa Lege puræ naturæ, apud infideles eorum qualescunque Sacerdotes, quasi ductu naturali luminis à laicorum oneribus fuisse exemptos: quanto magis in Lege Evangelica sint exempti Clerici, qui excellentio-

ri longè modo sunt consecrati Deo, & Sacri. Plures Rationes vide sis apud citt. D. D.

XI. Quid quid verò de hoc sit. Illud cum Suar. Lib. 4. defen. fid. cap. 50. & aliis ab hoc relatis demonstrat Covaruv. pract. quest. cap. 31. Flavius Popeus cap. 3. etiamsi ea immunitas descendat à Jure humano, etiamsi Princeps sæcularis eam concessisse dicatur, tamen is propria auctoritate eam non potest auferre, aut diminuere, ac legibus proprijs ei derogare: 1. quia Papa eam propria auctoritate à Christo accepta confirmavit, & ideo non est amplius mera concessio Principis Laici, sed etiam Pontificis; nam ea nostra sunt, quibus nostram imperium auctoritatem L. 1. §. 6. v. omnia C. de vet. iur. enucleand. 2. Quia dicta Exemptio est donatio facta absolute, & in perpetuum Ecclesie, ob remunerationem meritorum, & beneficiorum, estque ab Ecclesia acceptata, & ideo transit in Jus Ecclesie, atque consensu Principum, ac Populorum per multa sæcula conviviit; Donatio autem acceptata à donatario auferri ab eo non potest per solum donantis consensum. 3. Cum ea Donatio sit in remunerationem meritorum Ecclesie, transit in vim contractus, qui revocari ab uno tantum contrahente non potest etiam ex gravi causa ad bonum publicum spectante, nisi à revocante fiat compensatio Juris ablati: nam res per quas causas nascitur per easdem dissolvitur. ca. 1. de Reg. iur. in 5. Litem naturale ff. de Reg. iur. at quænam sit compensatio à Laicis, dum ab Ecclesiasticis auferunt Jus exemptionis, vel illud diminuunt? 4. Privilegium non subditum concessum ab eo acceptatum transit in contractum, & est irrevocabile L. sicut ab initio C. de pactis, & oblig. D. D. apud Dian. part. 4. tr. 1. res. 82. n. 4. At Ecclesiastici non sunt subditi Laico Principi, sed extra ejus Jurisdictionem.

XII. Ad Jura autem, quibus Imperatores aliqui statuerunt contra hanc immunitatem, Respondet cit. Popeus 1. Imperatores illos ita statuisse: quia res Ecclesie nondum erant ita ordinatae, ut nunc sunt, & ideo multa sibi usurpasse, quæ non debuissent usurpare. 2. in ea temporum perturbatione &c. Sumos Pontifices aliqua dissimulasse, quæ Imperatores contra Jura Ecclesie agebant, & ideo Imperatores vel ex tacito Papa Consensu, vel aliquando etiam expresso, leges aliquas tulisse, quæ Juribus Ecclesie officiebant, Pontifices autem tunc satis habebant sacra Dogmata, & Dei cultum stabilire, bonaque Ecclesiastica conservare, & ideo permittebant solvi tributa ab Ecclesiis,

ne Imperatores fidei, & Religionis progressum impedirent, turbantibus omnia paganis, & Hæreticis, ut S. Ambros. *ca. si tributum* 11. q. 1. 3. eas LL. per posteriores Imp. fuisse revocatas Pontifice suadente, vel approbante, vel subscribente, ut, *auth. cassa C. de SS. Ecclesijs. L. item nulla C. de Episcopis & Cler. L. juxta sanctionem eod. L. privil. C. de β. Ecclesijs.* Modò à Summis Pontificibus satis constituta, & confirmata est immunitas Ecclesiastica, dum suis Legibus contrarias LL. Civiles abrogarunt, & faciendas abrogant, quod satis est, etiam si nullæ Leges Civiles extarent eam immunitatem statuentes. Hæc Popeus.

## §. VI.

## Opposita solvuntur.

I. **O**pponitur 1. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Rom. 13. 1.* Item: *admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse. ad Tit. 3. v. 1.*: ergo Clerici Sæcularibus Judicibus sunt subditi. 2. S. Paulus ad Cæsarem appellavit. 3. SS. Canones monstrant, ipsos Pontifices sæculari Jurisdictioni se subditos agnovisse. sic *can. nos si incompetenter 41. causa 2. q. 7.* Pontifex scribit Imperatori: *nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditos juxta legis tramitem non conservavimus, vestro, & missorum vestrorum, cuncta volumus emendare judicio.* Idem constat ex *L. 25. pr. L. 33. & 37. §. fin. C. de Episcopis & Clericis.* 4. Divus Paulus ad Gallionem Proconsulem Achaiae (qui frater Senecæ erat) cum deductus esset, & accusatus, Proconsul respondit: *Si scelus aliquod, aut crimen parvum dignum commissum, ego illud puniam, & coercebo. Act. 18.* 5. Cæcilianus Carthaginensis Episcopus accusatus à Donatistis, & damnatus ab Arelatensi Episcopo, à Constantino Imperatore post causæ discussionem fuit absolutus, ut S. Aug. & alij referunt apud Gonzalez. 6. Cyrillus Præsul Hierosolymitanus, absens damnatus in Synodo appellavit ad Imperatorem, quasi ad majus tribunal, uti & Dioscorus pariter in Synodo damnatus ad Judices Sæculares, tanquam ad Superiores appellavit, ut apud cit. Gonzalez referuntur. 7. *In Novell. 83.* statuitur, tantum in Ecclesiasticis delictis Clericos esse conveniendos coram Judice Ecclesiastico; quod etiam cavetur in *auth. Clericus C. de Episcopis, & Clericis,* ergo propter furtum

e. g. quod est delictum temporale, cognitio competit Judici, Laico.

II. **R.** ad 1. N. conf. & suppositum, quod potestas sæcularium sit potestas Clericorum. Scriptura tantum vult, ut quisque subditus sit suo Superiori; ex quo id duntaxat inferitur, quod, sicut Laici subditi esse debent suis Indicibus Laicis, ita & Ecclesiastici debeant subesse suis Indicibus Ecclesiasticis. Argumentum laborat dialecticâ; non enim ex universalis propositione, omnis homo subditus sit potestati alicui, licet inferre: ergo omnis homo subditus sit huic potestati alicui in particulari, aliàs ex hac propositione: omnes Europæi debent esse subditi alicui potestati, inferretur: ergo debent esse subditi principibus Asiae, vel Africa; ergo nos debemus subesse Turcæ &c. Quare prorsus extra rhombum adducit Carpvovius illum Evangelij textum *Matth. 2. Marc. 10. & Luca 22. Principes Gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos.* & Wisenbach Textum *1. Petr. 3. Mulieres subdite sint viris suis; quia sicut suis subditis dominantur Principes; & suis viris subdite sunt uxores, non alienis; sic Ecclesiastici suo subditi sunt Superiori, non alieno.* Omnino verò ineptit illud quorundam argumentum, quod à facto ad jus faciendi arguitur. sic apud Fridrich. *de Foro compet. n. 223.* addunt factum, seu præjudicium, ut ajunt, Henrici IV. Imperatoris Pontificatum Benedicto X. abrogantis, & Nicolaum II. substituentis. Sit factum, quid inde? ergo bene factum. N. conseq. Sanè hoc si esset, præter complura alia poterit etiam adduci factum Neronis, utrique Apostolorum Principi, Petro, & Paulo Claves cum vita extorquentis, & generosâ consequentiâ inferri, quod Pontifices, & Reges sunt subditi parricidarum, à quibus Coronâ, & vitâ privantur; ut arguit. cit. Fridrich. Videatur etiam Bellarm. de Pontific. supra relatus.

III. **R.** ad 2. S. Paulus ad Cæsarem appellavit contra Laicos, nempe Festum Præsidem, & Judæos sibi vim injustam facientes, ut à Cæsare contra eorum injuriam protegeretur, cum aliud mediū evadendi horum manus injustas non haberet; frustra enim fuisset, si ad S. Petrum Christi Vicarium appellasset, & ad eum tanquam Judicem hujus causæ remitti ab Ethnicis, & Judæis postulasset: id autem nequaquam Clericis est prohibitum, ut provocent ad brachium sæculare, illudque invocent in auxilium in talibus circumstantiis, ubi

ubi Judicem suum habere, & adire non possunt; neque ex hoc inferitur, quòd sæcularè illum, ad cujus auxiliũ tali casu confugiunt, agnoscant pro suo Judice competente, & *Iurisdictionaliter* ipsi se subijciant.

IV. Ad 3. Respondet P. Melchior Fridrich *de For. Comp. n. 224.* si quis illos Canones æquis oculis legerit, nullam ibi probationem, multò minùs demonstrationem, ut Carpzovius jactat, videbit; & quoad *can. nos si in. competenter*, nihil aliud in eo dicit Pontifex, quàm se ita confidere innocentie suæ, & conscientie rectè factorum, ut nullius hominis iudicium reformidet, & paratum se esse emendare, quidquid peccatum à se esse quisquam ostenderit; quòd sæpè & alij Principes, ac Magistratus erga subditos suos profitentur, quin in ipsis aliquam agnoscant iurisdictionem. In *Canon. 10. 12. & 13. dist. 10.* pergit cit. Fridrich, *quos pariter adducunt Stephani, & Carpzovius, nihil prorsus habetur, quod ad præsentem quæstionem faciat, ut mirum sit, viros doctos, & veritatis amantes in animum induxisse eos adducere.* Sed, inquit Stephani, *can. 7. & 8. caus. 23. q. 8.* Imperatori rationem reddit Pontifex, quòd arma suscepisset pro defendenda Roma. Verùm quis Laicus, vel Clericus dum alteri dicit, se nihil contra ejus jus fecisse (ut ibi dicit Pontifex) eum propterea Superiorè agnoscit? æquè parum ad rem facit *can. 9. dist. 10.* ibi enim dicit Pontifex, se Capitula, & Leges Imperiales conservaturum, seu non permitturum, ut violentur; hoc autem etiamnum faciunt SS. Pontifices absque eo, ut se subjectos profiteantur Laicis.

V. Quod attinet ad L.L. civiles, constat ex dictis, eas aut non valere, aut esse revocatas per alias posteriores.

VI. Opponuntur præterea Canones aliquorum Conciliorum, ut *Canon. 7. Concilij Matisconensis. Canon. 6. Concilij Parisiensis V. Canon. 4. Conc. Terraconensis relati in ca. nullus. caus. 15. q. 4.* quos Canones solvit Gonzalez *n. 12. & seqq.* & Responsio ad ea patebit ex modo dicendis.

VII. Quoad 4. R. Si Exemptio Clericorum sit *Iuris humani*, ut quidam volunt, ea tunc temporis, quò S. Paulus Proconsuli Achajæ fuit adductus in Judicium, nondum fuit ita constituta. Si verò sit *Iuris Divini*, ut vult Communionior, tunc Gallio non potuit punire S. Paulum *de Iure*, etiamsi Paulus crimen poenâ dignum commisisset, quale utique S. Apostolus nullum commiserat, prout ipse Procon-

sul fatetur: quid autem *de facto* auctorus fuisset Proconsul ille, non spectat huc; nam etiam subsecutis temporibus haud rarò factum est, ut Laici invaderent immunitatem, & bona Ecclesiastica, quin tamen ullo id Jure fecerint.

VIII. Ad 5. & 6. R. Gonzalez n. 9. licet in his, & aliis contingeret ad Imperatores fuisse *provocatum* non tamen *appellatio* interposita legitur, quasi impp. in similibus causis Jurisdictionem haberent; sed potiùs, ut convocatis Ecclesiasticis viris per hos viros de justitiâ sententiæ per Judicem à quo prolatae cognosceretur: unde non probatur, Imperatores *iurisdictionaliter* processisse in talibus causis; neque aliter poterant appellantes de sententia contra se lata conqueri.

IX. Ad 7. Nempe Novellam 83. constat Responso ex dictis; negari autem non potest, Justinianum multa contra fas sibi usurpasse in statuendo contra personas, & res Ecclesiasticas, qua re universum pessundèdiffe imperium Baronius, & Spondanus scribunt *ad ann. Christi 528. & 549.* licet enim Justinianus potiore tempore fuerit optimus Catholicus, & fervens pro Religione, ut ex supra relatis textibus Juris constat, tamen & literarum expers erat, & Tribonianus, cujus operâ potissimum utebatur in condendis Legibus erat Ethnicus, ut citt. DD. scribunt: lapsus quoque est in hæresin Ophthartodocitarum, & persecutionem in Episcopos commovit, ac cum Episcopis, ac Sacerdotibus libellum exilij dictaret, media nocte invisibili ignis plaga ex hac vita sublatus est; de cujus salute magna est dubitatio, & Evagrius illius temporis scriptor insignis, qui, quæ scripsit, oculis inspexit, teste Baronio, de ejus salute conclamatum esse censet, licet Nicephorus, qui diu post vixit, & ex eo alij melius sperent, quòd scilicet in ultimo articulo, quo occubuit, resipuerit. videatur Baron. & Spondan. *ann. Christi 565. & Contius in ejus vita.*

X. Illud notat P. Fridrich *for. comp. n. 316.* quòd Princeps Sæcularis Clericos conspirationi, rebellioni, ac prodicioni se immiscentes tanquam hostes non solum in conflictu, sed etiam post illum, si ratio justii belli id exigat, occidere possit, & multò magis capere, ac carceribus mandare, sive bellum sit offensivum, sive defensivum: idque potest etiam præveniendi, & quando conspiratio, ac rebellio nondum erupit, aut effectum aliquem habuit, si damnum vel *privatum*, vel *publicum* aliter quàm hac ratione averti nequeat. Ratio est,

quia hæc procedendi ratio est potius defensio naturali Jure etiã privatis permiffa, quàm punitio, & vindicta, potestque contra hostem Reipublicæ dicto modo procedi, tametsi non sit subditus; rebelles autem, & proditores pro hostibus habentur. *L. amissione §. qui deficiunt. ff. de captis. diminut. L. proditores ff. de re milit. L. postliminium §. transfuga ff. de captiv. & postlim. revers.* Quodsi res moram pateatur, seu nullum sit in mora periculum, poterunt in custodia detineri, donec certior fiat Superior Ecclesiasticus, & ab eo exigatur, ut contra ipsos procedat ad condignam satisfactionem, & vindictam; quod si facere is nollet, ipse Princeps sibi jus dicere potest; ut notat Oliva p. 3. fori Eccles. q. 17. n. 127. ubi existimat, tametsi *Ca. si Iudex Laicus de Sent. Excomm. in 6.* aliisque Juribus præcipiatur, ut Clerici à Magistratu Sæculari capti mox remittantur ad Ecclesiasticum, in dicto tamen casu remissionem non esse necessariò statim faciendam, sed posse captivos detineri, donec appareat, utrum procedat Ecclesiasticus; eò quod Princeps tunc non procedat *jurisdictionaliter*, sed *iure belli*, & *protectiva potestate*, nec conveniat *Principi eorum Ecclesiastico Iudice litigare*, & *locum concedere multis dilationibus, & appellationibus, quibus forsan effugere rei possent cum contemptu regia potestatis, & damno Reipublicæ.* hæc Fridrich *loc. cit.* quamdiu verò potest obtineri iustitia à potestate Ecclesiastica, non possunt contra Clericos jus sibi dicere Laici, neque ob negligentiam Judicis Sacri inferioris causas illorum ad se trahere, quando absque moræ periculo Iudex Superior adiri potest, ut ex communi DD. habet ibid. cit. Fridrich. atque etiam constat ex supra dictis. Quando obijciuntur facta, quibus in aliquibus regnis Clerici iudicati sunt à Laicis, aut è patibulo suspensi, vel capite plexi, prout Julius Clarus de quodam Archiepiscopo Florentiæ suspensio meminit. R. Quæ ita facta sunt cum privilegio Pontificis facta sint oportet, ut licite facta sint; secus si isthæc fiant, à quibuscunq; Jurisdictionaliter fiant, malè fiunt.

## §. VII.

## Quas Leges Clerici servare teneantur?

1. *Leges, quas Clerici tenentur servare.*
2. *Leges, quæ nominatim de Clericis disponunt, sunt irritæ, ut lex prohibens amortizationem*
3. *Quando agitur de conscientia, peccato, & rebus Ecclesiasticis, Leges Canonibus se submittere debent.*

I. Q. I. Quas Leges Clerici servare teneantur? R. Illas Leges, quæ SS. Canonibus non repugnant, Statum Clericalem non dedecent, & non feruntur nominatim in Clericos, sed ob publicam boni communis utilitatem circa materiam communem Clericis cum aliis Civibus, atque pertinentem ad mutuum societatem & conformitatem.

II. Hæc tamen has Leges servandi obligatio in Clericis non provenit immediatè ex ipsa Lege Civili, & Jurisdictione Sæculari: sed tum à *iure Naturæ*; quia æquum est, ut Clerici, qui & ipsi membra sunt Reipublicæ, ad ejus pacem, ac tranquillitatem conservandam se in his Legibus cum reliquis membris conforment; cum id ad rectam gubernationem Reipublicæ sit necessarium. tum à *iure Canonico* in defectum Canonum Generaliter recipiente Constitutiones civiles juxta *c. 1. de Nov. Oper. nuntiat. & Ca. 28. de Privileg.* Unde hisce Legibus Clerici non obligantur directè, sed indirectè duntaxat; neque ob earum transgressionem puniri possunt à Magistratu Laico, sed à suo Magistratu Ecclesiastico puniri debent; peccant enim graviter eas transgrediendo, si transgressio grave damnum afferat vel bono publico, vel alicui homini privato.

III. Cujusmodi Leges sunt: quæ præscribunt certam formam in celebrandis Contractibus, condendis testamentis, instituemdis iudiciis: quæ taxant, augent, minuunt pretia rerum: quæ imponunt, augent, minuunt, valorem moneta: quæ ponunt modum ponderibus, mensuris: quæ prohibent incedere noctu cum armis, pugione, sclopeto &c: quæ vetant Commercia rerum vendibilium, aut literarum cum hostibus, cum locis peste infectis &c: quæ vetant exportare equos, frumentum, vel alias merces extra Civitatem, Regnum, vel Provinciam &c. Suar. *de Legib. lib. 3. cap. 24.* Pirhing *de Constit. n. 79. P.* Fridrich. *de For. Compet. n. 263.* & DD. passim.

IV. Leges verò, quæ Jurisdictionem suam in Ecclesiam, & Personas Ecclesiasticas extendunt nominatim de iis disponendo, irritæ sunt, ut ex communi DD. demonstrat Pirhing *de Constit. n. 83, & seqq.* ubi in specie varias ejusmodi leges recenset, ut est Lex, vel Statutum prohibens amortizationem bonorum, sive ne bona immobilia in Clericos, vel Collegia Ecclesiastica alienentur; Lex præcipiens, ut ingredientibus Monasteria à successione hæreditaria excludantur, aut tantum partem aliquam hæreditatis, vel tantum usumfructum bono-

bonorum ad dies vitæ percipiant, & similes, nisi fiant cum consensu & auctoritate Summi Pontificis, qui Jurisdictionem in Clericos, & Ecclesias habet; sine qua si ferantur, & in praxin deducantur, id fit *de facto*, non *de iure*.

V. Nihil facit in contrarium 1. quod tales Leges ferantur *Laicis* subditis civili potestati.  
2. Quòd alicubi videatur necessitas ferendi illas, ne Clerici nimis multa bona acquirant.  
3. Quòd testator possit sub hac obligatione bona sua alteri testamento relinquere, ne ea alienet in Clericos. Nam

VI. R. ad 1. Feruntur quidem *Laicis* subditis, sed in ordine ad Clericos & Ecclesias, ut priventur suo Jure, quod de Jure naturæ habent, ut possint acquirere ea bona; quos *nominatim* expriment contra eos statuendo, in quos Jurisdictionem non habent, quod sine S. Pontificis auctoritate facere non possunt. R. ad 2. Necessitas non dat Jurisdictionem, ubi ea non adest, licet eam extendat, si jam adest. si Clerici nimia bona accumularent, ut videatur noxium Reipublicæ, datur recursus ad S. Pontificem, ut cum ejus auctoritate fiat talis Lex. Certè si necessitas foret, ut aliunde remedium haberi non posset, Clerici ad has Leges non ligarentur *vi Jurisdictionis secularis*, sed *vi Legis naturæ*, conformiter supradictis. R. ad 3. Qui habet *dominium proprietatis*, vi illius potest de sua re disponere prout vult, & ejusmodi conditiones rei suæ apponere; at hoc non potest, qui *vi Jurisdictionis procedit*; quia eam extendit in eos, in quos non habet. Ex eadem ratione Prælati Ecclesiarum prohiberi potest, & prohibitum est *tit. 13. de reb. Ecclesiae alien-*

*andis*, ne res Ecclesiarum sine certis solemnitatibus alienent: quia Prælati illi non sunt *Domini illarum rerum*, sed vel Christus, vel ipse Cœtus, aut Capitulum Clericorum, vel ubi tale non est, ipse locus pius tanquam persona ficta, vel tota communitas fidelium ad talem Ecclesiam pertinentium.

VII. Illud postremo gnaviter notandum, ut duo ista Jura humana, *Canonicum*, & *Civile* rite tractentur, hanc cautionem adhibendam esse, ut Jus Civile semper se submittat Juri Canonico, illudque veneretur, quando agitur de *Conscientia*, de *Peccato*, de *rebus Spiritualibus*, ut, de *Sacramentis*, *Votis*, *Juramentis*, *Causis piis*, de *Ecclesia*, *Personis*, ac *rebus Ecclesiasticis*; ut, de *Statu Religiosorum*, de *Beneficiis*, *Dignitatibus Ecclesiasticis*, de *Decimis*, *Primitiis*, *Oblationibus*, de *Juribus Sepultura*, *Patronatus*; in quibus omnibus in utroque foro Canones, non Leges, si hæ Canonibus non concordent, sequi oportet; quod unanimi consensu synceriores Juri fatentur; & quod mireris, ipse Daniel Kayser supra laudatus, *quoties*, inquit, *de cavendo peccato, deque casu Conscientie agitur, toties etiam in foro civili jus Canonicum observandum est, licet inter Jus utrumque sit discrepantia*. Mirum! & tamen Conditorem Canonum Romanum Pontificem Antichristum vociferatur. Stupenda impudentia doctrinæ, *in foro Conscientie Leges Antichristi sequi!* nisi fors excusatum se eat dicendo, se hæc effutiendo non regulas prudentiæ, & sinceritatis, sed impetum indomitæ passionis, quod convitiantes solent, esse secutum.

## SECTION IV.

DE

### Jure, prout est legitima potestas de re disponendi.

#### §. I.

#### Species hujus Juris.

1. Species hujus Juris sunt quatuor. n. 1.
2. Resolutiones. n. 2. & seqq.
3. Ratio reddenda his, qui ad Officia Reipublicæ non promovent eos, qui merentur, sed ob commendam propriam, aut commendationes. n. 8.

**D**iximus Sect. 1. §. 1. num. 5., Jus etiam summi pro facultate legitima de re aliqua, vel actione disponendi, & alios obligandi, ne huic suæ facultati contraveniant. Jam

L. Q. 1. Quot sint species hujus facultatis? R. Sunt quatuor, ut Molina *tr. 2. disp. 1.* habet.

1. Facultas quàm ex natura rei habet unusquisque ad utendum rebus suis, ut, ad comedendum proprium cibum, ad induendam propriam vestem, ad decerpenda ex arboribus suis poma, ad ambulandum in propria domo, aut in via publica &c.

2. Est facultas obtinendi, quod sibi debetur; aut quia suum est, ut, si illud commodavit, vel aliquis illud furto ipsi surripuit; aut, licet



cet suum non sit, ipsi tamen debetur ex Titulo Emptionis, Mutui, vel quovis alio.

3. Est facultas persistendi in possessione rerum suarum. Quòd si quis huic potestati alterius contraveniat, eum absque legitima causa impediendo, ne possit sua re uti, ne possit obtinere, quod ipsi debetur, ne possit in possessione suæ rei persistere, fit illi injuria.

4. Est facultas, quam unusquisque habet ex natura rei recipiendi quidquid gratis ex liberalitate quicumque alius voluerit tribuere, atque donare; cui si quis alius sine legitima causa contraveniat, vel illum impediendo mendacis, fraude, aut alia ratione, ne id accipiat, vel donatorem, ne id illi donet, facit illi injuriam; & tenetur eidem damnum compensare; quia agit contra Jus illius, quod habet, ne fraudulenter aut per vim impediatur.

II. Resolvitur primò, si quis per vim, fraudem, calumniam, famam denigrationem, mendacium &c. impediatur alterum, ne petat, aut consequatur aliquod officium sæculare, vel beneficium Ecclesiasticum, ad quod aspirat; aut si inducat collatorem, ne huic officium hoc, vel beneficium conferat, tenetur ad restitutionem, & compensationem damni, quod arbitrio viri prudentis æstimatur juxta certitudinem, vel probabilitatem, qua existimatur, quòd alter tale officium, vel beneficium consecutus fuisset, nisi ab hoc per injuriam fuisset impeditus. Idem est, si impediatur à consequendo Legato, aut testatorem inducat, ne Legatum huic in Testamento relinquat, & alijs similibus. Ratio: quia quivis habet Jus, ne iniurè impediatur à petitione & consecutione hujusmodi officiorum, & aliarum rerum ex libera voluntate conferendarum.

III. Quòd si tamen impeditur eum, qui talibus officijs indignus est, non tenetur ad restitutionem, quia indignus nullum habet jus in libera collatoris voluntate positum petendi tale officium: tenetur tamen talis ad restitutionem famam, si eam læsit, & ratione mali impediendi non potuit crimen detegere.

IV. Pariter si sine vi, fraude, & calumnia collatorem officij quis eò induxit, ut officium (idem est de beneficio, Legato, & alijs similibus donis gratuitis, quæ ex justitia non debentur) non conferat, cui conferre apud se constituerat, vel qui petierat; sed vel nulli, vel alteri etiam minùs digno; non tenetur compensare damnum etsi malò animò & ex odio id fecerit: quia ipse dignus, & dignior Jus

non habet, nisi in libera voluntate collatoris; ergo si relinquatur collator in sua libertate, nec aliquid fiat, quòd illi libertati repugnet, non censetur hoc Jus violari; cùmque preces, munera, blanditiæ &c. non repugnent libertati (non enim collator involuntariè censetur facere, quòd ità inductus facit) per hæc non inferitur alteri injuria.

V. Nec obstat, quòd malò animò id sit factum; nam malus animus facit quidem peccatum, ità, ut talis ex odio, vel alio inordinato affectu alterum impediens graviter peccet, at peccat tantum contra charitatem, non verò contra jus alterius, si non intendit impedire libertatem collatoris, neque fraude alterum circumvenit, ne peccet. Videatur Less. L. 2. cap. 12. dabit, 18.

VI. Opponitur L. 2. n. de aqua & aqua pluvia arcenda actione, §. 9. & L. 1. n. cod. Bz. Less. illis Legibus tantum concedi actionem in foro externo; si, probari possit, nullò suo commodò sed animò duntaxat nocendi id factum, potest enim talis cogi ad reparationem damni, & operis in priorem statum restitutionem; hinc tamen non sequi illum obligari ante Judicis sententiam.

VII. Resolvitur 2. cum cit. Less. num. 131. si quis etiam absque vi & fraude procuravit, ut beneficium, vel officium publicum reipublicæ daretur indigno, eum non teneri quidem ad restitutionem alijs competitoribus dignis, quia nihil contra eorum jus fecit; at teneri Ecclesia, vel Reipublica; quia ejus Jura violavit procurandò ei ministrum ineptum, sicut is, qui ad opus publicum operarios ineptos curavit, tenetur ad restitutionem.

VIII. Ex quibus colligas, quanta ratio reddenda incubitura sit illis coram divino tribunali, ubi justitia judicabuntur Psalm. 74 v. 3. qui non Jura reipublicæ, sed suam duntaxat, & suorum utilitatem aut amicorum preces, ac commendationes, aut munera respiciunt in ijs, quos ad Reipublicæ administrandæ gubernacula sessuros promovent; sic enim cū summo Reipublicæ ac subditorum detrimento subiecta capacissima & dignissima negliguntur; quæ tamen pestis, prò dolor! nostrò sæculò passim per Reipublicas, & dicasteria vagatur, dum multi non meritis, sed patrocinij elevati ad gubernacula sedent; hinc illæ tot injusticiarum lacrymæ.

IX. memini me audire dictum cujusdam Zelo Justitiæ inflammati magni in quadam Reipublica viri, se equidem quibusdam, qui in

Senar

Senatu sedent, minimè invidere sua stipendia, si modò ea ipsis gratuita liberalitate concederentur à Principe, sed suffragij ferendi copia non fieret; id verò sibi dolere, quòd subinde aspiceret quòsdam cogatur ferentes judicia circa res, quas iudicare non possunt, qui pericèpe Judicia turbant, dum suò suffragiò imperitò suffragiorum numerum augent.

## S. II.

## Divisio in Jus proprietatis, &amp; Jurisdictionis.

1. Jus proprietatis, & Jus Jurisdictionis. n. 1. 2. 3.
2. Princeps & Magistratus subditis potest imperare, quæ sunt ad bonum publicum, non quæ sunt ad propriam commodam. n. 4.

I. **Q**. 1. Quotuplex sit hoc Jus Potestatis legitimæ de re disponendi, & alios, ne se impediunt, obligandi? Respond. Est duplex. *Jus proprietatis, & Jus Jurisdictionis.* *Jus proprietatis* est potestas legitima ex beneplacito (verè, vel interpretativè suo) obligandi alios ad aliquid faciendum, vel omittendum in bonum *ipsius obligantis*: sic dominus equi habet facultatem disponendi de equo suo in proprium commodum pro suo beneplacito, & alios obligandi, ne suam hanc dispositionem circa equum impediunt; hujusmodi Jura proprietatis sunt *dominia rerum corporalium*; & *quasi dominia rerum incorporalium*, *Jus utendi, fruendi, decimandi, Jus eundi, agendi per fundum* &c. Jus hoc proprietatis est Jus illud *rigorosum*, quod est objectum justitiæ commutativæ, de qua postea.

II. *Jus Jurisdictionis* est potestas publica ex beneplacito obligandi alios ad aliquid faciendum vel omittendum *in bonum, ac utilitatem illorum, qui obligantur*, sive in bonum *totius alicujus communitatis*, sive etiam *privatorum*. Ejusmodi Jus habent Papa, Imperator, Reges, & alij Principes, ac Magistratus Superiorem in spiritualibus vel temporalibus non recognoscentes; Item Prælati, Principes, ac Magistratus inferiores, & quicumque cum ordinaria, vel delegata potestate constituti Judices. P. Wiest. *differt. proem. n. 5.*

III. Igitur *Jus Jurisdictionis* & potestas superioris *quæ talis* (in humanis) respicit bonum subditorum, non bonum *privatum ipsius Superioris*: quia cur homines se ipsos subijcere soleant alijs, vel etiam aliquando à Deo immediate illis subijciantur *tanquam Superioribus*,

causa principalis ea est, quod hoc subditis expediat, non verò quia id *expedit superioribus*, qui præsumunt.

IV. Quare gravis foret error alicujus Magistratus, Principis, Regis, vel alterius Superioris, qui fas sibi putaret, subditis imperare quidquid libuerit, & ab illis ea extorquere, quæ solum ad *propriam utilitatem, splendorem, ac magnificentiam augendam*, non verò ad *bonum publicum* conducunt: cum *Princeps sit propter populum, non populus propter Principem*.

V. Illud quoque notandum, etiam ipsum *Jus Jurisdictionis* posse esse *objectum juris proprietatis*, si scilicet superior *Jus Jurisdictionis* possidet, ut *proprium suum quoddam bonum*, & potest ex libero beneplacito etiam in *proprium suum commodum* obligare alios, ne se ab usu, seu exercitio illius impediunt. nec tamen sequitur, quod *Jus proprietatis, & Jus Jurisdictionis* sint idem, sed tantum sequitur, quod in eodem subjecto possit dari utrumque.

VI. Est autem Jus illud proprietatis duplex: aliud *in re* aliud *ad rem*. De quo Jcti videantur.

## S. III.

## Oppositiones.

- I. **O**pponitur 1. infans, antequam habeat actum voluntatis, & beneplacitum, jam habet Jus proprietatis ad vitam, & membra, in quibus, si læditur, fit ipsi injuria. Idem est de amente. 2. Homo adultus sui Juris habet Jus ad sua bona etiam dum dormit; tum tibi beneplacitum? 3. Homo habet Jus ad suam vitam; quod non pendet ex ejus *beneplacito*, ut patet in SS. Martyribus, quibus injuria facta est à Tyrannis, quamvis optarent mori. 4. Clericus habet Jus proprietatis circa *Privilegium Canonis, & Fori*; & neque hoc pendet ab ejus beneplacito, quia etiam si consentiat, ut ab aliquo percutiatur, aut ad tribunal laicum trahatur, tamen patitur injuriam. 5. Qui in necessitate petit mutuum ab altero, habet Jus, ne alter à se exigat, aut accipiat usuram, & etiam si consentiat ad dandam usuram, tamen patitur injuriam ab usurario accipiente usuram. 6. Pupillus habens usum rationis habet Jus rigorosum in sua bona, quod tamen dependet à tutore, quia licet debitori vellet remittere debitum in scio tutore, tamen adhuc retineret Jus ad illud. 7. Deus habet Jus rigorosum ad suum honorem, & tamen hic honor non pendet à be-

P

ne

neplacito ipsius Dei, quia non potest illo se abdicare.

II. R. det. ad 1. Lessius *Lib. 2. cap. 4. dub. 2.* Et si ad usum Dominij requiratur *usus rationis*, non tamen ad *Dominium ipsum habituale*, quod immediatè fundatur in potentijs; quod autem infans non possit habere usum istarum potentiarum, provenit tantum ab *Extrinscco impedimento*: scilicet ex redundantia humorum in cerebro. idem dicendum de infante.

R. dent alij, quod infans habeat quidem Jus proprietatis; antequàm habeat actum voluntatis *Physicè proprium*, at non antequàm habeat actum voluntatis *interpretativè proprium*; nam Jus illud suum infans, antequàm eliciat actum voluntatis *Physicum*, habet dependenter à voluntate vel Parentum, vel Reipublicæ, vel in horum defectum supremi omnium rerum Principis Dei habentis se instar tutoris, ejus voluntas *interpretativè est voluntas ipsius infantis*. Idem est de amente, & de homine adulto habente usum rationis, sed nondum habente notitiam rerum ad se pertinentium; ac potestatis sibi factæ ad usum illarum, & ad alios obligandos, ne se ab illarum usu impediant.

III. R. Ad 2. homo adultus dormiens potest obligare alios ex beneplacito etiam *Physicè proprio* non quidem *actuali*, seu actu existente, dum dormit, sed *habituali*, seu habitualiter perseverante, id est, ex beneplacito præterito.

IV. R. Ad 3. non solus homo habet Jus ad suam vitam, sed etiam Respublica, & Deus, quare si homo cedit *suo iure*, quod habet ad vitam, quantum cedere potest, non fit ipsi injuria, quando ea ab alio ei aufertur, fit tamen injuria Reipublicæ, & Deo, qui est supremus vitæ humanæ Dominus; undè etiam interficiens *hominem volentem*, & quantum potest, abdicantem Jus suum, non quidem tenetur ad ullam restitutionem Hæredibus; quia tamen injuriam facit Reipublicæ, ac Deo, & peccat contra Justitiam Legalem, meritò in utroque foro punitur; & sic David morte punivit Amalecitem illum, qui se occidisse Saulem volentem nuntiabat 2. *Reg. 1.* Ob eandem causam Jure merito punitur in utroque foro occidens se ipsum, quia & Deo & Reipublicæ injuriam irrogat: Less. *L. 2. cap. 7. dub. 3. num. 12.*

V. Atque hinc de SS. Martyribus R. si qui ex ipsis Jure suo ad vitam cedere voluerunt nolendo, quantum de se erat, Tyrannos sibi

esse obligatos ad eam relinquendam, nulla ipsis, sed Deo facta est injuria, quamvis non hoc ipso censendi sint voluisse, quantum in se erat, cedere hoc suo Jure, quod *gaudentes* mortui sint; quia potuerunt gaudere, quod ex *Suppositione injuriæ* sibi sine sua culpa illatæ, habeant occasionem contestandi suum amorem erga Deum, & merendi præmia æterna.

VI. R. Ad 4. si Clericus cedat suo Jure ad *Privilegium Canonis*, & *Fori*, ipsi non fit injuria in ordine ad hoc, si percutiatur, aut ad Forum sæculare raptetur; fit tamen injuria *toti Status*, & *Ordini Clericali*, cujus Jus violatur; & hoc Jure Clericus privatus cedere non potest: quod si verò totus Clerus cum suo capite cederet illo suo Jure, neq; ipsi fieret injuria.

VII. R. Ad 5. solvens usuram non consentit *absolutè liberè*, sed *aliquò modò involuntariè*, & *renitente affectu*; non enim cupit, ut usurarius usuras exigat, nec intendit se ullo Jure privare, aut donare, sed solvit, quia aliter pecuniam mutuam obtinere nequit, ideoque is non censetur cedere Jure suo; hæc enim cessio, sicut donatio, libera omninò esse debet, ita ut cedens ad cessionem non inducatur ab eo, qui læsurus est. Less. *L. 2. C. 7. dub. 3. n. 12.*

VIII. R. Ad 6. Potestas Pupilli non pendet quidem à *beneplacito Physico* illius, benè tamen à *beneplacito interpretativo*, quia voluntas tutoris moraliter, & interpretativè habetur pro voluntate Pupilli.

IX. R. Ad 7. loquimur hîc de Jure creato: de Divino Theologi disputent.

X. Quòd si gladium Petro commodavi, & eum repeto, ne Petrus eo abutatur ad occidendû hominem, hoc casu obligo quidem Petrum ad reddendum gladium, non *ob meum*, sed *ipsius commodum*, retineo tamen *jus proprietatis*; quia possum gladium pro meo commodo repetere, licet illum per accidens repetâ in commodum Petri; quod meum jus in hoc ipso casu exerceo saltem eatenus, quatenus Petrum liberè obligo ea potestate, quâ possem illum obligare mihi in proprium meum commodum, si vellem: vel quatenus Petrum obligo *æquivalenter* etiam in meum commodum, volens eum obligatum ad reddendum eo obligationis genere, quo obligatum vellè, si in proprium commodum ex motivo proprii beneplaciti repeterem.

XI. Eadem responsio datur, quando simili argumento impugnatur Jus jurisdictionis ex eo, quòd superior Jus jurisdictionis exerce-

re possit, etiam quando aliquid subdito imperat in suum proprium commodum; cum tamen Jus jurisdictionis tendat in bonum subditorum: nam *Re.* hoc verum duntaxat est, quando superior in suum proprium commodum, aliquid mandat subdito, illumque obligat ea potestate, & obligationis genere, quò obligaret illi, si principaliter intenderet bonum ipsius subditi, quo casu jam *equivallenter* cum obligat in commodum ipsius. ○

## §. IV.

## De Dominio.

1. Quid sit Dominium, & quotuplex. n. 1. & 2.
2. Titulus Dominij. n. 3. & 4.
3. Dominium Jurisdictionis aliud Ecclesiasticum, aliud Politicum, aliud Altum, aliud Bassum n. 5. 6.

I. Q. 1. Quid sit Dominium? *Re.* Est facultas legitima de re aliqua, vel persona ex beneplacito suo disponendi, vel in propriam disponentis utilitatem, vel in utilitatem persona, de qua disponitur. Brevius Lessius: est jus gubernandi vel disponendi de re aliqua tanquam sua.

II. Q. 2. Quotuplex sit dominium? *Re.* duplex, Dominium jurisdictionis consistens in potestate seu jure gubernandi subditos, in illorum præcipuè utilitatem, eos judicando, prosequendo, ac defendendo; nec non in jure accipiendi ab eis emolumenta, quæ ea de causa debentur, & competit solum iis, quibus jurisdictionis in subditos competit. Et Dominium proprietatis consistens in potestate, seu jure disponendi de re tanquam sua: debet autem dominium habere titulum; de quo

III. Q. 3. Quid sit titulus Juris, ac Dominij? Respondet Molina: est radix & origo, unde dominium, aut quodvis Jus oritur. sic 1. titulus dominij, aut Juris in aliquod regnum est, quempiam esse legitime electum in Regem, aut carnalis propagatione tanquam primogenitum originem trahere à legitimo Rege, aut jure belli regnum occupasse, aut aliud quid simile, quod sit sufficiens ratio fundandi jus regni. 2. Emptio, permutatio, donatio: item aliquid relictum in testamento, legitime succedere defuncto ab intestato, &c. est titulus Juris, quod in his rebus acquiritur. 3. Legitima electio alicujus in Cathedrâ, Episcopatum, aut Beneficium; aut collatio legitima horum alicui facta, est titulus Juris Cathedralis, Episcopatus, Beneficij. Ad comparandum autem dominium aut jus in re præter titulum regulariter etiam requiritur traditio, & apprehensio rei, tanquam conditio, sine qua non.

IV. Titulus autem ille fundans dominium duplex est. Verus, quando scilicet adest vera

radix, & origo dominij, ac Juris: & præsumptus; quando præsumitur vera radix, & causa, & tamen re ipsa non est; ut quando quis bona fide emit rem aliquam, aut illam dono accepit ab eo, ad quem res illa non spectat, quia v. g. eam furto accepit, credens tamen illum esse legitimum dominum, aut procuratorem domini rei illius; talis enim emptio, aut donatio unà cum traditione non est radix, ac titulus sufficiens, ut possit transferre dominium in emptorem; præsumitur tamen talis, dum bona fides adest; & qui ita rem emptâ bona fide possidet, dicitur illam possidere cum titulo præsumpto; qui autem possidet sine vera, aut præsumpta radice, quæ sit sufficiens ad transferendum dominium, dicitur possidere sine titulo: ita verba Molina. De modis acquirendi dominia videantur J. C. i, & Hugo Grotius de Jure belli lib. 2. per multa capita.

V. Q. 4. Quotuplex sit dominium Jurisdictionis? *Re.* Dominium Jurisdictionis humanæ (de divina enim Jurisdictione, quam Deus habet in creaturas rationales, non loquimur) est duplex, Ecclesiasticum, quod per se ordinatur ad bonum spirituale subditorum, & ad finem supernaturalem: Et Politicum, quod per se temporalem subditorum felicitatem, pacem, ac tranquillitatem intendit: illud S. Pontifici, Episcopis aliisque Magistratibus, ac Superioribus Ecclesiasticis; hoc Imperatori, Regibus, Ducibus, aliisque Magistratibus secularibus competit, & quoad spiritualia subest Jurisdictioni Ecclesiasticæ Rubric. ad ca. soluta de major. & obed. & constat ex supra dictis. Divisionem dominij in Imperium, & Jurisdictionem simplicem J. C. i. relinquimus. uti & divisionem in dominium perfectum, seu plenum, & imperfectum.

VI. Illud ad nostrum intentum est, aliud dominium esse Altum, aliud Bassum, per Altum intelligitur illud, in cuius Republica, Princeps, vel Magistratus potest disponere in casu necessitatis Publicæ de bonis Subditorum ad certos fines, e. g. erigendò in eorum agris, hortis &c. monumenta etiam ipsis invitis, diruendò ipsorum domus, dandò ex eorum pecunijs Salarium militibus, distribuendò eorum annonam in Præsidarios, aut alios Cives, Subditosque præhibendò, & impediendò à contrarijs dispositionibus circa illas res. Per dominium Bassum verò intelligitur illud, quod habent Subditi, seu Personæ privatæ. Alij volunt, quòd, quamdiu durat publica necessitas, Jus hoc Subditorum cesset.

DE

De

## Justitia, &amp; Ejus administris.

**D**E Jure egimus, de Justitia jam, & ejus administratione agendum; Reipublicæ enim compages Justitia est, hanc si tollis, Rempublicam compage solutâ pessumdedisti: sine Justitia vivere in societate haud licet, sine hac dissipamur, & ut feræ solitariae vagamur; Homerus, qui omnia scivit (verba Lipsij sunt *L. 2. Monit. cap. 9.*) de Justitia illud:

*Η' τ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἢ μὲν λύει ἢ δὲ καθίζει.*

*Quæ cæsus hominum cogit, solvitque vicissim.*

Per tres sequentes Sectiones rem hanc Reipublicæ Receptoribus scitu pernecessariam tractabimus; quarum prima de Justitia, & Ejus speciebus, altera de Officiorum Reipublicæ Distributione, tertia de Administratoribus Reipublicæ, & Officiorum ejus aget.

## S E C T I O V.

## De Justitia.

§. I.

## Principis finem esse administrare

Justitiam. Monita Lipsij de ea administranda.

1. *Finis Principis, & Magistratûs. n. 1. 2. 3.*
2. *Justitia Regia virtus. n. 4.*
3. *Exempla. ibid.*
4. *Monita Lipsij, quomodo sit administranda: Et Exempla. n. 5. & seqq.*
5. *Imperator non tenetur servare solemnitates Processûs judicarij. n. 6.*
6. *Ædificat Princeps Rempublicam, si se & suos ad Leges Justitiæ conformet; & Exempla. n. 10.*

I. **Q**uis sit finis Principum? R. Finis Principum (& Magistratum) est vice Dei in terris regere populos sibi commissos, non enim principatus vim suam habet ex opum apparatu, non ex honorum splendore, non ex satellitiis, non ex dignitate &c, sed ex altissima sapientia Dei, & providentia, immutabilique decreto, quò hoc universum gubernare instituit per Principes & Magistratus sibi substitutos: non est enim potestas nisi à Deo, Apostolicum effatum est *Rom. 13.* regunt autè populos administrando illis Justitiam, sine qua Reipublicas collabi necessum est.


II. Ex nihilo condidit supremus rerum omnium Architectus spectabilem hanc rerum omnium creaturarum universitatem, seu compagem, ut ex Aristotele loquuntur Philosophi, è coelo erraque coagmentatam, atque ex ijs, quæ intra ea continentur; atque condidit propter homines, hos propter gloriam suam, quos in globo hoc terraquo cum animalibus, cæterisque ad vitam ducendam necessariis velut in Theatro posuit, ut sibi servientes, æternam illam, ad quam conditi sunt, beatitatem consequantur. Hanc rerum omnium

conditarum molemi duplicis generis directoribus gubernandam commisit, Angelis cælestis Regiæ Principibus, ut per cælestes globos regant mundum sublunarem quoad Physicam ejus gubernationem; Principibus terra, ut per Justitiam administratam regant Reipublicas quoad moralem rerum gubernationem.

III. Quod igitur terrarum globo sunt siderum Rectores Angeli, hoc Principes sunt Rebuspublicis: ab illis pendet salus universi in esse Physico, ab his salus Reipublicæ in esse morali. Cogitatione completi nemo potest unde sit, ut tot hominum centena millia (inquit Contzen in præm.) quos inter pauci boni, multi alieni, superbi, consumaces, ac præfacti, uni homini sine dicto audientes, cur munita urbes, bellicose gentes, latissima Regna homini uni, etsi aliquando sapienti, & justo; sæpe tamen vel ætate irvado, vel moribus depravato, natura verò conditione erroribus obnoxio, non pareant modo, sed opes etiam, quarum avarissima est tenacitas, vitamque ipsam, cujus retinenda omnes avidi sunt, ad nutum imperantis impendant. Iudicium hoc de bono communi tam constans nequaquam ex congenito privatim cujusque affectu nascitur; hunc enim si consulamus, unumquemque sibi ita conciliatum inveniemus, ut propria commoda rebus omnibus ante ponat. à summo igitur Numine præter appetitiones propriae salutis necessarias, indita est hæc boni communis conservandi voluntas, quæ in optimis quibuscunque adeo firma est, ut obedientiam vitâ potiorem arbitrentur. Iabet & Apostolus *Rom. 13.* omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

IV. Quare inter cæteras virtutes Regia præcipue virtus Justitia est; quia Regum, & Principum est proprium Jus dicere populis, Justitiam administrare subditis, hæc servata servat

R.



genius Vi

ad hunc

VIII. Sed ut alter Salomon Justitiam deprehendit nunquam satis laudandus Rudolphus Austriacus. Agebat Norimbergæ rebus publicis intentus; adest mercator Jus petens adversus hospitem apud quem ducentas argenti libras (marcas appellant) deposuerat, quas ille impudenter abnegabat; Imperator de fide dictorum rogat; ille sua fide affirmat, nec aliis (ut solet in deposito) argumentis: igitur Imperator re perpensa astum adhibere statuit. Quærit ab homine, ille Sacculus, sive Vidulum cujusmodi esset? describit formam, nec aliud Cæsar, quam secedere eum in proximum cubiculum, & præstolari jubet. Habebat in animo evocare hospitem, sed fortuna commodius instituit, ut inter primarios urbis Cives, qui Principi gratulatum venerant, & ipse adestet; nôrateum jam ante Cæsar, & ut comitas ejus erat, benignè, & per facetias appellat: *Heus tu, scitum illic pileum habes, mihi dona, & permutemus.* Ille honori sibi hoc factum duxit. Cæsar secedit paulum, quasi publicum negotium avocaret, & Fidum, ac notum ejus oppidi civem cum pileo illo ad uxorem hospitis mittit cum mandatis: *hous matriona, maritus jubet, ut sacculum illum tatem ad eum mittas, opus habet, & ecce resseram fidei meæ, hunc ejus pileum:* Mulier agnoscit pileum, sacculum descriptum tradit, quasi ad Maritum deferendum; at ille rectâ ad Cæsarem: Cæsar vocato seorsim Hospite cum Mercatore; *hic inquit, de te queritur, & accusat, quid ais, & refellis?* ille audacter, *mentiri eam, nihil sibi cum eo esse aut fuisse.* denique Imperator sacculum profert, ad cuius aspectum ille confunditur animo, & lingua labitur. Quid multis, mercator pecuniam, hospes infamiam recipit, atque etiam damnnum grandi aliâ pecuniâ à Cæsare multatus, Rudolphus immortalem laudem per factum hoc totâ Germaniâ decantatum. Hæc Lipsius.

IX. Neque tu hîc processûs Judicarij solemnitates requiras; etenim Imperator non debet ire per ambages, sed solâ facti veritate inspectâ profert sententiam, uti ex Baldo loquitur Gail. *Observ. 42.* & ex decio addit, Pontificem, & Imperatorem secundum eorum conscientias judicare, licet hoc alijs inferioribus interdictum sit, qui judicare debent secundum allegatâ, & probatâ; quia supremus Princeps est *Lex animata in terris, & fons Justitiæ*, ideoque in eo recta voluntas, ac nulla Injustitia præsumitur.

X. Mirum, quàm Rempublicam ædificet, si Princeps & se, & suos ad Justitiæ Leges conformet. Zeleucus insigni facto Justitiam asseruit: Legem tulerat Iocrensibus, *ut adulter oculis orbaretur.* Paulò post filius ejus commisit adulterium, reus erat Legis, & pœnæ, quam tamen populus commiseratione motus in gratiam Patris (unicus natus erat.) remisit; sed Patre abnuente, & indignante; *Lex, inquit, sancta, & pœna etiam in nobis esto, sed viam reperi, qua illâ salvâ humanitati indulgeamus: ipse & ego unum sumus; mihi ergo unus oculus, alter ipse servatur.* Atque ita factum. Machedetes Secundus Turcarum Princeps Filium habebat Mustafam Imperio destinatum, cætera bonum, libidinibus primum, qui Achmetis Bassæ uxorem compresserat, illa ad Maritum, Maritus ad Imperatorem rem defert, Imperator filium examinat, confessum minis, & pessimis verbis dimittit. Triduo post, cum aliquandiu in pectore filius & Justitia pugnâssent, hac vincente fauces Mustafæ nervo arcûs iussit effringi, & morte ejus pudicitia litare. Hæc & plura Lipsius. Plura de administratione Justitiæ dabimus, postquam Justitiam, & ejus species breviter explicaverimus.

## §. II.

### De Justitia commutativa.

1. Divisio Justitiæ in Commutativam, Legalem, Vindicativam, & Distributivam. n. 1.
2. Quid sit Justitia Commutativa, & quæ ejus qualitates? n. 2. & seqq.
3. Inter quos locum habeat. n. 7. & seqq.
4. Objectiones. n. 14. & seqq.

**I**Famosa est partitio Justitiæ in quatuor Species, in Commutativam, Distributivam, Legalem, & Vindicativam; quia quatuor modis homo in Republica vivens considerari potest. 1. Quatenus *privatus* ad alium hominem *privatum* in ordine ad commutationes, & commercia: & locum habet *Justitia Commutativa*. 2. Quatenus *membrum Republicæ* in ordine ad ei tribuendum jus, quod ipsa habet in sua membra, quod ipsi redditur maximè servandò ejus Leges: & locum habet *Justitia Legalis*. 3. In ordine ad *pœnas subeundas*, quæ transgressoribus Legum decretæ sunt; & locum habet *Justitia vindicativa*. 4. Quatenus *Republica ordinatur* ad sua membra in ordine ad distribuendum

dum eis bona communia, & locum habet iustitia distributiva; breviter hæ Species sunt insinuandæ. De divisione, num exacta ea sit ad Regulas dialecticas, non disputamus, rem exponimus, quidquid sit de rigoroso loquendi modo.

II. Q. 1. Quid sit Justitia Commutativa? p. Justitia commutativa dicitur à commutationibus, commercijs, & contractibus, in quibus potissimum locum habet, & est illa, per quã persona particularis, vel communitas habens se per modum persona particularis ordinatur, ut jus suum tribuat cuius alteri persona si idè particulari, vel habenti se per modum persone particulari: ut, cum unus supremus Princeps cum alio, una Respublica cum alia, aut Princeps, vel Respublica instar personæ particularis in suum Proprium commodum cum subdito contrahit.

III. Respicit Jus rigorosum. & propriè dictum, quod alteri tribuit, cujus violatio injuria propriè dicta est, paritque obligationem restituendi, de quo Jure supra dictum. Et per hoc potissimum differt à reliquis speciebus Justitiæ.

IV. Et quidem tribuit hoc Jus rigorosum cuilibet ad æqualitatem; id est, cuilibet tribuit tantum, quantum ipsi debetur, ita ut res, quæ tribuitur, perfectè commensuretur cum jure rigoroso alterius, quod habet in eam rem; v. g. si alteri vendis equum 50. fl. æstimatum, acquiris Jus rigorosum accipiendi ab emptore 50. fl., quod Jus tibi emptor tribuere debet.

V. Dicitur virtus ad alterum, quia per illam homo ordinatur, ut Jus suum rigorosum tribuat alijs à se distinctis, non sibi ipsi, cum nemo possit habere Jus rigorosum adversus se ipsum, sicut nec facere injuriam propriam sibi ipsi: atque à reliquis virtutibus moralibus, temperantia, fortitudine &c. in hoc quoque differt, quòd hæ occupentur in moderandis animi passionibus ipsiusmet operantis, puta, cupiditate, voluptate, ira, timore, audacia, tristitia &c.

VI. Si definitionem petis: Notes, Justitiã Commutativam posse accipi, vel pro habitu, vel pro actu Justitiæ. Sumpta pro habitu est virtus ad alterum inclinans, & firmans voluntatem ad perpetuò cuique tribuendum Jus suum rigorosum ad æqualitatem ex amore, & motivo honestatis relucens in eo, quòd cuique Jus suum rigorosum tribuatur. Sumpta verò pro actu est actus voluntatis, quo quis firmiter vult cuique suum Jus rigorosum ita tribuere ad æqualitatem. Idem dicitur, dum dicitur, quòd sit constans, ac per-

petua voluntas cuique tribuendi Jus suum rigorosum.

VII. Intercedere potest inter omnes, qui erga se invicem Jus rigorosum habere possunt, uti sunt omnes homines adulti rationis compotes: etiam inter Patrem, & filium, Dominum, & Servum, Maritum, & uxorem. uti etiam inter adultos, & infantes, aliòque rationis impotes, & etiam inter Angelos; quia horum omnium potest unus adversus alterum habere Jus rigorosum ad aliquid v. g. ad vitam, ad integritatem corporis, ad bona fortunæ, famam &c. & alter potest habere constantem, & perpetuam voluntatem tribuendi illi hoc suum Jus: unde si quis adultus infantem, aut Dominus servum innocentem, vel Maritus uxorem, Pater Filium occidit, mutilat, aut illis graviter nocet in bonis proprijs fortunæ, aut si vivus detrahit mortuo, vel etiam Angelo, infert ipsi injuriam propriè dictam, & lædit Jus ipsius rigorosum. An verò inter Deum, & hominem locum habeat Justitia commutativa, id Theologis relinquimus, uti & alia magis speculativa.

VIII. Item si Civis cum Republica celebret contractum, obligantur communitas, & Civis inter se Justitiã commutativã; quia in eiusmodi Contractu communitas seu Respublica se non habet, ut totum ad istum Civem, sed ut pars ad partem.

Idem est, si Civis contrahat cum Principe, quia in Contractu tali Princeps non se habet ut caput Respublicæ exercens Jurisdictionem in Civem ad bonum publicum, sed se habet ut particularis ad particularem.

IX. Quòd si Civis furatur aliquid Reipublicæ ex bonis illius, facit injuriam Reipublicæ, non quidem adequatè sumpta secundum omnes partes, utpote inter quos est & ipse Civis fur, qui sibi non infert injuriam, sed Reipublicæ ut sumpta secundum reliquas partes ab ipso fure distinctas; pari ratione civis furans suo Principi facit illi injuriam.

X. Si obijciatur S. Thom. 2. 2. q. 57. art. 4. Ex Arle negans, inter Patrem, & Filium, Dominum, & Servum, uxorem, & Maritum Justitiã propriè dictam, sed tantum esse Paternam, herilem, & æconomicam &c. B. Lay. L. 3. ff. 1. cap. 3. num. 4. Jussum Paternum, herile, æconomicum se tantum extendere ad ea bona, quæ Filius Patri, Servus Domino, Conjux Conjugi debent, quatenus tales Personæ sunt: quoad alia verò bona, quæ inter se debent, consistere inter eas posse Jussum simpliciter.



citer aliquo contractu intercedente inter Patrem, & Filium jam emancipatum, vel etiã non emancipatum ex bonis ejus castrensis, vel quasi castrensis; item inter Dominum & Servum ex proprio peculio, inter Maritum, & Uxorem ex bonis paraphernis.

XI. Hinc Pater, qui non aluit Filium, prout Titulo Paternitatis tenetur, non peccat *contra iustitiam*, ideoque non debet restituere alimenta illa, sed satis est, si Filium alat imposterum. 2. Filius item, qui non obedivit Patri, vel ei non succurrit in gravi necessitate, non tenetur ei aliquid restituere, quia nec ipse peccavit *contra iustitiam*, sed contra quartum Præceptum Decalogi. 3. Econtrã Pater detrahens famã Filij sui peccat *contra iustitiã*, & tenetur restituere; quia in illo honorum genere Filius retinet Jus contra Patrem, sicut contra alios homines. 4. Item Filius, qui furatur aliquid notabile à Patre, peccat *contra iustitiam*, & tenetur restituere; imò Pater etiam, qui aliquid furatur à Filio emancipato, vel etiam à non emancipato de ijs bonis, quorum Dominium, & usus pertinet ad Filiũ, non minùs peccat *contra iustitiam*, & tenetur restituere. 5. Filius qui vulnerat Patrem, vel contumelijs afficit, peccat & *contra iustitiam*, & *contra pietatem*: Contra *iustitiam*, quia Pater, ut *homo est*, habet Jus contra omnes homines, unde & tenetur Filius restituere pro damno secuto: *contra pietatem*, quia *ut Pater est*, habet peculiare Jus adversus Filium tanquam aliquid sui. 6. Hinc debet Filius juxta Card. de Lug. *disput 9, num. 32.* in Sacramento Pœnitentiæ confitens peccata sua, explicare hanc circumstantiam, si occidit, vulneravit, contumelijs affecit, odiũ habuit &c. Parentem, quia peccavit non solum *contra iustitiam*, vel *Charitatem*, quæ obligat adversus proximos, sed etiam *contra pietatem*; secùs in furto, in quo non est opus explicare illam circumstantiam, quòd factum sit Patri, ut cum Molina habet cit. Lugo, quia furtum regulariter nõ opponitur graviter *contra virtutem pietatis*, seu contra id, quod Filius, ut *Filius*, debet peculiariter Patri; inhonoratio verò, seu contumelia, vulneratio, odiũ, & similia opponuntur graviter contra reverentiam, & amorem Parentibus debitum.

XII. Quod ad Conjuges attinet, illi per præsuppositum Contractum Matrimonij, etiam *quã tales* erga se invicem habent Jus rigorosum, unus scilicet in corpus alterius in ordine ad generationem prolis, unde si unus eo:

rum alteri petenti reddit debitum conjugale, exercet actum Justitiæ; de negando verò illud sinè justa causa comittit Injustitiam, ut & adalterando.

XIII. Oppones 1. Conjuges sunt una caro. 2. Mater & proles sunt eadem persona in Jure; igitur si Justitia sit ad alterum, ea non poterit in hosce dari, nec Mater occidens prolem, ei faciet injuriam. 3. Tutor ex bonis Pupilli solvens debitum creditoribus, inter quos & ipse est, exercet actum Justitiæ erga se ipsum; dum inter alios creditores solvit & se ipsum. 4. Christus satisfaciendo exercuit actum Justitiæ Commutativæ erga Deum, totamque SS. Trinitatem, & consequenter etiam erga Verbum, & tamen à Verbo non erat distinctus: igitur necesse non est, ut Justitia tendat in alium distinctum.

XIV. R. Ad 1. Conjuges sunt una caro solã *unitate Metaphorica*, & morali amoris Conjugalis, non *unitate Physica*, quæ tollat distinctionem voluntatum sufficientem ad hoc, ut inter illos dari possit jus rigorosum, fundans Justitiam Commutativam.

XV. R. Ad 2. Mater & Proles tantum sunt eadem persona in ordine ad aliquos *effectus Civiles*, non in ordine ad *Obligaciones Naturales*.

XVI. R. Ad 3. Tutor talis se ipsum solvendo non exercet actum Justitiæ erga se ipsum *formaliter*, sed *interpretativè*, nec nomine *proprio*, sed *alieno*, scilicet nomine Pupilli; licet enim hic actus physicè procedat à Tutore, interpretativè tamen, & in æstimatione morali est actus ipsius Pupilli, cujus nomine à Tutore ponitur.

XVII. R. Ad 4. Christus saltem à Verbo fuit *distinctus inadquatè* secundum Naturam scilicet: cum alia fuerit *Natura humana* Christi, alia *Natura divina Verbi*, quæ distinctio videtur sufficere, quia ubi distinctæ sunt Naturæ, ac voluntates liberæ, distincta etiam dari poterunt Jura: si verò velis habere distinctionem non tantum *Naturarum*, sed *Suppositorum*, dicendum erit, Christum non exercuisse Justitiam commutativam erga Verbum: & S. Th. dum in præsent. 2. 58. Art. 2. in corp. ad Justitiam requirit diversitatem suppositorum, aut intelligi debet de Justitia, qualis datur *in puros homines*, aut ei opponenda est Authoritas plurimorum gravissimorum Doctorum oppositæ Sententiæ Suar. Bellarmin. &c. disputant hic Theologi, an qui eandem rem solvit, iteratò per secundam solutionem

spon-

exerceat actum Iustitiæ commutativæ? Respondemus, si per secundam Solutionem iteratò tribuit *Ius strictum*, exercet actum Iustitiæ commutativæ; secùs si per eam non tribuit iteratò *Ius strictum*; an verò iteratò *Ius strictum* tribuere possit, nec ne, sive, an eidem debito satisfieri possit duplici solutione adæquata, disputent Theologi, circa quam subtilitatem duo eminentissimi Cardinales sua ingenia exercuere: Card. Pallavicinus, & Card. de Lugo. Prior negandò, alter asserendò apud Haunold. *de L. & L. Tr. 2. cap. I. num. 81.*

### S. III.

## De Iustitia Legalis.

1. Quid sit Iustitia Legalis, & quomodo differat à Commutativa? n. 1. & seqq.
2. Non obligat ad restitutionem. n. 5.
3. Stringit equè Principem, ac Subditum. n. 6.

**Q. 1.** Quid sit Iustitia Legalis? &c. Ea describi potest, quòd sit *virtus ad alterum, per quam membra communitatis quæ talia ordinantur ad ipsam communitatem, tanquam partes ad totum tribuendo communitati Ius illud, quod ipsa quæ talis habet erga sua membra quæ talia.*

II. Sicut enim datur Iustitia, per quam privatus ordinatur ad privatum, ut tribuat illi Jus suum, quòd ipsi competit; ita etiam datur Iustitia, per quam privatus ordinatur ad communitatem, in qua tanquam pars vivit, ut illi tribuat Jus suum, quòd illa habet tanquam totum in suas partes; pertinet enim ad Republicæ laudem, ac felicitatem, ut partes ejus rectè se habeant, officiumque præstent, sicut ad totius corporis decorem, & utilitatem spectat, ut membra singula sanitate utantur, & functiones rectè obeant: & hæc dicitur *Iustitia Legalis*. *Iustitia*, quia respicit quodammodo alterum, id est, Rempublicam. *Legalis*; quia se extendit ad omnia, quæ lege sunt statuta propter bonum commune: nam Jus illud, ad quòd tribuendum communitati hæc Iustitia hominem ordinat, haud alia ratione magis communitati tribui solet, quàm accurata observatione omnium Legum, quæ in Republica sunt constitutæ, à qua Legum observantia felicitas rerum publicarum dependet.

III. Igitur sicut Communitas obligata est procurare incolumitatem, & bonum suorum civium, & membrorum, ita cives, &

membra obligata sunt procurare incolumitatem, & bonum publicum ipsius communitatis, & avertere damna illius: & ita quidem, ut, si opus fuerit, etiam suum privatum bonum, vel damnum publico bono, vel damno certis in casibus postponere sub peccato gravi adstringantur, atque ad hoc communitas habet Jus adversus suos Cives, & membra: id quòd tam erat necessarium, quàm necessarium erat ad vitam beatam, ac tranquillam ducendam, ut homines, quorum quilibet aliorum operà indiget, & nullus soli sibi sufficit, communem vitæ societatem inirent atque in Communitates, & Respublicas congregati politico regimine gubernarentur.

IV. Discrepat à Iustitia Commutativa, quòd illa respiciat *Ius rigorosum*, quòd, ut dictum, est facultas obligandi ad aliquid faciendum, vel omittendum ex *beneplacito ipsius obligantis*: in quali facultate haud consistit Jus illud, quòd à Legali Iustitia respicitur, etenim, quemadmodum Filius obligatus est honorare Parentem, etiam independentè à beneplacito illius; sic civis, ac membrum communitatis obligatum est ad procurandum communitatis bonum, non quia ipsa vult, sed quia pars est illius, atque ut talis est naturaliter, irremissibiliterque à Deo Naturæ, & Rerum publicarum Conditorè adstringitur ad procurandam conservationem, & incolumitatem sui totius, quandoquidem sinè hac obligatione pessimè prospectum generi humano foret in ordine ad vitam socialem, tranquillamque ducendam, ob quam genus humanum per totum terræ globum dispersum varias in communitates, politicisque Respublicas est distinctum; sinè qua sociali vitæ civitates, & Respublicæ in Speluncas Latronum, homines in bestias degenerabunt. Exampla subministrant Antropophagi, & Barbaræ Nationes, quæ sinè Republica inter Sylvas, & Eremos dispersæ instar ferarum efferatè vivunt.

V. **Q. 2.** An igitur mortiferè peccabit membrum communitatis, quòd in valde gravi annonæ caritate succurrere communitati poterat, exponendo e. g. venale suum frumentum, & facere id neglexit? &c. Certè peccat mortiferè contra hanc, de qua nobis sermo est, Legalem Iustitiam. In eo tamen relevat hæc Iustitia, quòd læsio illius annexum non habeat *restitutionis onus*, quòd annexum habet læsio commutativæ Iustitiæ; atque hinc, qui ita succurrere neglexit suæ communitati, non adstringitur postmodum

cessante necessitate ullam facere compensationem restitutionis.

VI. Stringit hæc Justitia æquè Principem, ac subditum; quia & hic, & ille tenetur bonum publicum procurare, & juvare Rempublicam, cujus uterque est pars, licet Princeps sit pars nobilior in suo ordine: igitur eadem Justitia Legalis in utroque locum habet; cum in utroque *idem habeat motivum*, quod est procurare bonum publicum communitati propter ordinem, quem quodvis Reipublicæ membrum habet *tanquam pars ad suum totum*: hoc tamen discrimine, quòd Justitia Legalis in Principe sive Magistratu Leges decernente ob Reipublicæ commodum, sit *Architectonica* id est, subsit *prudencia gubernativa & Architectonica*; in subditis verò acceptantibus, & observantibus Leges ob ejusdem Reipublicæ commodum, sit *ministerialiter*, id est, subsit *administrativa, & politica prudentia*, Executioni mandantibus subditis, quæ per Magistratum decreta sunt.

VII. Q. 3. Quid, si Princeps, vel Gubernator communitatis malè administret bona ejusdem, vel si subditus ex illis quid suffuretur, an non tenebuntur restituere? R. Tenentur omnino, ac non ex titulo *Justitia Legalis*, sed ex titulo *Justitia commutativa*, qui hoc casu intercurrit: peccatque talis malè administrans, vel suffurans contra utramque, & Legalem, & commutativam Justitiam: nam Respublica non tantùm quæ talis habet Jus adversus gubernatorem, tanquam sui partem, & alia membra, ut bonum communitatis procurent, quod Jus est *minus rigorosum*; sed etiam eadem communitas *instar personæ privæ* habet Jus adversus gubernatorem; ut is ex implicito pacto in collatione officij cum ipso inuito fideliter administret bona sua communitati, & adversus quemlibet alium, sive subditum, sive extraneum, ne ex bonis suis communibus quid furetur, & hoc Jus *rigorosum est* ad restitutionem ligans.

VIII. Atque eadem erit ratio in eo, qui justorum vectigalium perfolutione Rempublicam fraudat, si, uti communior vult sententia, ex ea fraudatione resultat restituendi obligatio; eadem ratio est in illo, qui in communi Reipublicæ necessitate, & periculo aliqua suorum bonorum Magistratui subicit, & occultat, ut minus ad publicam necessitatem sublevandam è suis fortunis contribuere cogatur: siquidem & in hoc casu, quæ multo-

rum sententia est, oriatnr restitutionis obligatio.

IX. Si dicas: bonum commune procuratur per complexum omnium virtutum, consistit enim salus Reipublicæ in exercitio virtutum, & fuga criminum; R. Reliquæ virtutes, & earum complexum *materialiter* solummodò procurant bonum commune Reipublicæ, dum ponunt quidem id, quod re ipsa bonum existit Reipublicæ; non verò *formaliter* ex motivo, & ex amore honestatis consistentis in eo quòd *pars* promoveat *bonum communitatis*, & satisfaciat illi Juri, quod adversus membra sua habet communitas quæ talis. Licet verò Justitia Legalis in *essendo* specialis sit virtus in *causando* tamen se extendit ad materiam omnium quoque aliarum virtutum, quarum actiones ad *suum finem*, hoc est, ad *Reipublica Prosperitatem* dirigit, sicut charitas in suo esse specialis virtus est; in *causando* verò se extendit ad omnes quoque alias virtutes, ut amore Dei exercentur. Et hoc sensu intelligendus Aristoteles, dum 5. Ethic. cap. 1. docet Justitiam Legalem non esse *virtutis partem*, sed *universam virtutem*. Nam ad hunc suum finem, qui est, ut pars promoveat bonum communitatis, destinat reliquas virtutes, quando opus est. Si Respublica versatur in periculo, Justitia Legalis conatur modis omnibus eam tueri: imperat arti militari, ut excogitet modos defensionis, pericula contemnat; sumptus annonæ restringit, thesauros effundit, nihil non molitur erga Rempublicam, & quidem sive hæc sit simul *Patria*, sive non. Differt enim à pietate in patriam, quæ inclinatur ad procurandum bonum Patriæ, quia *Patria est, seu Principium nascendæ* Justitia verò Legalis ad procurandum bonum commune Reipublicæ, quia *communitas est*; multi enim vivunt in communitate, quæ non est simul eorum *Patria*, contra quos tamen communitas habet illud Jus, quamdiu sunt ejus membra. Ex quibus illud liquet, quod advertit Lessius *Lib. 2. de l. & l. cap. 1. num. 18.* superiorem posse multis modis inclinari, ut curet servari Leges, potest enim hæc cura considerari. 1. Ut *debita ex officio*, & sic ad eam inclinatur *Justitia commutativa*. 2. Ut *debita ex eo, quòd sit membrum præcipuum Reipublicæ*, & sic ad eam impellit *Justitia Legalis*. 3. Ut *debita patria*, quæ genuit, & sic ad eam inclinatur *pietas*. 4. Ut *debita ex honestate singularum virtutum*, de quibus sunt Leges, & hoc

Hoc modo tota virtutum collectio inclinatur ad eam curam. 5. Ut debita ex inclinatione charitatis naturalis in homines, & sic ad eam inclinatur charitas naturalis: idem dicendum est de quovis officio erga Rempublicam; potest enim in eo multiplex ratio debiti spectari.

X. Quæ dicta hæcenus sunt de Iustitia Legali Reipublicæ cum proportione applicari possunt, etiam Iustitiæ œconomicæ alicujus familiæ; familia enim constat tribus conjugationibus. 1. Est Viri & Uxor. 2. Patris, & Filij. 3. Domini, & Servi, quæ personæ quatenus inter se considerantur ut privatae, regulantur Iustitiâ commutativâ; quatenus verò considerantur tanquam partes ad familiam tribuentes illi Jus, quod ei competit tanquam toti in partes, regulantur Iustitiâ Legali: quatenus verò familia consideratur tribuens his suis membris Jus tanquam suis partibus, regulantur Iustitiâ distributivâ.

## S. IV.

## De Iustitia Vindictiva.

1. Iustitia Vindictiva necessaria Reipublice. n. 1.
2. Quid sit Iustitia vindictiva, & vindictio, & illicita? n. 2. & seqq.
3. Executio vindicationis spectat ad superiorem, non ad privatos. n. 5. & 6.
4. Vindictio ob variamotiva fieri potest. n. 7.
5. Iustitia vindictiva specialis virtus est. n. 8. & 9.
6. Licitum est alterum accusare criminaliter, si debito sine fiat. n. 10. & 11.

**I**Nstar medicinae sunt Leges, per quas pestiferi Reipublicæ paroxysmi curantur; at sicut medicina inutilis est, quæ non applicatur corpori ægro, sed negligitur, ita Leges inutiles erunt Reipublicæ, si earum saluberrima observatio non applicatur Reipublicæ, sed negligitur. Interrogatus fertur nonnemo, ecquot sint Præcepta Decalogi? undecim respondit: undecimum quodnam esset, cum rursus peteretur? reposuit sapienter; undecimum jubet, ut decem illa Præcepta observentur.

Iustitiæ Vindictivæ id muneris est, ut medicinam hanc Reipublicæ applicet, & salutarem reddat, quæ Iustitia ad Legum disciplinam conservandam apprimè necessaria; corruent citò Leges, nisi scelerum vindicta improbos transgressores coercet; etenim quamvis amore virtutis, & honestatis ab injuria, violandisque Legibus abstineant boni;

at non nisi formidine pœnæ mali in officio continentur.

Oderunt peccare boni virtutis amore,

Desistent peccare mali formidine pœnæ:

Quare sicut boni Cives, & amantes recti in pretio habendi, fovendi, benignèque tractandi sunt; ita contumaces, turbulenti, & jugum Legum excutere molientes severitate, & terrore pœnarum à scelere, & flagitio revocandi; geretque se providus Princeps ad Exemplar, quod de Divina scribit Iustitia Psalmographus Psal. 17. 26. cum viro innocente innocens eris, & cum perverso perverte-  
ris.

II. Q. 1. Quid sit Iustitia Vindictiva? R. Est virtus ad alterum, per quam quis ordinatur, ut juxta potestatem sibi congruentem aliorum delictis infligat pœnam, quæ ipsis secundum Legum præscriptum, vel prudentis arbitrij æstimationem sit proportionata, & commensurata. commensurata censetur ea pœna, quæ major non est necessaria, & minor non sufficeret ad homines in talibus circumstantijs deterrendos à delicto. Actus externus Iustitiæ vindictivæ est vindictio, & pœnæ commensuratæ inflictió. De qua.

III. Q. 2. Quid sit vindictio? R. Less. Lib. 2. cap. 47. dubit. 4. Vindictio græcè Εὐδικησις, est ultio injuriæ; videlicet cum pro injuria rependitur pœna, itaque est redditio mali pro malo, mali pœnalis pro malo culpabili. Latius accipitur, dum à S. Aug. dicitur vindictio, per quam vis, aut injuria, & omnino omne, quod obsuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur: nam defensio etiam privata auctoritate fieri potest, nec in malum alterius tendit, secus in vindicta.

IV. Q. 3. An licita sit vindictio, seu vindicta? R. Si debitò modò, & sine fiat, omninò licita est, & actus virtutis; nam natura ipsa dicitur, licitum esse, & non iniquum, ut, qui malè fecit, malè ferat, quod antiquissimum, & Rhadamanteum Ius vocant Philosophi. Τὸ θεῶν ἐπίτακ δίκη τῶν ἀπολιπομένων τῆ βεῆ νόμου Τιμωρός. Iustitia Deum comitatur ultrix in eos, qui adversus Legem Divinam delinquant. Ut Pluturchus apud Grotium loquitur. Et dari in Republica humana potestatem puniendi delicta, extra dubium est, cum ejusmodi potestas summè fuerit necessaria ad bonum Commune, & Observationem Legum: Sed

V. Q. 4. Ad quem spectet executio vindicationis? R. Spectat ad superiorem legitimum juxta illud Rom. 13. v. 4. Dei Minister

fer est, vindex in iram ei, qui malum agit; non verò ad subditos juxta illud Rom. 12. v. 17, *multi malum pro malo reddentes*, & v. 19. *non vosmetipsos defendentes*? (græcè *Ἐνδιήκοντες*, id est, ulciscentes) sed dase locum ira; scriptum est enim, *mibi vindicta, & ego retribuam* &c. Ratio est: quia aliàs plurima incommoda, & mala orientur in Republica, si passim cuilibet permissum esset privata auctoritate vindictam sumere.

VI. Q. 5. An igitur in privato locum non habet Justitia vindicativa? R. Habet locum aliquò modò, quatenus potest curare, ut ea fiat per eum, qui habet publicam potestatem accusando malefactorem criminaliter, & ad vindictam publicam ex affectu Justitiæ, non verò ut ipse per se faciat actum ejusmodi Justitiæ vindicativæ graviolem.

VII. Sicut autem potest actus externus vindicationis, prout fit à publica potestate, ex variis motivis procedere, ita ad varias virtutes refertur: sic primò potest superior, aut Judex facere vindicationem, *ut delinquens emendetur*, quomodo Pater castigat Filium, & est actus *charitatis proximi*. 2. Ut alij *Exemplo hoc à similibus delictis absterreantur*; & pariter est actus *charitatis proximi*; hic tamen finis est magis extrinsecus, unde post hanc vitam non amplius spectabitur: in hac tamen spectatur tum à Deo, tum à Judice humano, ait Less. 3. *Ut tanquam pars Republica hac ratione bono publico, & tranquillitati communis consulat*; & est actus *Justitiæ Legalis*. 4. Ut consulat bono Patriæ, & est actus *pietatis*. 5. *Quia Leges id præcipiunt*, & est actus *obediëntiæ*. 6. *Quia id ratione officij*, quod gerit, debet Republicæ, quæ eum superiorem, vel Judicem constituit, vel quia pars læsa id postulat, & est actus *Justitiæ commutativa*. 7. *Quia per se docens est malefactorem puniri*, & poena per se congruit, ac debita est delicto, sicut laus, & præmium virtuti, & honesto, idque, ut rectus ordo servetur, & quod extra ordinem recti prolapsum est, ad ordinem revocetur, & est actus *Justitiæ vindicativæ*, de qua loquimur, sic Deus per vindictam omnes eos, qui ab ordine pulcherrimo Justitiæ, & Legū divinarum prolapsi sunt, & ordinatissimam dispositionem fœdè turbârunt, ad ordinem Justitiæ reducet, infligendo congruam poenam, ut nihil in mundo remaneat informe, nihil inordinatum, nihil confusum, sed omnia pulchrè suis locis, & gradibus sint disposita, ut ex S. Aug. habet Less.

VIII. Q. 6. An specialis, & ab alijs distincta virtus sit Iustitia vindicativa? R. Assertivè, quia ipsius motivum speciale, & distinctum est consistens in honestate illa, quæ est in æqualitate poenæ cum delicto, ne hoc maneat impunitum, sed recipiat id, quod ipsi si quodammodo debetur, id quod nulli alteri virtuti competit. Unde *per excessum* huic virtuti opponitur *crudelitas*, *per defectum* nimia *remissio*, seu *conniventia*, estque hæc æqualitas poenæ cum delicto necessaria generi humano, ut à superioribus, quibus publica potestas commissa est, observetur, ne sinistro quodam affectu, vel humano respectu in alterutram partem, vel ad nimiam severitatem, vel ad nimiam lenitatem abripi se sinant. Quamvis remissio poenæ, aut ejus mitigatio non semper sit peccaminosa, præsertim apud supremos Principes; potest tamen etiam apud hos fieri graviter peccaminosa, si cedat in grave damnum Reipublicæ.

IX. Oppones: ne infligatur poena major delicto, præstat Iustitiæ commutativa; nec minor, Iustitiæ Legalis, ad quid igitur specialis Iustitiæ vindicativa? R. Quia ex speciali motivo agit Iustitia vindicativa; ex hoc nimirum, ut *delictum non maneat impunitum, sed recipiat id, quod ipsi quodammodo debetur*, ex quo non agit commutativa, vel Legalis. vulgò cum deberi alicui poenam dicimus, nihil volumus aliud inntere, quàm æquum esse, ut puniatur; Grotius vult, hæc in re esse aliquid, quod ad naturam contractus accedat: quia sicut, qui vendit, inquit, etiam si nihil peculiariter dicat, obligasse se censetur ad ea omnia, quæ venditioni sunt naturalia; ita qui delinquit, sua voluntate videtur se obligasse poenæ, quia crimen grave non potest non esse punibile, ita, ut, qui directè vult peccare per consequentiam & poenam mereri voluerit; quo sensu Imperatores Severus, & Antoninus Asclepiadi ita rescripserunt: *ipse te huic poenæ subdidisti*; Leg. Imp. 34. ff. de Iure Fisci. & ex quo sceleratissimum quis consilium cepit, exinde quodammodo sua mente punitus est. Leg. fin. c. ad Leg. Jul. Majest.

X. Q. 7. An licitum sit alterum accusare criminaliter ad vindictam publicam? R. Licitum est, & opus virtutis, si accusatio debito modò, & sine ob publicam utilitatem fiat ad exemplum populi, & terrorem aliorum, ut omnes ab hujusmodi criminibus sibi caveant. R. sio. Constat ex dictis. Periculosa tamen solet esse accusatio, ut instituat, sicut oportet, & sine peccato apud homines, qui non

non domitos habent animi affectus; nam hi difficulter retinent animi rectitudinem ad Zelum Iustitiæ, sed faciliè sinistra passione moventur, ut ex odio accusationem instituunt, aut eam acuat aversio, aut ut ipsa accusatio in odium degeneret, & per eam fiant inimici.

XI. Q. 8. An privatus quispiam obligatus sit ad accusandum malefactorem, & petendam vindictam publicam? R. Per se, quidem, non obligatus est, potest tamen contingere, ut id facere teneatur, ut in casu, quo crimen in spirituale, vel temporale damnum Reipublicæ vergeret, quod aliter averti non posset; quia pars Reipublicæ, etiam cum proprio incommodo, tenetur procurare bonum publicum, si tamen legitime probare crimen possit; nam si probare non posset, accusans injustè læderet famam accusati, & se exponeret pœnæ calumniatorum, quin Reipublicæ consulere-  
retur.

Quòd si per viam denunciationis averti possit damnum, omitti potest accusatio. De Iudice, & Ministris Iustitiæ, qui ex officio malefactores inquirere, capere, aut deferre tenentur, non loquimur; his enim obligationem suam officium eorum satis insinuat. Neque processum criminalem ingredimur, de quo Icti videri possunt.

## §. V.

### De Iustitia Distributiva.

1. Quid sit Iustitia Distributiva, & in quo differat à Commutativa? n. 1. & 2.
2. Quid sit Proportio Geometrica & Arithmetica? n. 3. & 4.
3. Quæ Distributiones honorum spectent ad Iustitiam Distributivam, & per quem sua bona, ac officia distribuatur membris? n. 5. & seqq.
4. Non respicit Jus rigorosum. n. 11.
5. Salaria Officialibus & Militibus distribuuntur ex Jure stricto. n. 12.
6. Definitio. n. 13.

I. Q. 1. Quid sit Iustitia Distributiva? R. Iustitia Distributiva dicitur à distribuendo, estque illa, quæ communis item, quæ saltem ordinat ad personam particularem, tanquam membrum illius, ut communitas inter sua membra, seu partes suas servata debita proportione distribuatur bona communia, aut etiam onera.

II. Differt à Iustitia commutativa. I. Ratione Personarum, inter quas intercedit; quia Iustitia commutativa ordinat Personam-Partis.

cularem ad aliam Personam particularem. Iustitia Distributiva verò communitatem quæ saltem ordinat ad Personam particularem tanquam partem sui in quantum facit, ut bona communia distribuantur à communitate vel per se, vel per Ministros Personis particularibus secundum Proportionem dignitatis earum, præcisè quia membra sunt communitatis, & quia dignæ sunt, vel digniores alijs. 2. Ratione Materie; quia Iustitia Distributiva distribuit solum bona Communia inter Communitatis membra: Commutativa verò cuiuslibet tribuit, quidquid ipsi debetur sive ex bonis communibus, sive privatis. 3. Ratione diversæ Proportionis, ad quam attendunt; nam Iustitia distributiva ad Geometricam, commutativa ad Arithmeticam proportionem attendere solet.

III. Q. 2. Quid sit Proportio Geometrica, quid Arithmetica? R. Proportio Geometrica consistit in eo, ut is, qui cæteris dignior est, plus etiam alijs minus dignis accipiat in distributione, & quidem, ut, quantò est dignior alijs, tantò etiam plus accipiat: unde ad faciendam Distributionem bonorum, vel Officiorum cum Proportione Geometrica, quam Iustitia Distributiva respicit, opus est. 1. Ut ex una parte fiat Comparatio Personarum inter se, & ex altera parte fiat Comparatio Officiorum, vel bonorum inter se; 2. Ut fiat Comparatio excessus, quo una Persona excedit alteram in dignitate cum Excessu, quo unum Officiū (vel aliud bonū distribuendū) excedit alterum in præstantia, ut deo quantum dignitas unius Personæ excedit dignitatem alterius Personæ, tantum etiam Officiū, vel bonum, quod tribuitur Personæ digniori, excedat Officiū vel bonum, quod tribuitur personæ minus dignæ, ita ut, si una persona duplò, vel triplò sit dignior altera, etiam duplò, vel triplò plus accipiat, quàm altera; adeoque ut detur æqualitas non inter Personam & Officiū, quod ipsi confertur; sed inter duas has Proportiones, quarum una datur inter Personas, seu earum Dignitates, altera verò inter Officia, quæ ipsis conferuntur, ita, ut, tanta sit proportio inter Officia, quæ conferuntur, quanta est inter personas; involvitque proportio hæc Geometrica minimam. 4. Terminos nempe ex una parte duas personitas quoad dignitates, & merita inter se comparatas; ex altera verò parte duo bona illis personis conferenda, sic vocatur Proportio Geometrica comparando 2. ad 4., & 4. ad 8.; sicut enim duo habent Proportionem dimidij

dij ad quatuor, ita quatuor habent Proportionem dimidij ad octo.

IV. *Proportio Arithmetica* verò, quam respicit *Justitia commutativa*, consistit in eo, ut detur æqualitas inter duos terminos, v. g. inter mercem, & pretium, ut scilicet merx sit tanta, quantum est pretium, seu valor rei, pro qua merx datur.

V. Q. 3. Quæ Distributiones bonorum spectent ad *Justitiam Distributivam*? R. Illæ per quas *communitas quæ talis bona sua communia dividit inter partes suas quæ tales* satisfaciendo per talem *Jurisdictionem Juri* illi minùs stricto, quod partes illæ habent ad ea bona communia, in quantum partes sunt.

VI. Hinc quando in contractu societatis plures socij dividunt inter se lucrū; aut quando executor testamenti inter pauperes distribuit pecunias à defuncto ipsis legatas, non est talis *Distributio*, quæ spectet ad *Justitiam Distributivam*, sed ad *commutativam*: quia his casibus non tota aliqua *communitas* distribuit bona communia inter partes.

VII. bona autem illa, quæ per *Justitiam distributivam* inter membra à Republica distribuuntur, sunt duplicis classis. In prima classe sunt *Officia*, tum secularia, tum spiritualia, quorum bona administratio potissimum cedit in emolumentum ipsius *communitatis*, quòd in horum *Distributione* præcipuè *Respublica* intendit regulariter, ad quod obtinendum ordinariè confert, vel vult conferri sua *Officia* illis, qui in tota *communitate* aptiores, & digniores se reddiderunt, ita ut, qui se reddiderunt aptiores ad *Officia* præstantiora, etiam admoveantur præstantioribus secundum *Proportionem dignitatis*, & aptitudinis. Licet hoc emolumentum *Reipublicæ* plerumque conjunctum esse soleat etiam cum privato quodam emolumento eorum, quibus *Officia* conferuntur.

VIII. In secunda Classe sunt bona fortunæ, ut pecuniæ ad publicum ærarium spectantes, ac ultrà id, quod publicis expensis necessarium est, redundantes, quod tamen nostro tempore rarò contingit: item pascua, sylvæ cædæ, agri, & fundi, si qui *Jure belli*, aut aliò *Titulò* *communitati* accrescant &c. Quæ bona ferè serviunt utilitati eorum, quibus conferuntur, quam utilitatem potissimum intendere solent *Respublicæ* in eorum bonorum *distributione*, licet talis *Distributio* etiam referatur ad bonum commune promovendum: quia per illam partes extimulantur ad bonum commune studiosius procuran-

dum, friderint talia conferri non nisi dignioribus *Reipublicæ* membris.

IX. Q. 4. Per quæ illa sua bona communia distribuat *communitas* inter sua membra? R. Ea potest distribuere vel imediatè per suffragia populi, vel mediatè per *Administratorem*, *Gubernatorem*, *Principem*, qui *Reipublicæ* præest, aut per alium quempiam ex *Officio*, vel speciali *Commissione* deputatum ad communia ea bona cum debita *Proportione* distribuenda.

X. Potest autem *Communitas* eos, quos ad faciendam *Distributionem* constituit, obligare ad servandam debitam, & *Geometricam Proportionem*, vel intendendo principaliter *suum ipsius communitatis proprium commodum*, ut regulariter fit in *Distributione Officiorum*, vel intendendo *commodum privatum illorum*, quibus fit *Distributio*, ut regulariter fit in *Distributione cæterorum bonorum*.

XI. Jus autem illud, quod *Justitia distributiva* respicit secundum se, & nisi simul sit permixta cum *Justitia commutativa*, non est *ius rigorosum*, sed minùs strictum. Hinc læsio *Justitiæ distributivæ* non inducit *Obligationem restitutionis*, sicut læsio *Justitiæ commutativæ*; nam singula membra præcisè *ratione conjunctionis sui cum communitate*, ac *ratione dignitatis suæ* non habent *Jus rigorosum* adversus *communitatem* ad *distributionem* faciendam secundum formam convenientem *Justitiæ distributivæ*, hoc est, proportionally ad dignitatem membrorum; nisi *communitas per præviam promissionem, aut pactum explicitum, vel implicitum se ad hanc distributionem faciendam membris obligaverit*, quo casu singula membra habent quidem *Jus strictum* adversus *communitatem*, seu potius adversus reliquas suas compartes ad faciendam dictò modò *distributionem*; at *tributio* hujus *Juris rigorosi* non spectat ad *Justitiam distributivam*, sed *commutativam*; quia tali casu *communitas* se habet ad sua membra, non ut *communitas*, seu ut totum ad partem, sed *instar personæ particularis ad personam particularem*: nam ad hoc, ut *communitas* alicui aliquid debeat ex *Jure rigoroso pacti* perinde est, sive is, cui se pactò obligavit, sit *Persona extranea*, sive sit pars *communitatis*.

XII. Hinc quando *communitas* ex bonis communibus mercedem, aut *salarium* promittit operariis, *Officialibus*, *Militibus* &c. esto, etiam hi sint membra *communitatis*, non tamen est *actus Justitiæ distributivæ*, sed *commutativæ*, dum eis mercedem, vel *stipendium* sol-

solvit: quia hoc non facit *quæ communitas*, sed ut se habens per modum *Personæ particularis* ad *Officiales*, & *Milites* etiam se habentes tanquam *Personas particulares*; non verò ad eos tanquam ad suas partes, sed perinde ipsi est, sive illi sint externi, sive domestici, partesque communitatis; ideoque talis solutio mercedis, vel stipendij ad *Justitiam* commutativam spectat, sive fiat secundum *Proportionem Arithmeticam*, sive *Geometricam* ex *Conventione prævia*.

XIII. Si definitionem petis: *Re. Justitia* distributiva sumpta pro habitu est *virtus ad alterum*, per quam *communitas* quæ talis ordinatur ad tribuendum *membris suis* *ius suum* minus *rigorosum* in *distributione bonorum communium* *proportionaliter* ad *cujuslibet dignitatem*.

Sumpta verò pro actu est *constans*, ac *perpetua* voluntas *ius suum* minus *rigorolum* ad *bona communia* cuique *proportionaliter* tribuendi ex *amore honestatis consistentis* in *tributione hujusmodi*.

## SECTION VI.

DE

### Distributione Officiorum Reipublicæ.

S. I.

Quale Jus habeant subditi ad *Officia* Reipublicæ sibi distribuenda, & qualem *Obligationem* *Principes*, & *Magistratus* ad ea dignioribus conferenda?

1. *Personæ Particulares dignæ non habent Jus strictum in Communitatem, aut Distributorem Officiorum, ut sibi conferantur Officia. n. 1. & seqq.*
2. *Hinc Distributor conferens Officium indigno, non tenetur ad Restitutionem dignioribus faciendam; tenetur tamen ad resarcienda damna Reipublicæ exinde illata. n. 4.*
3. *Peccat graviter Princeps, vel alius Distributor, si Officium non conferat digniori, quando Magnus est excessus dignitatis, & Officium magni momenti, ac tale, ut ex electione dignioris magnum emolumentum sperari possit. n. 12. & seqq.*
4. *Quod à fortiori obtinet in Beneficijs Ecclesiasticis. n. 15.*
5. *Peccat Patronus presentans ad Beneficium Personam solum propter Preces Illustrium Fæminarum, aut Amicorum. ibid.*

L. Q. 1. Quale Jus habeant Subditi erga *Communitatem* circa *Distributionem* *Officiorum* sibi faciendam; *Re. Personæ particulares* non habent *ius rigorosum*, quod *Restitutionem* inferat, ut *communitas* in *distributione* conferat *Officia* meliora dignioribus, aut, ne ea conferat indignis, nisi per *promissionem*, vel *pañum* se ipsam *communitas* ad hoc obligaverit aliquibus *Personis* particularibus: Hinc *communitas* non tenetur facere *Restitutionem* dignioribus *Personis*, si eas præterit in aliquo *Officio* conferendo, illudque alicui *Personæ* minus dignæ, vel etiam indignæ contulit.

II. Idem est de *Distributore*, quem *communitas* sibi constituit, si is *Officium* conferat minus digno, vel indigno; nam neque contra hunc *Personæ* particulares digniores, vel dignæ habent *ius rigorosum*, ut ipsis conferantur ea *Officia*, ut docet *Covarruv. Navarr.* & alij apud *Illfung Tr. 4. disp. 2. num. 90* quia, ut priùs dictum, *Justitia* *Distributiva*, & *dignitas* ad *Officium*, atque *conjunctio* *Personæ* particularis cum *communitate* tanquam partis cum toto, non confert huic *Personæ* particulari *Jus rigorosum*; licet fundet *magnam convenientiam*, ut ipsi potius, quam alicui homini extraneo, vel alteri intra *communitatem* quidem, sed minus digno *Officium* conferatur.

III. Et licet *Respublica* *Distributorem* suum obliget ex *Justitia commutativa*, ut *Officia* conferat dignis, per hoc tamen intendit *suam utilitatem*, non *utilitatem Personarum particularium*, quæ sunt *Officio* dignæ, adeoque *Distributorem* per *pañum* implicitum censefetur tantum obligare sibi ipsi, non *Personis* particularibus.

IV. Hinc talis *Distributor*, si *Officium* conferat alicui indigno, tenetur quidem *Reipublicæ* ad *Restitutionem*, & *compensanda damna*, quæ ex ea *Collatione* in illam redundant, nisi ipse *Officialis* indignè promotus faciat *Restitutionem*; non verò tenetur ad *restitutionem* illis *personis* dignis, vel dignioribus, quas in *Collatione* *Officij* præterit, dum illud homini indigno contulit. *Reipublica* tenetur, quia dum ipsi *Officiorum* *Distributio* committitur, aut conferatur *Officium*,

cui



cui Distributio Officiorum annexa est & hoc ipso *per implicitum pactum* ei hæc Obligatio imponitur, & Respublica in ipsum habet Jus rigorosum, ut *dignos assumat*, aliàs Respublica se non posset satis servare indemnem à plurimis damnis, quæ ipsi imminerent per promotiones hominum indignorum.

V. Quod autem diximus, Personam particularem non habere Jus rigorosum, ut sibi Officium conferatur; id limitandum est, nisi aliundè ipsi acquisitum sit Jus rigorosum ad accipiendum illud Officium v. g. *ex electione, presentatione, vel oppositione expectativa*, ut vocant, quando scilicet plures alicuius Officij candidati sibi opponuntur, id est, ad Examen convocantur, ut, qui dignior fuerit inventus, Officium consequatur: nam peracto Examine, ille, qui dignior inventus est, jam habet Jus, ut reliquis præferatur, *ex tacito pacto* cum candidatis, & collatoribus Officij, quia idè Examen subiit.

VI. Excipitur item nisi Respublica Distributori Collationem certorum Officiorum dignitati recipientium proportionatam præcipiat in *bonum ipsorum recipientium*: e. g. si bello finito Duci præcipiat, ut inter milites de Republica bene meritos Officia certa militaria distribuatur juxta ipsorum merita, ut eorum merita compenset, non ut nova obsequia (quibus fortè non amplius indigebit) ab ipsis recipiat. Quo casu milites acquirunt Jus rigorosum adversus distributorem ad Officia meritis suis proportionata.

VII. Cæterum funestius nihil Reipublicæ accidere potest, quàm si eò miseriarum sit prolapsa, ut neglecta dignitate, & meritis personarum, non dicam, *indigni*, sed *indigniores* passim imperent multò dignioribus pecuniâ, consanguineorum potentia, amicorum suffragiis &c. duntaxat promoti: sub quo imperitorum Jugo pressæ ingemiscunt haud raro quædam communitates.

VIII. Infertur 1. quòd gravem noxam committant illi Principes, vel alij Officiorum Distributores, qui ad Officium *Gubernatoris Oppidi, Arcis, Prætoris, Iudicis, Capitanei, Secretarij, Commissarij, Quæstoris*, & similia assumunt ineptos, aut qui malè putantur administraturi *Less. Lib. 2. cap. 23, dub. 3.*

IX. Infertur 2. quòd, qui tales ad Officia promovent, teneantur Reipublicæ ex Justitia commutativa ad refarcienda omnia damna emergentiâ ex Collatione Officij indigno facta; quam comm unem D. D. Sententiam

*Lessius Lib. 2. cap. 32. dub. 3.* dilucidè hoc Argumento demonstrat: qui hæc Officia conferunt, vel conferunt ea *ex Officio suo*, cui Distributio hæc Officiorum annexa est, ut Principes, & Governatores; vel *ex horum Commissione*: si conferunt *ex Officio*, tenentur ex Justitia commutativa Reipublicæ procurare *Ministros idoneos*; ad hoc enim eos Officium suum obligat Lege Justitiæ, cum propterea stipendia, & tributa accipiant, sicut œconomus, cui Gubernatio domus commissa est, tenetur ex Officio (ac proin ex Justitia) conducere Famulos, & Operarios idoneos. Si verò ea *conferunt ex Commissione*, tenentur similiter ex Justitia: quia qui aliquid ex Commissione facit, non minùs tenetur, quàm is, qui Commissionem dedit; & hoc ipso, quòd Commissionem acceptet, se ipsum obligat ad ritè exequendum. 2. Principes, & Governatores tenentur ex Justitia rectè administrare Rempublicam, & quantum commodè possunt, ejus damna impedire; atqui hoc facere non possunt, nisi idoneis Ministris, & Officialibus utantur; nam pleraque per eos expedienda sunt: ergò si idoneos adhibeant, peccant contra Justitiam, & tenentur ad Restitutionem damni secuti.

X. Si dicas: etsi modò non sint idonei, speratur tamen, aliquando idoneos fore: Respond. cit. *Less.*, id posse interdum locum habere tranquillâ Republicâ, dum officium per Vicarium administrari commodè potest, & aliæ justæ causæ, cur ita fiat, adsunt; secùs est, quando Respublica est turbata, & præsentem opè virorum aptissimorum tum in *politica*, tum in *militia* flagitat.

XI. Hinc, ut cit. Auctor addit, illi, qui constituunt Quæstores, seu Receptores, quos sciunt malignè solvere, & tergiversandò munera extorquere à creditoribus, tenentur rependere damna, quæ creditores per tales Quæstores incurrunt, si ipsimet Quæstores (qui proxima causa sunt) non restituant.

XII. Q. 3. An, & qualem Obligationem habeant Principes, & alij Officiorum distributores, ut in Collatione Officiorum præferant digniores? Respond. 1. *Less. lib. 2. cap. 32. dub. 3. n. 15.* qui omissis aptioribus assumit minùs idoneos, peccat, & sæpè mortiferè, licèt non teneatur ad restitutionem, si illi, quos assumit, reverà *erant idonei*. Probat. 1. ex eo, quia injuriam quamdam facit digniori præferendo ei minùs dignum, majus enim jus habet, qui est aptior, licèt hæc non sit injuria

propria contra *Justitiam commutativam*, ac proinde non obliget ad restitutionem; sed contra *Justitiam distributivam*, cujus Jus consistit solum in maiore aptitudine, & proportione ad bonum distribuendum. 1. Quia plerumque nascuntur graves offensiones, & alienationes subditorum à Superioribus ob ejusmodi Collationes, quæ interdum causa sunt multorum malorum, ut, cum vident negligi eos, qui in fide, & obsequio Principis perstiterunt, & exilia sunt perpeffi, promoveri autem, qui partis adversæ fautores fuerunt.

XIII. Respond. 2. tunc sub gravi peccato tenet Principem, vel alium distributorem in distributione Officiorum digniorem ad officium promoveri, quando excessus dignitatis inter membra communitatis est *valde magnus, ac notabilis*, & officium *magni momenti*, ac tale, ut ex electione dignioris ingens emolumentum sperari possit, vel ex negligentia illius gravia damna rationabiliter merui possint. Ratio: quia *gravis obligatio fidelitatis*, quam Reipublicæ tanquam illius minister debet, eum eo casu graviter stringit, licet non stringat *Justitia commutativa*: quemadmodum enim œconomus, si fideliter officium suum præstare velit, tenetur conducere operarios, & ministros domino suo quam maxime idoneos, quantum commode potest, & graviter peccaret contra fidem ex officio debitam domino suo, si in conducendis operariis solum spectaret, ut suos amicos promoveret rejectis aliis, qui longè plus prodesse possent domino; ita illi, qui Reipublicæ officia conferunt, graviter peccant, si promoveant eos tantum, qui sanguine, vel amicitia ipsi conjuncti sunt, vel munera obtulerunt, vel privatis ipsorum intentionibus melius servient, vel magis sciunt adulari, præteritis interim aliis longè aptioribus; quia peccant in Reipublicam præferentes commoda privata utilitati communi contra fidem Reipublicæ datam; certè sicut non fideliter dicitur officium peregrille, qui gravia aliqua domini sui commoda, quæ facili negotio potuisset curare, prætermisit; ita qui vel ex officio, vel ex commissione conferunt officia Reipublicæ, nisi ea conferant maxime idoneis, quantum commode possunt, non fideliter peragunt suum officium, sed infideles sunt Reipublicæ, quæ infidelitas in re magni momenti noxa gravis est, & in subditis meretur puniri poenâ privationis officij.

XIV. Denique si non detur opera, ut officiis publicis applicentur aptissimi, gravissima

malia redundabunt in Reipublicam, sensim ea impletur Ministris Arbei, Politicis, Ambitionis, Avaris, qui sua, & suos duntaxat curant, & promoveant, commune bonum negligant, omnia ad privatas quasdam suas intentiones dirigant, qui jus, & fas, justitiam, & religionem aurò venalem habeant, ex quibus nihil aliud, quam eversio religionis, & Justitiæ expectari possit. hæc Lessius.

XV. Quæ de distributione officiorum secularium dicta sunt in Republica politica, ea à fortiori dicenda sunt de distributione officiorum spiritualium, & beneficiorum Ecclesiasticorum in Republica Ecclesiastica, sive ea per Electionem, sive per præsentationem, sive per liberam collationem conferantur. Hinc regulariter datur gravis obligatio ad digniores præferendos saltem tunc, quando *Excessus dignitatis est magnus*, & valdè notabilis, & boni communis multum interest, ut dignior præferatur, sive beneficium sit curatum, sive non; nam D. D. qui beneficia non curata excipiunt putantes, sufficere, ut ad hæc promoveantur digni, omissis etiam dignioribus, intelligi debent, nisi *Excessus dignitatis sit magnus*, & nisi beneficium etiam simplex, quod confertur, tale sit, ut multum referat Ecclesiæ ad illud assumi digniorem. Quare non tantum *collator Beneficij Ecclesiastici*, sed etiam *Patronus præsentans* inquirere debet in vitam, & mores Clerici sibi ignoti, antequam eum præsentet, & explorare, an sit dignus, nec ne. Nec facit in contrarium Regula Juris; *quæ nemo creditur malus, nisi contrarium constet*; nam hæc regula locum duntaxat habet in vita, & moribus tunc, quando nullæ certæ aliæ conditiones à Jure requiruntur, uti fit in beneficiatis, ubi præter *vita probitatem* canones requirunt *Literaturam, Ordines Ecclesiasticos, Legitimos Natales, nomen bonum, &c.* Azor *parte 2. lib. 6. cap. 21. q. 4.* Pirhing *de Jure patronatus. n. 95.* Certè nulla ratione excusari potest Patronus, qui temerè præsentat quoscunque sibi inter pocula à combibone oblatos, aut commendatos non à vitâ, & moribus, se præcisè ab alicujus amici, vel amicæ humano, & privato affectu: aut ad preces Illustrium faminarum, quæ dignitatem Personæ non solent attendere; sed affectum naturalem, & alia impertinentia, ut, quod sit subditus, patriota &c., quod ipsis, aut earum liberis obsequia fideliter præstiterit, Famulum, Pædagogum &c. egerit: patet ex Concil. Trid. *Sess. 24. cap. 1. de reform.* & ratio est: quia

Patroni est rem Ecclesie utiliter gerere, quod non prestat, si ad tales Commendationes, haud examinata prius Personae presentandae dignitate presentat. Porro dignior simpliciter censetur in hac materia non ille, qui *doctior* est, vel *sanctior*; sed is, qui juxta munus, & rem, cui praeficiendus est, aptior ejus Ministerio apparet, ut habet Riccius in *praxi aurea Tom. 1. parte 1. resolut. 217.* Isthaec Theologis, & Canonistis ulterius discutienda remittimus. Videatur Cardenas in *propos. 47. ab Innoc. 11. damnatum.* Illung Palao &c.

## §. II.

### An Officia Reipublicae possint vendi?

*1. Conditiones, ut licite vendi possint. n. 1. §. seqq. 2. Incommoda, quae ex venditione sequantur. n. 7.*

**L**oquetur in hoc §. potissimum Lessius, ex quo Q. Utrum Officia saecularia possint vendi? *Resdet. Lessius L. 2. cap. 32. dub. 4.* ubi hanc rem egregie more suo pertrahat, per se quidem non esse illicitum talia Officia vendere, si adsint haec 4. Conditiones.

II. 1. Ut vendens *habeat Auctoritatem*, quae est in solo Principe supremo, vel Republica libera; quia haec sunt bona Reipublicae, ac proin earum dispensatio est supremi Principis, aut ipsius Reipublicae, si sit sui Juris: inferiores vero, etsi Magnates sint, non possunt vendere, nisi Principis concessu.

III. 2. Ut vendantur, *quantum fieri potest, digniori*: quod si Princeps vendiderit alicui *inepto*, debet rescindere Contractum, & Officium venditum resumere, ac pretium pro eo acceptum restituere: damnium vero secutum primo loco, resarcire tenetur emptor, secundo loco Princeps; si tamen Particularis Persona ex facultate Principis vendiderit indigno, non tenetur *restituere pretium*, etiamsi emptor ob indignitatem suam postea privetur Officio; quia eum non *privat venditor*, qui Contractum non rescindit, sed sibi emptor imputet, si Officium amittat: neque venditor tenetur ei de evictione, quia Conditionem rei non ignoravit.

IV. 3. Ut vendantur *pretio moderato*, aliàs occasio datur emptori, ut multa inique extorqueat, sicut quotidiana monstrat experientia. Hanc occasionem si dedit immoderato pretio vendendo Officium, tenetur resarcire damnium, quod alter intulit subditis exigen-

do ab illis ultra Jus, fasque; quia Princeps, Praeses, Gubernator &c. tenentur ejusmodi damna impedire *ex Officio*; quae si non impediant, resarcire tenentur, nisi alter resarciverit. Secus si alius immoderato pretio vendens eam occasionem dedit, cui non ex Officio incumbit ejusmodi damna impedire, is non tenetur restituere; quia illa sua venditione solam est causa remota illius damni, sicut, si quid tibi immoderato pretio vendidi, & tu, ut solvas, furtum committis, non censeor ego causa furti.

V. 4. Ut venditio censeatur *necessaria, vel utilis bono publico*: ut, si summa esset conflanda, quae aliter haberi non posset: quia haec Officia non sunt bona *Principis propria*, ut tributa, sed Reipublicae communia, quorum Administrationem committit Principi communis utilitatis causâ. Haec 4. Conditiones ni concurrant, illicita erit venditio.

VI. *Resdet. 2. cit. Less.* ex communi D.D. plerumque illicitum, & etiam periculosum esse Officia, maxime, si aliquam Justitiae Administrationem habeant, vendere ob multa incommoda, quae inde sequi solent.

VII. Ejusmodi incommoda sunt 1. Quod *non conferantur dignioribus*, imò foret *indignis*, qui pecuniis suplent, puod meritis deest; digni enim vel tantis pecuniis carent, vel certe censent indecorum, hanc viâ ad Officia irrepere. 2. Quod hinc modo magis homines provocentur ad studium pecuniarum, quibus vident dignitates parari, quam ad studium probitatis, & bonarum disciplinarum, quibus in Republica vident parum loci relictum. 3. Quod ij, qui pecunijs haec Officia sunt consecuti, non administrent ea, prout Reipublicae bonum postulat, sed pro suo compendio, ut pretium recuperent, & ditescant: undè fit, ut multa injustè extorqueant, justitiam venalem habeant, divitibus & potentibus faveant, causas pauperum negligant: quare merito haec venditio censenda est pestis Rerumpublicarum; & rectè etiam Jure Romano prohibetur. *Collat. 2. Tit. ut Iudices sine quoquo suffragio fiant. cap. 1. Novell. 8.* Haec, & plura haec de re Leges apud Less. quoad Officia, & beneficia Ecclesiastica, si ea vendantur, simonia est, de qua Canonistae agunt.

## S E C T I O VII

De

## Administratoribus Justitiæ, &amp; Officiorum Reipublicæ.

**A**dministratores *supremi* Reipublicæ, ejusque Officiorum sunt Principes, & Magistratus *supremi*, qui *superiorem* non recognoscunt. Quod enim in corpore est anima, id in Republica Princeps est; totum corpus, & omnia ejus membra moderatur anima, totam Rempublicam, & omnia ejus membra Princeps. Administratores *inferiores* verò sunt varij Magistratus, & Ministri inferiores à Principe, vel Magistratu *supremo* constituti. Sicut enim non omnes functiones sola per se ipsam anima potest obire in corpore, sed per varia instrumenta (Organa vocant) ad varia Officia destinata, per oculos, aures, manus, pedes &c., ita non omnes in Republica functiones solus per se ipsum potest obire Princeps, sed per Magistratus suos inferiores, & Officiales ad varia Officia destinatos, potissimum per Consiliarios, & Judices, de quibus breviter quædam Reipublicæ salutaria insinuamus.

## §. I.

## Expedire, Principem ipsum Jus dicere,

1. An, & quando expediat Principem ipsum Jus dicere. n. 1. & 2.
2. Exempla. n. 3. & seqq.
3. Præmium Principis munus est. n. 7.
4. Assessores oportet adhibere. n. 8.
5. Objectiones. n. 9. & seqq.

**L**oquetur potissimum in hoc §. Lipsius. ex quo Q. 1. An deceat, aut expediat ipsum Principem Jus dicere? &c. Lipsius *monit. Polit. Lib. 2. cap. 9.* decet, expedit, debet. *Decet*: quia non alia res imperium magis ostendit, quam hæc in bona, vitamque subditorum potestas. *Expedit*: quia sæpè contra potentes causæ aguntur, nec minores illi, aut delegati Judices satis in eos aut oris, aut roboris habent; severior igitur ita, sed brevior Justitia, & tricis remotis Princeps decidit. *Debet*: quia prima Institutio Regum, & Principum ab hoc sine fluit, Leges, & Jura in eorum manu cum Sceptro Deus posuit. Si non alius hac in re fructus, quantus ille esset? coercere hoc modo Judices, & vigilantes, attentosque reddere, cum Principem cogitarent Judicij Judicem, & fortè vindicem mox futurum.

II. Concludit dein, & moderatur, Principem decorè, & utiliter Jus dicturum, sed aliquandò; id est, vel certis temporibus, ut id sciri possit: vel in causis gravibus; vel denique contra potentes aliquos, & partibus graves; adducitque Legem Caroli Magni, quæ extat: *Hoc missi nostri notum faciant Comi-*

*zibus, & Populo, quòd nos in omni Hebdomada unum diem ad causas audiendas sedere volumus.*

III. Augustus Cæsar Jus assidue dixit, & in noctem non nunquam; quòd si inferior non nunquam esset, & à corpore minus valeret; lecticâ pro tribunali positâ, & in ea recumbens, vel etiam domi Jus reddebat.

IV. Philippus Macedo, de communi tunc more crebrò Jus dixit: sed cum fortè in via, & aliò festinantem mulier de re sua appellasset, negavit, *sibi vacare*, tum illa audacter: *noli igitur regnare*, quasi admonens, sive exprobrans, Regium hoc ita munus esse, ut sine eo legitimus Rex non esset. Admisit, & mulierculam statim audivit.

V. Aliter demetrius Poliorcetes in eadem Macedonia Rex; qui per proterviam illulit etiam supplicibus, nam cum Libellos ad euntium benigne in via accepisset, quasi lecturus; mox cum ad pontem Axij fluminis venisset, excusso chlamydis sinu omnes in subjectam aquam injecit, non impune; nam Macedones, qui *talem Philippum suum* non viderant, sive audierant, mox spreto illo ad Byrrhum transferunt, & Justitiæ desertorem deseruerunt.

VI. Vicinius Exemplum ministrat Carolus Octavus in Gallia Patrum ævo Rex, sub finem vitæ rebus jam attentior, omnibus septimanis binos dies destinavit Juri publico reddendo; idque aditu tam libero, ut nemo vel è sæce plebis regio conspectu, & affatu arderetur. hæc Lipsius: in cujus Apophthegmata, & Contzenius *Lib. 5. Polit. cap. 29.* graditur, ubi: Jurisprudentiæ, inquit, dare operam Principes, & Optimates, Nobiles convenerunt,

nit, imò necessarium est. Eccur? quemadmodum sine legibus non potest esse Respublica, ita nec sine anima legum, hoc est vero sensu, usque legum, qui potius Iustitiæ, & æquitatis index est, & custos, quam verba Legislatoris; at sensum tenere ipsos Optimatès, & Principes oportet. *πᾶσα πόλις ἀπολαί, ἀν γένοιτο, ἐν ἡ δικαιοσύνη καὶ δικαιοσύνη κατὰ τὸν τρόπον; ὅτις civitas desinit esse civitas, in qua iudicialia non sunt recto ordine constituta; non possunt verò rectè constitui, si modum eorum Principes ignorent.*

VII. Primum Principis munus est Jus dicere; & idè Jurisprudencia vocatur *ἐπιστήμη βασιλική καὶ τῶν βασιλέων*, scientia regia, & Regum; quia Regibus digna, & Regibus necessaria, quam ob causam quibusdam in Universitatibus in solennibus actibus Doctores Juris *purpureis insignibus*, qui color Regius est, uti videmus. ita Contzenius; addit dein Romulum, & ceteros Reges, qui olim leges sanxerunt, & controversias finierunt. Ad Miraculum verò usque, inquit, causas cognovit Vespasianus, qui Legationes, quæ plerumque erant oppressorum, audiebat cubans, & cum alvus solveretur, dum nititur, & consurgit; extinctus est.

VIII. Sed & Adfessores oportet adhiberi, cum contingat perplexè, ut res subtilis, aut in legum ambiguitate sit; id quod plerique Romani Principes, aut Provinciarum Præsides fecerunt. 1. Alexander Severus negotia, & causas prius à scriniorum Principibus & doctissimis Jctis, ac sibi fidelibus, quorum Primus tunc Ulpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita ad se referri præcepit: & sic providè Jus ipse dixit, sed inquisitum prius, & evolutum.

IX. Haud tamen pauca suppetunt, quæ Opinioni hætemens assertæ opponuntur. 1. Da imperitum Principem, qui par erit gravissimis causis dijudicandis? qui non faciat recta curva? 2. Quid, si in sermone, in gestu, in decorum quid præferat Princeps? an sese risui exponat? 3. Crebra hæc Ostentatio sui, & locutio in Populo, nonne vulgat Principem, & detrahit Majestati? 4. Vel severè judicabit, & odium pariet: vel remissè, & Jus violabit; meliùs igitur res asperas in alios reijcit. 5. Sunt nunc curiæ majores, minores, & cuique rei constituta Judicia; quid Principem in novas curas arcessimus, variè, & affatim distractum?

X. videt Lipsius, qui hæc objicit, ad 1. in

aperto remedium est, dentur tali Principi Adfessores, comitentur illum ad Judicia, nec auxiliij solùm causâ, sed & decoris.

XI. Ad 2. Si alicubi loqui eum deceat, hic vel maximè in re severa, gravi, paucorum verborum, etsi talia Exempla rara sint.

XII. Ad 3. Si hic se vulgat Princeps, id fit ea in re, quæ per se talis est, ut reverentiam sui gignat, vel terrorem; videmus in cottidianis istis Judiciis, quam plebecula eos veneretur, & timeat, etiam illa innoxia, & cui nihil cum iis negotij est, aut fuit: benè à Deo ita facti sumus vereri hoc Numen, & nomen ipsum Iustitiæ, & quicumque ei administrant; quantò magis in Principe? Ipse Salomon, quò nullus Principum in orbe sapientior fuit, an non ipse suis Jus dicebat, etiam meretriculis? quæ res adèd auctoritati ejus nihil detraxit, ut potius multum estimationis addiderit; *nam audivit omnis Israël iudicium, quòd judicasset Rex, & simulorum Regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium 3. R. 3. 28.* Id quod contigit eo tempore, cum jam in Rempublicam Hebræorum Regia dignitas, & Majestas esset introducta.

XIII. Ad 4. Oportet ire intra metas Iustitiæ, nec ad extrema deflectere, aut per excessum ad nimiam severitatem, aut ad nimiam remissionem declinando: hoc si fiat, quantum alter læditur, tantum alter juvatur, ergò ab illo odium ab hoc gratia paria sunt; deinde ab acerba sectione, aut multione, quam Princeps, ceu Medicus administrando Iustitiam facit in membris, salus pendet corporis Politici, & quis id vel è plebenescit? quis nisi intransversum a Cus malevolentia (qui non curandus) improbabit salubre Reipublicæ vulnus? tandem sanè acerbus tractandi modus plus offendit, quam Iustitia syncerè, & simpliciter administrata. Quin tantum abest, ut in odium incurrat Princeps causas dijudicans, ut nihil magis conciliet subditorum in Principes benevolentiam, quam si eos ipse audiat per sese, nam & communicatio illa per se jucunda est, & sic intelligunt subditi, non contemni se, quò nihil ægrius ferunt; faciliùs enim, & animo æquiore à Principe auditi causâ cadent, quam si salvis rebus suis ad ejus conspectum non admittantur, & si audiri postulent: submoveantur. Hinc benè ominatur Salomon in proverbij Principibus, qui pauperum etiam causas judicant: *Rex, qui iudicat in veritate pauperes, thronus ejus in æter-*

num firmabitur. Proverb. 29. 14. uti bene argumentatur Stephan. Menochius.

XIV. Ad 5. Intuò, & periculosè tribuna-  
lia committuntur, & relinquuntur solis Con-  
filiarijs, & Officialibus, nisi sedulo, ac di-  
ligenter attendat Princeps, & frequenter ad  
ea descendat: favore, pecunia, odio plu-  
rima transiguntur, & Principis ignorantia  
cedet in lucrum hominum rapacium, quod  
maximè contingere primum est, si princeps  
longius abest, aut omnem curam Justitiæ in  
eos rejicit, quibus fides; sicut autem nec Prin-  
ceps securus esse potest, cujus negligentia a-  
lij peccant, ita maximè frenum iniquorum  
est Judicium Princeps prudens, doctus, sedu-  
lus: centum opus est oculis, aut, si fieri possit,  
ut Argus sit Princeps, hoc est, totus oculus,  
quibus fraudes cernat, visasque puniat.

XV. Ex his infert Contzenius, Principem  
Juris, æquitarisque peritum esse oportere, &  
post Principem Comites, Barones, Nobiles;  
quod facile consequetur Princeps providus,  
si ad Magistratus & Officia Reipublicæ pro-  
moveat neminem nisi bene peritum.

## S. II.

### De Administris constituendis in Officijs Reipublicæ.

1. Ad quæ attendere oporteat, in constituendo Offi-  
ciales Reipublicæ. n. 2. & seqq.
2. Qua ratione Princeps viros probos, & expertos  
consequi possit? n. 6. & seqq.
3. Quid sit acceptio persanarum? n. 10.

**L** Cùm ipse Princeps per se non possit om-  
nia obire Reipublicæ munera, præci-  
puum ejus munus est curare, ut quàm maxi-  
mè idoneos Magistratus, Officiales, & Mi-  
nistros habeat, per quos Reipublicam re-  
gat. Cardo hinc est, in quo tota Reipublicæ  
salus vertitur; equidem quemadmodum a-  
nima corpus regere haud potest per malè af-  
fecta membra, sed cuncta suis Officijs bene  
aptata sint, oportet, ut sua constet corpori  
sanitas, rectaque gubernatio ab anima, ita  
Princeps Reipublicam ritè administrare  
haud poterit per Magistratus, Officiales, &  
Ministros malè Officijs suis aptatos, & quidem  
eò magis in Principe id locum habet, qui non  
in omnibus negotijs seu belli, seu pacis, non  
in omnibus causarum dicasterijs præfens esse  
potest, perinde ac anima omnibus membris  
tota in quolibet adest: parùm est caput esse

sanum, si reliqua membra langueant, parùm  
est Principem esse bonum, si ejus Ministri  
sint mali: certum est regnantium axioma,  
*meliores esse Reipublicam, in qua malus est Prin-  
ceps, quàm ea, in qua amici Principis, Magist-  
ratusque, qui in parte Reipublicam gerunt, mali  
sunt, hinc*

II. Q. 1. Ad quæ attendere oporteat Rei-  
publicæ gubernatorem in constituendo sibi  
Administros, & Magistratus ad munia Rei-  
publicæ? R. 1. Attendendum est, ut pro-  
moveantur viri gnavi, strenui, quos vitæ pro-  
bitas, & rerum publicarum experientia com-  
mendaverit, qui boni publici amantes, pub-  
licisque commodis malint servire, quàm  
proprijs, & quod caput est, qui *fidelem Prin-  
cipi operam narent.*

III. Suspectum Principi id hominum ge-  
nus esse cupit Stephanus Menochius *Hieropolis.*  
*L. 3. cap. 3.*, qui, cùm se offert aliqua occasio  
Magistratus alicujus, aut præfecturæ, quam  
cuiquam à Principe demandatum iri odorati  
sunt, non tantùm suam deferunt operam,  
dicentes cum Propheta, *sed Spiritu longè di-  
verso: Ecce ego, mitte me;* sed eos omnes ad-  
hibent, quos apud Principem gratiosos esse  
arbitrantur, commendatitias etiam à Prin-  
cipibus literas aucupantur, omnemque la-  
pidem movent, ut ad honorificum illud, aut  
quæstuosum munus, quod optaverunt, aspi-  
rare possint; qui, si non aliud, certè ambiciosi  
sunt, atque propterea longè minùs ad hæc  
munera idonei, quàm ij, qui illud agunt, ut  
se potiùs Magistratu dignos exhibeant, quàm  
importunè à Principe extorqueant.

IV. Quòd si tanta animi moderatione  
præditum quempiam nactus fuerit Princeps,  
qui honestiora illa munera deprecetur, faga-  
tæque cum honore etiam ònus, & pericu-  
lum amoliri, ut quondam Moyse, qui po-  
puli ducatum deprecatus est, linguæ tardi-  
tatem causatus: *Exod. 4. 10. & 13. non sum elo-  
quens ab heri, & nudius tertius, mitte, quem  
missurus es;* hunc sciât cæteris omnibus magis  
idoneum, sed rara avis in terris hæc modè-  
ratio, & miraculo similis paucorum quorundam  
despicientia, qui oblatos honorum gra-  
dus, sacerdotiorum infulas, regni diademata  
aliquando repudiârunt.

V. Cedro digna vox, quam, ut percipio,  
Augustissimus gloriosissimæ memoriæ Impera-  
tor Leopoldus edidit: insinuaverat sese Ec-  
clesiasticus non nemo, & obtulerat obsequia  
sua Ecclesiastica in aula obeunda; reposuit

fapientiffimus Monarcha: qui preſant noſtram auiam, non conveniunt noſtra aula.

VI. Q. 2. Qua ratione conſequi poſſit Princeps ejuſmodi viros ſtrenuos, probos, & expertos? R. Id conſequetur, ſi ad tria attendat: 1. Ut ſynceram informationem habeat de ingenijs, moribus, literatura eorum, qui ſunt promovendi, nec cuihbet commendatori credat, præfertim hiſtemporibus, ubi plena affectuum ſiniftrorū ſunt omnia; nam in hoc maximè proclive eſt impingere in demandandis Magiſtratus, ſi promovendorum ingenia, morèſque perſpecti non ſint.

VII. Principem S. R. Imperij Eccleſiaſticum novimus, de quo traditum eſt illud laudatiſſimum, quòd ſingulos ſuæ Diæceſeos Clericos deſcriptos haberet cum adjecta brevi nota diſtinctionis, qua dignitate quiſque alios ſuperaret, aut ab ijs ſuperaretur, quâ morum, quâ literarum præditus eſſet prærogativâ, an ſummâ, mediocri, vel infra; ad eum modum, quo in literarum ludis diſtinctionū notas diſcipulis largiri ſolent Gymnaſiarchæ; Ex quo conſequēbatur, ut facile eos ad beneficia Eccleſiaſtica ſeligeret, qui digniores eſſent; Exemplum, quod ſanè Exemplo eſſe poſſit, ut ejuſmodi ſelectus ſaltem inter eos, qui ad majora Officia aſpirant, haberetur.

VIII. 2. Ut depoſito ſequiore, aut impertinente animi affectu, Reipublicæ duntaxat commodò ob oculos poſitò, ijs apud ſe deſtinet præfecturas, & Magiſtratus, quos ad veram laudem per ſolitam virtutem, & probata aliqua experimenta erectos comperit, abſque acceptione perſonarum.

IX. 3. Ut illos maximè, qui ſuam induſtriam, & virtutem in minoribus Magiſtratus Principi egregiè probaverint, ſenſim, & per gradus ad majores attollat; ſic enim illorum geſtarum præmium aliquod conſecuti animos erigunt, & ad rem in poſterum optimè gerendam redduntur alacriores, & in campum ampliorem educti clariora exhibent ſuæ documenta virtutis; nihil autem ita opponitur rectæ munerum diſtinctioni, & bono publico, quàm *acceptio perſonarum*, de qua.

X. Q. 3. Quid ſit acceptio perſonarum? Reſpond. eam Leſſius more ſuo inſigniter proponit *Lib. 2. cap. 32. dubit. 1. & 2.* acceptio perſonarum græcè, *προσωποληψία*, dicta eſt, quando in aliqua diſtinctione maximè bonorum communium, ut ſunt officia Reipublicæ, non reſpicitur *cauſa*, cur fiat, ſed tantum

perſona, cui ſit; id eſt, ſi tantum attenditur aliqua perſonæ conditio nihil faciens ad præſentem diſtinctionem, ob quam is, qui minùs dignus eſt, præfertur digniori. e.g. ſi quis non ob morum probitatem, & Rerum peritiam, ſed præciſè ob nobilitatem, aut ob amicorū potentiam, aut ob Gynæcei preces in Judicè aut Conſiliarium aſſumatur, omiſſis viris, & morum probitate, & rerum experienciâ præſtantibus.

### §. III.

#### De Senatoribus.

1. *Fulcrum Reipublicæ ſapiens ſenatus. n. 1.*
2. *Hinc ut ſtes ſua auctoritas, removendi indiguit. n. 2.*
3. *Exempla. n. 3. & ſeqq.*
4. *Dotæ boni Senatoris. n. 7. & ſeqq.*
5. *Naufragium arcanorum ſerminæ. n. 9.*
6. *Lepidum Exemplum. n. 10.*
7. *Homines paſſionibus obnoxij mali ſunt Conſiliarij, licet acri poſſeant ingenio. n. 12.*
8. *Finis Senatorum bonorum Publicum eſt. n. 13.*
9. *Monita, quæ ſibi cordi habere debet Conſiliarius, ut ſuo Principi, & Reipublicæ proſit. n. 19.*
10. *Non expedit habere numerofum Senatum. n. 20.*

I. **M**aximum Reipublicæ fulcrum probus, & ſapiens ſenatus eſt. Bono Conſilio nihil tutius, quod Græcus canit.

*βελῆς γὰρ ὁρθῆς ἰδὲν ἀσφαλῆς ἔσται.*

Hinc ſumma fuit in Republicâ Romanâ Auctoritas Senatûs: cujus Authoritas quamdiu beneficit, beneficit Imperium.

II. Ut autem Majestatem ſuam, & utilitatem retineat Senatus, ſive Conſilium, cura adhibenda eſt, ne indigni ſe intrudant, quare pernicioſius eſſe Reipublicæ nil poteſt.

III. Olim nomina indignorum albo eradebantur, & quando à Cenſore præteribantur, moveri Senatu dicebantur; & quia Priſcis illis temporibus magna erat ſeveritas circa Senatores, qua facile Senatu movebantur, hinc factum, ut magna in Senatoribus virtus eſſet.

IV. M. Porcius Cato L. Flaminium è numero Senatorum ſuſtulit; quia in Provincia quendam damnatum ſecuri percufferat, tempore ſupplicij ad arbitrium, & ſpectaculum Mulierculæ, cujus amore tenebatur, electo.

V. Adhuc ſevior Fabricius Luſcinus Cenſor cujus cenſurâ Cornelium Ruſinum, duobus conſulatibus, & dictaturâ ſpecioſiſſimè functum, quòd decem pondo vaſa argentea com-

parasset; perinde ac malo Exemplo luxuriosum in ordine senatorio non retinuit.

VI. M. Antonius, & L. Flaccus Censores Duronium Senatu moverunt, quod Legem de coercendis conviviorum sumptibus latam tribunus plebis abrogaverat. *Contzen. l. 7. cap. 13.* consideremus nostra tempora, quantum à Prisca illa sinceritate recessum, quantos censura hinc inde senatu excuteret, si eos excuteret, quos *περωπολησία*, amicorum, sanguinis favor, aut Patroni auro quæsi ad subdellia exivit, quorum Consilium aliorum Consilij annuere. In quadam libera Urbe Imperij, cum adeo augetentur Juvenes in Senatu, ut potio rem partem, à qua sit denominatio, efficerent, in proverbium abiit Jocus, quo Senatus ille dicebatur *Das Jüngste Gericht/ Judicium novissimum.*

VII. Q. 1. Quales dotes desiderentur in bono Senatore, & Consiliario? R. Sequentes I. *dos, etas.* Nam senes aptiores consilij sunt, qui experienciâ valent, quam Juvenes, quibus sanguis in venis bullit, & robore, ac impetu pollent:

*A Senibus women mite Senatus habet.*

Consiliis adhiberi Juvenes, ut audiant, de iis disputent, excutiant &c. consultum; ut ipsi consilia dent, & decernant, nequaquam narrat S. Regum Historia *Lib. 3. cap. 12.* de Roboram, quod spreto consilio seniorum, securus consilium Juvenum, & populo petenti levare Jugum, quo premebatur, Responderit: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego vos cadam Scorpionibus.* quo eventu? ut Aduram, quem ad colligenda tributa miserat, lapidaverit Populus, & omnis Israël ab eo defecerit, Jeroboam Regem constituerit, præter unam tribum Juda.

VIII. 2. *dos, Silentium secretorum.* Fidelitas petit, ut arcana suæ fidei commissa, quasi depositum pretiosissimum sui Principis in intimo cordis recondat, resque auditas ad eod silentiò promat, ut non modò rem ipsam non eloquatur, sed ne signis quidem, aut indicij præbeat occasionem suspicandi iis, qui sagaciter omnia odorantur, per famulos, filios, foeminas omnia expiscantur, ut ad consiliorum cubilia penetrare possint. Proditur à suis consiliariis Princeps, & Respublica, cujus consilia nuntiantur, quæ per hoc irrita redduntur, aut noxia, dum hostis ea præsciens illis contra Principem abutitur. David *2. Reg. 15. 34.* Cum fugâ se subduceret, ne in Absalonis filij manus veniret, obvium habuit Chusai Architen veterem, fidumque consiliarium su-

um, qui volebat Regem sequi; at non permisit id Rex, sed iussit sequi Absalonem, & ejus consilia explorare, sibi que, & suis aperire, ut ea prævenire, & eludere possit. dictum, factum, successit feliciter.

IX. Naufragium arcanorum sunt foeminae, quæ sicut curiosæ sunt, & sciendi arcana cupidissimæ, ita (sexus imbecillitas est) si semel arcana sciverint, similes esse solent dolio multis rimis fatiscenti; quod ea, quæ infunduntur, continere non potest. Verumque est, quod Poëta canit:

*Varium, & mutabile semper, femina.*

Jactantem nonneminem audiavi Politicum, qui arcana aularum velit expiscari, eum oportere accedere societates illas (quæ vulgò *Compagnia* vocantur) ubi diversionis gratiâ nobiles statis horis vesperi, aut noctu convenire solent, seque blanditiis insinuare in cuiusdam altioris notæ mulieris amores, sicque haud difficile fore ad arcanissimorum secretorum notitiam pertingere, modò scite noverit dissimulare. Quod, an verum sit, haud scio, alicubi ita evenisse credidi, exemplo introductus Dalila, quæ ex Samlone mysterium fortitudinis elicit, eumque Philistæis prodidit.

X. Lepidum est, quod de Papyrio Romano puero memorant: solebant Romani Senatores (tenacissimi silentij de rebus in Senatu decretis) filios secum in curiam ducere, ut eos in Senatores formarent. Curiosa Papyrij mater ex puero domum reduce expiscari conatur, in Senatu actum quid esset? responderit filius, se teneri rem silentiò involvere, cumque matrem magis magisque instantem repellere sagax puer haud diutius veritate posset, mendacium excogitat, atque, deliberatum esse, expediatne Reipublicæ magis, ut maritus duas uxores, an verò, ut uxor duos maritos haberet. Vix altera dies illuxerat, fit rumor inter foeminas, accurrunt acervatim ad curiam, clamant, rogitant, dignaretur ordinate Senatus, ut etiam una uxor plures habere queat maritos. admirante senatu, quid hoc rei esset, surgit Papyrius, remque ex ordine exponit: inde conclusum, ut nullus posthac parvulus in curiam admitteretur unò exceptò Papyriò, cui sua hoc privilegium taciturnitas concessit.

XI. Sed & in multitudine rarum silentiù; idè sunt, qui paucis utuntur consiliariis. Remedium est, ut, quid faciendum sit, judicent multi, quid facturus sit Princeps, pauci sciant, & aliquando præter Principem nullus.



XII. 3. *dos, quæ prima esse debuerat, vita, morumque probitas*: Quæ qui destitutus est, malus is Senator est, atque ad consilia minus aptus, quantumvis acri aliàs polleat ad iudicandum ingenio, neque in Senatore verum est, quod Martialis de milite canit:

*Miles es, & malus es, bonus es tamen Attale Miles;*

*Miles enim ut canis est, qui malus, ille bonus.* Ratio est: quia homines perversi passionibus aguntur, quibus obfuscatum syncerum iudicium, neque Justitiam pensi habent, neque bonum publicum; sed tectis consiliis grassantur, se, suas voluptates, & commoda occultis technis quærentes; unde his non potest fidi; quid fidei, & synceritatis sperandum ab eo, in cuius corde prædominantur voluptates, libidines, avaritia, cupiditates, odia, invidia, iræ, livores, pessimorum sanè consiliorum Auctores: unde fit, ut talium hominum consiliis se nunquam princeps concedere possit, sed semper in metu esse debeat, ne affulgentibus aliunde magnis commodis, & promissis, passione in transversum acti ipsam prodant: neque ejusmodi astutorum, & perversorum hominum subdola consilia sortiuntur eum Effectum, quem ipsi desiderant impediendo divinam Providentiam, ne, quod iniquè destinatum est, ad effectum pertingat, nam (ut ait Psalmographus Princeps Psal. 32. 10.) *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia* (à perversis ministris perversè suggesta) *Principum*: quot consilia Saulis contra Davidem machinata irrita cecidere? *Reg. 18. 19. & 23.* sed & in ipsorum Auctorum perniciem revertuntur perversorum perversa consilia, quæ illi in aliorum capita cudebant ad eos decipiendos: neque est inventus hactenus, cui mala consilia non malum exitum dederint, quamvis ad tempus fortè aliquid ex his felicitatis arriserit nonnullis. Mater Neronis causa tot flagitiorum, & ipsa tandem luere debuit vocem suam crudelem: *perimat, modo imperet, ad Extremum à sævitia suimet filij occisa.* *Qui foveam fodit, inquit sapientissimus Salomon, Eccles. 27. 28. incidit in eam &c. facienti nequissimum consilium super ipsum devolvetur, & non agnosces unde adveniat illi.* Et David *1 Sal. 7. 15. Incidit in foveam, quam fecit, convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* quibus accinit Græcè Poëta:

*ἔσι κακῆ Βυλῆ τῷ Βυλεύσαντι κακίῃ.*  
Consilium malum Consultori pessimum

XIII. 4. *dos est Cura boni publici*, quæ primarius Senatorum est finis, in quem omnes suas actiones, omnem industriam intendere, & in quem unice respicere debent, non ad privata commoda. Non est autem periculiosior, & perniciosior scopulus, ad quem Justitia, & salus Reipublicæ naufragantur, quàm avaritia, & divitiarum immodica cupiditas: *Radix omnium malorum. 1. Timoth. 6.* quæ, si in corde dominetur, omnia consilia ad se trahet, ad sua commoda diriget, oculos Consultoris avertet à scopo boni publici, & ad fulgorem auri convertet, suum emolumentum intuebitur, Justitiam, honestatem negliget: *nam quo non mortalia pectora cogit auri sacri fames?*

XIV. Quare in assumendis consiliariis cautè prospiciet Princeps, ne ejusmodi venalem hominem inter suos Senatores adlegat, qui specie boni publici privata compendia sectetur; ad quod Juvabit explorare prius, an is aliqua necessitate prematur? an alicui alteri Principi æmulo sit obstrictus ob feudum, vel alias possessiones in eorum territoriis sitas? an ab illo honoribus, muneribus augeatur, in quibus hominibus (nisi virtus, probitasque vitæ compenset suspicionem) periculum esse solet, ne in suis consiliis dandis utilitatem externi illius Principis, cui favent, intendant potius, quàm utilitatem sui Principis, cui à consiliis sunt. Quantum autem astutus ejusmodi consiliator sub schemate, quasi suo Principi utile daret consilium, subinde in favorem alterius possit, habetur illustre exemplum *2. Reg. 17.* in Chusai, qui transfugam Davidis se simulans, Absalonem secutus in consiliarium ab eo assumptus est, & interim Davidi favebat, omniaque consilia Absalonis disturbabat.

XV. Considerare oportet, ex unica resolutione, quæ se in conclavi ad consilia suorum consiliariorum resolvit Princeps, pendere sæpe integrorum Regnorum salutem, aut interitum, bellum, aut pacem, & quæ ex hisce confectanea sunt. tanti refert, audire bona consilia, eaque sequi!

XVI. 5. *dos, liberè sententiam dicat.* Nec tamen suæ sententiæ nimium contumaciter adhareat. Difficilis hæc dos est, & virum cordatum requirit; ea est enim conditio veritatis, ut odium pariat; germani in proverbio dicunt: *Es hat schon mancher die Wahrheit aufgegeiget / man hat ihm die Geigen am Kopf zerschlagen.* vulgi est adagium, sed verum: Blandimenta amat natura hominum, haustò à Protoparente serpentis ictu venendò; dicit

dicat veritas rem sicut est, ejusque sermo est: non, non, aut est, est; si istud non, vel istud est blandum non est, invidiosum est; duræ particulae apud imbecilles, qui minimam Principis offensionem plus reformidant, quam suammet conscientiam; ac propterea dum consilium petitur, prima cura est multis, non ut, quod dicendum, dicant, sed quod placet.

XVII. Sed & Principi salubrius consilium haud est, quam ut nanciscendæ veritatis cupidus, liberam consiliariis relinquat sentiendi facultatem, nisi velit veritatis, quæ consiliorum scopus est, subire jacturam: non ea consilia sunt optima, quæ jucundissima, sed quæ vera, & salutaria. Procul removendi assentatores, qui vitia Principis adulatione alunt: medicum, si semel venenum miscuit, semper averfamur; sic Consiliarius, qui semel vitia laudavit, vel virtutes nimium adulando extulit, ad secundum consilium non admittatur: *Cantem*, duas res Fredericus optabat in consilio dando abesse, *simulationem, & dissimulationem*; ex quo liquet, Politicos, quorum prima regula: *simula, dissimula, si vis politicus esse*, Consiliis non quadrare: procul à consiliis relegandi, qui verba accommodant fortunæ, & ambiguitate involvunt, ut, quidquid evenerit, recte dixisse videantur.

XVIII. Præterea Consiliarius, ut suo Principi profit, hæc monita sibi cordi habeat. 1. Consilia det opportuna; post cladem dare consilium, qua vitari potuisset, est stabulum claudere, postquam fur abegit pecus, seu ut Germani loquuntur: *den Stall zuthun / nachdem die Ruhe darauß gestolen ist*. Consiliarij est *prævenire consilio*, non *sequi*, & quibus modis mala imminencia cavenda sint, prænuntiare. Perseus in fuga consiliarium serò dantem consilia confodit. 2. *In causis odiosis non se subducatur*; quia in iis rara esse solent sincera consilia; cum passim Politici, qui solum placebo Principi cantant, in odiosis se subducere soleant. 3. *Præcipitationem caveat; celeritatem tunc solum adhibeat, cum periculum est in mora*. Præcipitatio imprudentiæ est filia, quod impetu agitur, rarò invalescit; diu deliberandum, id verò, quod maturè semel discussum est, celeriter, & efficaciter executioni dandum:

*Quidquid agis, prudenter agas, & respice finem*. 4. *Mutare consilium sumum, si aliud melius conspiciat, ne erubescat*; non indecora est mutatio, quæ in Reipublicæ, & Principis utilitatem cedit; homines sumus mutabilitati obnoxij

omnes, solus Deus immutabilis est; ideo plures consilio admoventur; quòd non facile omnes circumstantias perspiciat unus. 5. In periculis sit fidelis, & maximè sollicitus, ultrò se ingerat, moneat, urgeat, pro salute Reipublicæ (servatâ debitâ reverentiâ) molestus sit. 6. Extra consistorium sua, quæ concepit, consilia non effundat in quoslibet temerè in conviviis, in societatibus (compagnias vocant) in circulis, de iis ne disputet, sed rem secum bene discussam in legitimo Senatu, aut etiam solus Principi proponat fideliter. 7. Caveat consilia nimis audacia, quæ mutantibus rebus, quam servandis aptiora sunt; tutius cautò, quam audaci consiliariò Princeps utitur.

XIX. Q. 2. Expediatne numerosum habere Senatum? R. Præstat habere pauciores qualitatibus prædictis præditos, & laboribus occupatos consiliarios; turba autem in Senatibus vitanda; 1. Quia vix fieri potest, quin inter multos etiam indigni irrepant, à quibus metuendum, ne suffragiis suis numerum suffragiorum augeant illius partis, quæ minus proficua forsitan dedit consilia. Magnus quidam vir Priori sæculo ab A catholicis ad fidem Catholicam transgressus cum consiliis à Principe Catholico alicubi præficeretur, & magnò officio conspicuus esset, videns, in Senatu sedere multos rerum haud satis gnaros, sapias auditus est dicere: *non secundum majora, sed secundum saniora procedamus*. 2. Ubi multi sunt numero, solent quoque esse, qui curas, & labores in juniores, & rerum adhuc haud satis Expertos prærogativâ ætatis, aut dignitatis rejiciant, & hi, dum & ipsi postea inter seniores evaserunt, ac majorem rerum Experientiam nacti sunt, rursus in incipientes, & juniores, per quos tanquam per velites, serè expedientur causæ, dum triarii spectandò quiescunt, aut aliis diversionibus vacant. Optima Consilia ab iis Senatibus leguntur, in quibus illi duntaxat Senatores manum admovent, qui continuis laboribus Reipublicæ distenti, occupati, & exerciti sunt: cum Romanum Imperium latissimè pateret sub Augusto, mille Senatores nimia turba censebatur ut Conzenius *Lib. 7. cap. 13. §. 4.* loquitur: 3. Quia in multitudine ansa datur prævaricationibus; præsertim, si luxui, & splendori modus non sit præscriptus; quia periculum est, ne quidam, dum salarium, & proprium peculium non sufficit, ut se, & familiam suam aliorum splendori conforment, per munera,

aut alias artes quærant se iis æquales circumferre: erubescunt enim videri pompâ inferiores iis, quibus officio æquales sunt. Memini me audire in aliqua civitate senes cives conquerentes, quòd olim, cùm pauci (sex circiter nominabant) in dicasterio sederent, & quatuor duntaxat in Rhedis, & bijugis veherentur, longè expeditius jus fuerit dictum, & causæ adjudicatæ, quàm eo tempore (ante paucos annos loquebantur) cùm ultra viginti jam in Senatu sederent, & bijugis curules circumveherentur. Sed & illud recordor, calculum quempiam de Senatu quodam duxisse, & è numero, qui vicinarium multò superabat, Senatorum haud plures, quàm sex septemve ritè constitutos numerasse; verène, an cum auxesi, haud scio; netiam enim eorum, quos recensèbat, noveram. Locum hic habet proverbium Germanicum: *Bei vil Hirten/ wird übel gehütet. Inter multos custodos malè custoditur pecus.*

## §. IV.

## De Judicibus.

1. Dotes Judicis. n. 1. & seqq.
2. Judici maximè cavenda munera, & amici. n. 3. & seqq.
3. Utrique parti æquales advocatos constituat, & presertim pauperibus prospiciat. n. 9.
4. Judicet secundum Leges, & allegata, ac probata. n. 11.
5. Suppleat ea que Juris sunt, non que facti. n. 15.
6. Sententiam exequatur. n. 12.
7. Judices severè in officio continendi: cuius remedium olim erat severus syndicus. n. 18 & 19.
8. Nimum delicatè, & nimum politicè educati ad Judicia, & Officia Reipublicæ non quadrant. n. 20.

Justitia Judices petit: de his multa dicta jam sunt, & iis ferè ea conveniunt, quæ priore §. insinuata sunt de Consiliariis. Specialia tamen adhuc quædam Reipublicæ salubria addere visum est.

I. Q. I. Quæ dotes in Judice requirantur? In Judice, cui Justitia, quam compagem Reipublicæ diximus, commissa est, hæc speciatim dotes eluceant oportet, ritè ut fungantur officio. 1. *Justitiam apprimè cordis habeat*, in hanc unicè suos defigat obtutus; *animata lex est iudex, mediator est utes dirimens*, & cuique quod suum est, tribuens absque personarum acceptione, semper in æquilibrio stateram teneat, neque hanc quidquam ad se inclinè, nisi Justitia; hanc ceu sponsam dilectissimam, dum officium suscipit, sibi despondeat, & cum

Propheta dicat: *sponsabo te mihi in fide. Olee 2. 20.* huic unicè adhæreat, hanc præ omnibus diligit; *diligite iustitiam, qui iudicatis terram sapiens clamat Sapia 1. pereat mundus, fiat iustitia.* Nunquam huic sũx Sponsæ datæ fidem fallat, hanc rebus omnibus præferat; ne in eorum veniat censum, quos poëta quidam hoc carmine perstringit

Plaudente multi curia  
Se legibus maritant,  
Fidemque jurant ferream,  
Quam dona nulla frangant:

Vix nuptialis pollice  
Est annulus receptus,  
Cùm mox adulter perfidus  
Legum maritus audit.

Wil haben als ihr liebste Braut  
D' Frau Brechtigkeit angenommen  
Versprochen/ ehe umb Haar und Haut  
Als umb die Treu zu kommen;  
Raum hat der schöne Hochzeit-Ring  
Anghebt am Finger z' glanzen/  
Da muß d' Justiz machen krumme Springt  
Mit Schelm und Dieben danken.

II. *Longè à iudice absit omnis inordinatus affectus erga alterutram partem inter litigantes;* qui affectus pestis est iudiciorum, cui si indulgeatur, bilancem iudicij ad se inclinabit, difficile est iudicem in proferenda sententia ita exuere affectum, quo animus ipsius occupatus est, ut non multum propendeat in eam partem, in quam affectus animum obsidens propellit.

III. 3. *Hinc duo maximè iudici cavenda; munera & amici; haud facile dixerim,* inquit Joannes Barclaius in Icon. anim. cap. 15. *utra pernicies Rempublicam peius infestet, cum amicis, aut cum pecunie indulgent iudices: quippe illa sceleritas nihil familiaribus negandi iudicis animum impetrata aperit, per hos flagitiorum gradus ita assuefactum, ut, excusatis specie amicitia sceleribus, postea ubicunque odium, aut spes impulerit, peccare non dubitet, id tandem pro se ausus, quod pro amicis primum indulsit.* Paræmia est; *nescit regnare, qui nihil scit negare.* Quæ veritas in iudicem maximè cadit: *nescit iudicare, qui nihil (cit amicis) negare.* Non Personam hominum respiciat, sed solum Deum, à quo ipse in extremo iudicij decretorij die severè de suo iudicio iudicabitur. Solebant Areopagita Athenienses iudices noctu percipere litigantes, & sententiam ferre, ne litigantium aspectu à Justitiæ tramite averterentur.

IV. Munera acceptare, quæ offeruntur ad captandam benevolentiam, affectumque iudicis

dicis comparandum ( prout amat fieri , nam si Judex is non esset, ipsi non offerrentur) Jure naturali vetitum est; quia acceptatio ejusmodi rectitudini Judiciorum, Justitiæ, & bono comuni præjudicat; est enim humano modo impossibile, quòd Judex, qui accipit magnum donum e. g. vas argenteum, vel aureum, aut pecuniæ summam, ut in prolatione sententiæ non propendat ex affectu multum in favorem donatoris, & maximè proclive est, ut intellectus munere excæcatus trahatur ad hunc affectum in ferendo Judicio, quem voluntas sequitur ob munera: *munera enim excæcans etiã prudentes, & subvertunt verba iustorum. Exodi 23.* Quod maximè cavendum ijs iudicibus, qui minimè cavent, & qui occultum hoc perversionis periculum non advertunt, signum etenim est, jam esse excæcatos.

V. Memini ante aliquot annos me audire cujusdam districtus præfectum perillustrem inter pocula mitis modis dilaudentem humanitatem cujuspiam Judæi, qui non paucos aureos obtulerat ex mera, ut aiebat, humanitate, cum humanissima protestatione, sententiam ut ferat Justam, sive pro se, sive contra se, donis se suis minimè id spectare, conscientiam ut gravet Judex, sed ultro donare. *Credat Judæus Apella.*

VI. Sed demus, subinde aliquem Judicem esse ita rectum, vel, ut Cardin. Lugo loquitur, *justicum*, ut etiam post accepta dona condempnet donantem; certè extraordinarium id est à communiter autem contingentibus judicandum, quæ naturali rectitudini repugnare solent. Ea est humani cordis inclinatio ad munera, ut facile passim sibi Judices persuaderent, se in ferendo Judicio fore immotos, & sine partium studio, licet revera post accepta munera affectu partiali bilancem Justitiæ munera oblata ad se inclinarent.

VII. Hinc Thebani Judicem sine manibus ( quas ad munera extendere solent) pingebant. & in *Psal. 14.* requies in monte sancto decernitur illi, *qui munera super innocentem non accepit.* quòd si sententiam injustam tulerit in favorem partis offerentis munera, tenebitur alteri parti in æstimationem litis, & expensas; si animam suam salvam velit; *non enim dimittetur ei peccatum, donec restituat injustè per suam sententiam ablatum.* Sed & illud injustum, si muneribus motus alteram partem, quæ per causæ decursum probabiliora argumenta produxit, ad compositionem inducat; licet enim ante litem ceptam com-

positio omnino suadenda sit, ne partes in lites incurrant, quæ modernò tempore valde pretiosæ, & diuturnæ esse solent: causâ tamen inchoatâ Judicis officium est, discutere argumenta, & ex horum discussione declarare, quænam partium habeat probabilius Jus. Sed neque accipere quidquam potest, ne causæ executionem differat, sed citò expediat, atque exequatur; ad id enim vi officij sui tenetur, ut expediat, quam primùm potest, atque exequatur; quare si quidpiam acceperit hac ratione restituere tenetur.

VIII. Deplorat & huic abusum multis in tribunalibus vates.

Damnat columbas, noxios  
Dimittit urna corvos,  
Infans Achivus plesteitur,  
Censura vexat Iros.  
Fulvum quicunque laminæ,  
Et aureum coreyma  
Excæcat ipsos Eacos,  
Et dirigit stateram.

So gehts/ groß Hannsen kommen durch/  
Der Baur der muß Haar lassen/  
Nur naquet an dem Hunger/ Zuch/  
Und andre sehen prassen.  
Wann einem Handel fehlt das Gewicht/  
Läßt sich diß leicht ersen/  
Nur tapffer gschmirbt/ ist als schon g'richtel/  
Man wird dich nit verlegen.

In eandem sententiam paucioribus verbis ille cecinit:

*Mutnegra & murva faciunt rectissima curva.*  
Mutnegra per anagramma *argentum*, murva *aurum* sonat.

IX. 4. *Curet, ut, quantum fieri potest, utriusque litigantium parti assignet aequales advocatos*, qui jura partium proponant; ab his enim potissimum causæ pendere solent, & sæpe sequior causa triumphavit sub patrocinio dexterioris advocati, & causa melior patrocinante inferiori ore advocato succubuit; præsertim verò pauperioribus, qui solvendis advocatis non sunt, prospiciat.

X. 5. *Causas citò expediat*: quarum expeditionem, si valde notabiliter differat sine justa causa, peccat mortiferè, & tenetur parti lætæ ad expensas ex dilatione secutas; quia ex officio tenetur celeriter expedire. Hinc illorum conscientia tuta non est, qui sinunt causas accumulatas jacere, & suæ œconomiz se unice ferè impendunt, aut diversionibus, conviviis, societatibus, somno in serum diem protracto interim vacant, quia officium suum, undè salaria habent, negligunt; quæ tamen prima cura esse deberet, & aliis omnibus præfer-

ri; aut, si præter sua negotia domestica, hoc negotium expedire non possit, officium debet deponere; non enim causæ adferuntur ad Judicem, ut in conclavi ejus asserventur, sed ut judicentur.

XI. 6. *Risè judicet secundùm leges, & secundùm allegata, ac probata pro ea parte, cujus rationes, & jura sunt probabiliora;* huic officio, ut satisfaciatur, debet utriusque litigantis argumenta exactè, & profundè scrutari, ac discutere, ut probabilius pro alterutra parte jurecruat; quæ res magni moliminis est, nec levi Brachio expediri potest; deferuntur enim in Judicium causæ valde intricatæ, & sæpe veritas ac falsitas parvò distant intervallo; hinc oportet legum, & Jurium expertissimum esse Judicem, quòd si ex imperitia malè judicet, tenetur parti læsæ ad interesse, & expensas litis. In casu dubio, si utrinque æqualia appareant prorsus jura, ut nec post exactam discussionem jus probabilius pro alterutra parte erui possit, haud crediderim pronuntiare posse pro amico, seu rem adjudicare, cui voluerit, sed dividenda est res, aut, si dividi non possit, unus rem habeat, sed alter compensationem medietatis; cum enim judicis sit duntaxat *declarare*, quisnam probabilius habeat jus, non poterit uni rem totam asserere, si neuter probabilius jus habeat. Neque illorum praxis excusari potest, qui, postquam diu litigatum est, & res exitum spectare videtur compositionem passim inter partes instituunt: quæ quidem ante processum inchoatum, ut diximus, suadenda, processu autem inchoato, & re Judici permissa, is partibus compositionem imperare non potest, si pro una parte probabilius jus eruere potest; quòd si ex allegatis & probatis perspexerit, uni parti jus probabilius esse, & tamen, ut alteri parti faveat, compositionem faciat, injustè agit; quia contra Officium suum agit, quòd est, ut diribitor sit, & declaret sine partium studio, pro qua parte stet probabilius jus: etenim si partes inter se transigere vellent, Judicem cùm diribitorem non accederent. Quare potius in id incumbendum ei est, ut celeriter rem discutiat ad inveniendum, ex qua parte probabilius jus affulgeat, & sententiam ferat, nisi ultrò partes inter se se velint transactionem facere, nec exspectare sententiam.

XII. 7. *Nesit in causa cognitione nimis credulus,* non enim omne, quòd splendet, aurum est, nec statim justum id, quòd ab una parte speciosè proponitur; audiatur æquali aure & altera pars.

XIII. 8. *Non judicet, aut ad juum tribunal trahat exemptos à sua jurisdictione,* non capiat Clericum contra sanctiones Canonicas, nisi, quando periculum in mora est, ad eum finem, ut ipsum suo Judici Ecclesiastico statim listat; sed decenter, & ut statùs clericalis dignitas possit, non per listores, aut apparitores, sed per honestos cives eum ad suum Judicem Ecclesiasticum deduci curet.

XIV. 9. *Non extrahat temerè ab Ecclesia & asylo delinquentes:* Sed si dubium ingruat, num talis gaudeat asylo, nec ne, ad Episcopum rem deferat; is enim cognoscere super hoc puncto debet, & si quidem non fruatur reus asylo, eum Judici sæculari extradere.

XV. 10. *Non nimium crudelis sit in torquendo reos, nec eos torqueat sine sufficientibus indicibus.*

XVI. 11. *Si advertat, unum è litigantibus, vel ejus advocatum aliquid omittere, quò allegatò vinceret, id illi suggerat, & suppleat quoad ea, quæ sunt juris, ea verò, quæ facti sunt, regulariter non supplet, sed à partibus discere debet; nisi ipsi nota sint, quæ iudici, ut, si ex actis pateat aliquod jus competere parti; aut in caulis piis, vel miserabilium personarum, & aliis nonnullis, quas refert Panormit. in c. bona memoria 3. de Postulat. Pralat.*

XVII. 12. *Si Sententiam tulit, eam quoque sine mora exequatur:* Nisi ab ea fuerit appellatum; adeò enim necessaria est executio, ut quemadmodum leges, quæ nullam habent Executionem, nullius in Republica sunt utilitatis, ita nec sententia ullas habeat vires, si careat Executione. *Perez: in cod. de re judicat. n. 1.* frustra enim sententiæ feruntur, si non Executioni mandentur, & similes sunt campanis, quæ pistillis carent. *Imò miserabile, post multa, variæque certamina, cum res fuerit approbata, tunc ex altera parte, qua jam convicta est, moratoris ambagibus spem condemnationis excludi, annotat Zoëf. ad Tit. cod. de Executione rei judicate.* Videatur Gahl. lib. 1. observ. 113. Marant. spec. aure. parte 7. Tit. de Execut. sent. Multa circa hoc lamenta haud rarò variis in locis audiuntur; Executio quòd non sit; sine qua vana sunt omnia Judicia, & tormentis bellicis, pulvere, sed non globò oneratis, similia: tonant, quò effectu? nullo: mœnia haud sternaunt.

XVIII. *Tandem si errorem à se (etsi sine gravi culpa) Commissum in præjudicium litigantium agnoscat iudex, tenetur impedire errorem, si citrà infamiam potest v. g. monendò occultè*

cultè partem læsam, sibi ut per appellationem, vel aliter consulat; quia id pertinet ad debitam muneris sui executionem. Si verò suo defuit Officio, quia aut non satis intellexit, aut non satis rem examinavit, restitutionem faciat ex suo, si errorem emendare, & eum, cui suà culpâ, aut incitiâ nocumento fuit, indemnem asserere aliter jam non possit. Dura hæc: sed justa in eum, qui Justitiam neglexit. Scribimus isthæc, Reipublicæ ut profint. Procul absit, ut Venerabile nomen, & Auctoritatem Magistratuum, academicæ perstringere velimus; stat sua illis laus, quibus immota stat Justitia. Seditiosa vox est, quâ ob unius, alternève, quam commisit, injustitiam, totum Collegium diffamatur, in quo tot alii justii, æquique amantes sedent; sed tamen passim per malevolorum linguas grassatur hæc detractoria vox. Quid? scelera patravit gravissima Judas Iscariotes è collegio Apostolico unus; an propterea totum collegium illud, quò sanctius nullum erat, tu sceleratum proclamabis? in Sacras præcipuè familias Bacchantur hac illatione calumniosæ linguæ: (celus commissum est à religioso quopiam, vel Monacho, & illicò erunt, qui totum illum Religiosorum coetum, quin totum ordinem sceleris infament.

XIX. Q. 2. Qua ratione consequi possit Princeps, bonos ut in sua Republica Judices habeat? R. Id ex priori §. constare potest, ubi dictum, qua ratione boni Consilarii sint acquirendi. Aureum remedium Judices in Officio continendi olim *Syndicatus* erat: Judices in qualicumque dignitate constituti, si functi essent suò Officiò, postquam successor eis datus fuerat, & hic successor ad Provinciæ fines pervenerat, in eadem civitate, cui præfuerant, debebant 30. dies commorari, eoque tempore publicè versari in omnium conspectu, ut omnibus esset facultas talem Judicem conveniendi de culpa, fraudibusque, si quas admisisset, ipsèque rationem redderet; & hoc vulgò *Syndicatum subire*. latine *causam dicere*, & *causæ faciendæ obnoxium esse* nuncupatius *leg. unic. cod. ut omnes iudices*, atque hoc tam Sanctè observari voluit Imperator, ut nullum Rescriptum, nulla etiam necessitas alterius Provinciæ ab ipso Præside gubernandæ, vel alia causa ipsum excusaret; contraveniens verò crimen læsæ Majestatis incurreret, & 30. libris auri plecteretur; & similis poena manebat præsidem novum, qui prædecessorem honestè non retinisset.

XX. Clementia in Principe commendatur; sed hic severitas laudanda, qua in eos ministros animadvertit, qui Justitiæ cum præsent, eam aut violant, aut negligunt; summa clementia in Republicam est severitas hæc, quæ, ne Administratores Justitiæ Officio desint suo, severa est. Nulla virtus Principe dignior, quàm Zelus Justitiæ, cujusmodi Zelaror erat Erkenbaldus de *Burbin* magnus dynasta, ut refert Cæsarius apud Stengelium de *judic. divin. p. 1. cap. 15.* qui æger decumbens, Sororis suæ Filium, unicè sibi charum, ob attentatam oppressionem cujusdam Mulieris, postquam diu in animo ejus amor juvenis, & amor Justitiæ certaverant, suspendiò necari jussit; cùmque Justitiæ Administratores intuitu familiæ Juveni parcerent, & ut conspectui se tantisper subduceret, suaderent; tamen post 5. dies incautus ad Erkenbaldum redit; ille nepotem blandè allocutus ad lectum suum considere jussit, & vincente Zelò Justitiæ amorem erga nepotem, quasi eum amplexurus, altera manu cultrum prehendit, & æger Juvenem jugulat; crudele factum videri poterat; sed Zelus Justitiæ excusabat; nam cum crescente morbo Episcopo accersito confiteretur peccata sua, & hujus occisionis monitus reponeret, se de ea non dolere, quòd non peccasse, sed Zelò Justitiæ gratum, Deo obsequium præstitisse crederet, Episcopus ei Sacrum viaticum negavit; sed divinitus sacrosanctam Eucharistiam accepit, & SS. Hostiam in ipsius ore (è pixide Episcopi per miraculum extractam) omnes adstantes jacentem conspexere, ipsèque summo cum solatio defunctus est.

XXI. Porro duplex hominum genus ferè permixtè ad gubernacula Reipublicæ admovetur: qui nimium *delicatè*, & qui nimium *politè* sunt educati, utriq; ad Reipublicæ gubernationem, & Judicia malè educati. *Delicati*; quia laborum & rerum feriarum gerendarum sunt insueti, Jurium Imperiti; juventutem enim, in qua ad virtutem, & honestatem erudiendi, formandique fuissent, in qua discenda fuissent ea, quibus in matura ætate bono publico succurrant, otio, & deliciis perdidērunt, jactitantes forsan, *habere se sine literis panem, & unde vivant*. Sed non unde Republicam regant, & in dignitatibus sedeant. *Politici* (seu potius *Pseudopolitici*) quia longè aliis exercitationibus sunt instituti, quàm per quas Reipublicæ grandia negotia pertractantur, assueti nugis, & vanitatibus, inassueti rebus gravi-

gravibus gerendis: qui juventam trivère ad-  
discoendis iis rebus, quæ prorsus sunt extra  
Rhombum ad hunc finem, qui est bono pub-  
lico præesse: didicerunt Politiã quamdam  
inanem, concinnitates vanas, ornatum cor-  
poris comptum, gestus peregrinos, artes Sal-  
tandi, equitandi, digladiandi, conversatio-  
nes Politicas, versatiles, queis tempus terant  
ferendo sermones Blandos, curiosos, placen-  
tes; adulationes, quibus se insinuent, & pla-  
ceant magnatibus, per quos ad alta aspirant  
officia, quidquid sit, an ad ea aliunde sint ap-  
ti; linguas peregrinas, vel saltem earum quæ-  
dam fragmenta, quæ inspergant idiomatici  
patrio tantum, ne illud sua sinceritate ma-  
neat, quia peregrina præplacēt. Sed hæc tan-  
dem omnia, in quibus moderno tempore non  
pauci finem sibi primarium constituunt, quid  
ad iudicem, ad Consiliarium, ad Reipublicæ  
Ministrum, quid ad rem, si absit virtus, doc-  
trina, gerendarum rerum peritia, quibus suo  
Principi, & Reipublicæ prosint? Laudan-  
da urbanitas, sed quæ cum literarum, virtu-  
tisque studio conjuncta est, non probanda  
vanitas, cuius gratiã cætera negliguntur.  
Non carpenda ejusmodi Exercitia, quæ non  
sunt mera vanitas; sed aliquam in Repub-  
lica utilitatem habent, ut ars digladiandi,  
equitandi; quia in sago, & in toga condu-  
cunt; studium discoendi linguas exteras, quæ  
ad agendum cum vicinis nationibus tam in  
bellis, quàm in pace, & commerciis aliis sunt

utiles, aliis necessariz: at suam ut laudem fer-  
rant, *media hæc sunt oportet ordinata ad Res-  
publica, & Principis munia ritè obeunda; non  
sint finis, ad quem, neglectis cæteris, studia,  
educationes, institutiones juventutis prima-  
riò, vel unicè ordinentur, sed prima cura eò  
tendat, ut in virtute, morum honestate, lite-  
rarum studiis, rerum experientis ad labores,  
ad Reipublicæ curas, ad iustitiam administran-  
dam instituantur juvenus.* Callet iste linguas  
exteras, bellè saltat, incedit erectò corpore,  
superbit gravi superciliò, gestibusque exoti-  
cis, crispus est crinibùs, aut capillariò, amœ-  
no placet sermone Gynæceo, aliisque; *con-  
cedo antecedens: ergo aptus est ad causas gra-  
vissimas è fundamentis Juris discutiendas, ad  
gravissima Reipublicæ negotia gerenda, &c.  
Nego consequentiam.* At suos habent adjuutores,  
consulentes, referentes, secretarios, aut qui-  
buscunque nominibus compellaveris, homi-  
nes pleumque Doctos, qui causas priùs discu-  
tiant, ad Iustitiæ balancem trutinant, discuf-  
sas, truinatasque suffragiis Senatorum subji-  
ciant. Ita sanè aliquibus in Senatibus. Sed il-  
lud interrogatum velim, quis causam diffi-  
niat: consulensne, an Iudicis Officium ge-  
rens? Si consulens, ad quid Iudex? si Iudex:  
quæ sanum Iudicium feret, & suffragium de re  
relatatanti momenti, nisi rem, vel æquè,  
vel magis penetret, ac is, qui  
recluit?







arg. cap. *Monomachiam*. 2. q. 5. quale fuit certamen Davidis cum Goliath.

Derivatur à Græco verbo μάχουαι, quod pugnare, & nomine μίβος, quod unum; solum significat; unde *Monomachus*, dicitur, qui solus cum solo pugnat. Latinis dicitur *Duellum*, quasi *duorum bellum*. Pro eodem enim accipiuntur *Monomachia*, & *Duellum*: licet subinde apud veteres *Duellum* etiam significaret bellum publicum inter duos justos exercitus gestum, juxta illud *Horatii*:

*Græcia Barbarie lento collisa Duello.*

Et in *L. 12. tab. Perduellionis crimen*, appellatur, cum quidpiam hostile adversus *Repubblicam*, ejusque securitatem gestum est. *Alciat. de Sing. cert. cap. 1.*

Allata definitio uti expedita est, & brevis, ita per eam difficultates, & controversiæ maximè circa prohibitiones, & penas *Monomachia* (de quibus in sequentibus) non satis exhauriuntur. Nam 1. non requirit *Monomachia*, seu *Duellum*, ut absolute utrinque stet tantum *unus* contra *unum*; sed hodie *Monomachia* dici consuevit etiam singulare certamen, in quo ex utraque pugnant plures, e. g. *Duo* contra *Duos*, *Viginti* contra *Viginti*. 2. Requiritur, ut sit susceptum ad *occisionem*, *mutilationem*, & *vulnera*, *statuò loco*, & *tempore*. Quare

II. R. 2. Presè, & accuratius *Monomachia*, seu *Duellum* describitur *Certamen singulare ex privatis causis ab utraque parte deliberatè, & sponte ex condicito susceptum designato tempore, & loco ad occisionem, mutilationem, aut gravia vulnera infligenda*. ita cum *Solomio Bonacina de Censur. disp. 2. q. 6. punct. 2.* *Filliucius Tract. 15. cap. 5. n. 107.* *Thom. Tamburinus Decalog. Lib. 6. cap. 1. §. 3. n. 8. &c.*

Quinque igitur requiruntur ad veram *Monomachiam*. 1. Ut sit certamen singulare ex privata causa. 2. Utrinque spontè susceptum. 3. Ex condicito. 4. Designatò tempore, & loco. 5. Ad inferenda gravia vulnera, aut mortem.

III. Hinc 1. *Monomachia* non est bellum, quia bellum non est *Certamen singulare ex causa privata susceptum*, sed auctoritatè publicà ob bonum publicum. Addit *Bonacina*, quod in bello non servetur *pugna ex condicito*, neque *idem personarum numerus*, ut in *Monomachia*, ubi unus contra unum, duo contra duos, quinque contra quinque pugnare solent. Verùm hæc non constituunt differentiam *substantialem* inter bellum, & *Monomachiam*; cum &

bellum possit *ex condicito* geri certò loco, & tempore; & *Monomachia* institui, ubi tres e. g. pugnent contra *quatuor*; licet ordinariè id fieri non consueverit. 2. *Monomachia* non est, quando *Titius* offert *Cajo* singulare certamen, illumque eodem tempore, quò offert, strictò gladiò aggreditur, at *Cajus* statim cogatur pugnare; quia non est certamen *utrinque sponte, & deliberatè susceptum*; sed potius ex parte *Titij* dicitur *aggressio*, ex parte *Cajij* *defensio*. *Bonacina*. idem est, quando unus accedit (non ex condicito) ad aliquem locum, ibique expectat inimicum, & venientem aggreditur. 3. Neque *Monomachia* sunt illæ *rixæ*, & certamina quotidiana, quæ ex subito iræ fervore, vel ex altercatione nascuntur; quia non sunt *ex condicito*, seu *mutua conventionione* interposito aliquo tempore inter *conventionem*, & *pugnam*, uti ad perfectam *Monomachiam* requiritur. *Filliucius*. Neque etiam satis *deliberata* pro *Monomachia* est talis pugna ex subito calore iræ concitata. 4. Neque *Monomachia* propriè est, quando milites (vel alij) ob privatas inimicitias se invicem invitant ad pugnandum, & statim strictis ensibus alter alterum occidit; quia ad *Monomachiam* requiritur, ut fiat cum prævia assignatione temporis, & determinatione loci. *Bonac.* ita quidem, ut *Copulativè utrumque requiratur*; & si condicatur *locus dumtaxat*, vel *dumtaxat tempus*, non sit *Monomachia strictè dicta*, ut habet *Tamburinus loc. cit.* allegans *Dianam*, & *Hurtadum*. 5. *Monomachia* non sunt concertationes, quæ fiunt inter mulieres cum evulsione capillorum, laceratione vultus unguibus; aut quæ fiunt inter viros pugnis solummodo, aut alio instrumento non periculoso, sine armis ad interficiendum, vel graviter vulnerandum aptis, e. g. *virgâ*, *levi baculo* &c. quia non tendunt ad inferenda gravia vulnera aut mortem. *Filliuc. Tamb.* Ex eadem causa *Torneamenta* (*die Turnier.*) *hastiludia*, *ludi Trojani*, & aliæ concertationes virtutis, aut spectaculi causâ, si non tendunt ad graves vulnerationes, aut mortem inferendam, non sunt propriè *Monomachia* quoad penas in *Monomachos* statutas, licet ab aliquibus ad *Monomachiam* reducantur ob speciem, quam cum ea consimilem habent. Dubium autem oritur, quò

IV. Q. 2. An *Monomachia* sit conflictus in bello inter hostes, quando unus *Dux* mittit *decem milites* in arenam, qui pugnent contra *alios decem milites hostes*? R. det *Bonac.* pro-

proprie non esse Monomachiam, sed partem belli publica auctoritate ob bonum publicum suscepti. Quando liciti sint huiusmodi conflictus militum, dicemus postea, ubi, an, & quousque Duella liceant ex professo discutimus: certe absque justa causa, e. g. tantum ad *offensationem virium*, aut *vanam gloriam* non licet temere vitam paucorum militum, ex quorum morte victoria non pendet, exponere periculo. Bonac.

V. Q. 3. An Monomachia sit, quando duo, exorta in domo, vel Ecclesia rixâ, ex conventionem in viam, vel forum vicinum egrediuntur, ut ibi pugnent? R. sub distinctione; si in domo, vel Ecclesia facta est conventio de *pugnando* antequam pugna coepta sit, Monomachia est, quia est certamen ex condicto; atque intercessit tempus inter conventionem, & pugnam. Si vero pugna sine prævia conventionem coepta est in Domo, vel Ecclesia, sed ob reventiam enses non eduxerunt, & prosequentes illam pugnam veluti continuatâ actione egressi perficiunt, rixa erit subito exorta, non Monomachia. Filliucius.

VI. Q. 4. Quid si duo sibi obviantes se provocant ad certum locum, quò statim tendunt, & ibi pugnant? Graffius apud Bonac. lo. cit. negat esse Monomachiam: ipse Bonacina cum Sanch. affirmat esse; quòd tales designent *certum tempus* nempe *illud præsens*, sicut si *crastinum* constituerent, & *certum locum*, sitque pugna *ex condicto*, id est, pacto invicem inito. Sed videtur & hinc adhibenda distinctio Filliucij; scilicet, nisi pugna fuerit ex rixa sine prævia conventionem coepta, & dein continuata usque ad destinatum locum, quo sese inter pugnandum provocaverunt. Hinc etiam quando quis inimicum in platea existentem provocat, us ex platea exeat, & secum extra plateam existente pugnet, ne à supervenientibus hominibus in platea disturbetur pugna, Monomachia est. Bonac.

VII. Q. 5. An Monomachia sit, si duo invicem contendunt quorum alter, quia non habet gladium, in vicinam domum se confert, & eò accepto redit, ac cum altero pugnat? R. Si antea conventum fuit, ut alter interim expectet eò locò, est Monomachia; quia est pugna ex condicto, & non eadem continuata, sed interpolata per recessum alterius, & ingressum in domum, unde gladium attulit; si vero antea non fuit sic inter eos conventum, sed tantum alter, ne alterò armis sit inferior, si provocetur, ad gladium afferendum discessit, & rediit, pugna exinde orta potius rixa est,

quàm Monomachia; quia deest conditio: *est. Auct.*

VIII. Q. 6. Quotuplex sit Monomachia? R. ea dividitur. 1. in Monomachiam *publicam*, & *solemnem*, quæ sub certa forma, seu solemnitate in congressu observata peragitur adhibitis Patrinis, seu Secundantibus, & aliis Spectatoribus, ferèque in loco congregantibus securitatem præstante, quem *campum francum* nuncupant.

Et in *Monomachiam privatam*, quæ ex condicto quidem, & certò locò, ac tempore Duellantium consensu destinatò, sed sine alia solemnitate peragitur. Dessel. in *Erotem*. Wiestner de *Cleric. pugna. in Duell. n. 2.* Potest hæc privata Monomachia quidem peragi sine conditione loci, & temporis *determinati*, sed non sine conditione loci, & temporis *indeterminati*, sic Monomachia est, si quis provocet alium, ut pugnent, cum prima vice sibi occurrerint in urbe, adest enim assignatio loci, & temporis, illius scilicet, quò se obviam habuerint. Filliucius. Bonac. cit. locc.

IX. Dividitur 2. in *Monomachiam extrajudicalem*, & *judicalem*. *Extrajudicialis* est, quam partes *citra Judicis auctoritatem* capessunt, sive *publice utilitatis causâ*, sive *Gloria, ostentationis, Defensionis gratiâ*, aut alia ex ratione capessant. *Judicialis* est, quæ *auctoritate Judicis* suscipitur; hæc olim frequens erat in causis Judicialibus controversis, ubi deficientibus plenis probationibus litigatores hanc defectum adhibebant singulare certamen (*gebrauchten des Faust-Recht.*) ut is causam perderet, qui Monomachia inferior esset; ut si in Provinciis quibusdam obtinuerat, ut, si actor, vel actor intentionem suam contra reum plene in Judicio probare non posset, unus alterum ad Duellum provocare posset, ut is, qui vicisset, eâ ipsâ victoria suam intentionem probasse censeretur. Hujus Duelli sit mentio in *L. 2. Feud. tit. 27. cap. un. de Pace tenenda vers. Si autem omnibus manifestum sit, & §. Si rusticus militem.* Emanuel Gonzalez ad *c. 2. de Cleric. pug. in Duell. n. 8.*

X. Alias Divisiones Duelli refert Knipschilt de *Nobilitate L. 2. c. 3.* ut, quòd aliud sit *Duellum nobile*, seu *Equestre* inter viros equestris tantum ordinis, veluti Principes, Comites, Barones, & Nobites peragi solitum in torneamentis, hastiludiis, ensiludiis, &c. Aliud, *Duellum vulgare*, quod ad omnes mares pertinet, Nobiles, & Plebejos.

XI. Hoc suscipitur dupliciter. 1. Ex publico

Z

lico

lico Magistratûs constituto, ut pugnantes corporis, & animi vires ad militiam exerceant, ita, ut, qui in hoc vicerit, coronam mereatur, eique præmium ex publico constituatur, quod *Sacrum certamen* vocatur *L. commodis 40. ff. de re iudicata, L. un. C. de Athlet.* Nam quando ad exercendas vires fiebant torneamenta, hastiludia, & similia exercitia, ei, qui se melius gessisset, imponebatur signum aliquod victoriæ super caput, & siquidem ter fuisset coronatus *iuste*, non *prece*, habebat à muneribus personalibus immunitatem. Bartolus. Brunemann *in cit. L. un. C. de Athletis.* Ex qua Lege deducunt, quòd universim, qui *ter bene se habueris in aliquo exercitio*, bonus præsumatur; atque exinde secundum Bartolum orta est consuetudo, ut Scholares *ter exmimentur*, seu, ut trinum sit examen Doctorum, & non sufficiat unicum eruditionis specimen, cum aliquis casu magis, quam peritiâ semel respondere bene possit, ut ex Perezio loquitur *cit. Brunemann.*

XII. Suscipitur 2. citra Magistratûs institutum virtutis causâ, & est vulgaris ille pugilatus, *das gewöhnliche gemeine Sechten.* Verùm hæc, ut dictum, certamina citra periculum mutilationis, aut vulnerationis fieri solita propriè non sunt Monomachia, sed tantam affinitatem cum ea quamdam habent, de quibus ad calcem hujus Tractatus.

## §. II.

### Origo Monomachia, & ejus usus apud varias Gentes.

1. Origo Monomachia, & ejus auctor. n. 1. & seqq.
2. Apud quos populos in usu fuerit. n. 4.
3. Romani gladiatores, Retiarius, & Mirmillo dicti. n. 5.
4. Postea apud Romanos prohibiti gladiatores: & redacti à Longobardis. n. 6.
5. Monomachia apud Germanos ante Christi fidem: & inter mulieres. n. 7. & 8.

I. Q. 1. Unde origo Monomachia? R. Ea ortum habuit à gentilibus, qui fide in verum Deum destituti cæcitate barbara ad hujusmodi crudelitates declinavère, ut etiam publici spectaculi gratiâ singularia certamina instituerent, in quibus homines sese gladiis, & armis spectante populo interimebant. Azor *tom. 3. Lib. 2. cap. 5.*

II. Q. 2. Quis sit auctor Monomachia? R. Primus hujus Carnificinae auctor sine dubio est Stygius Alastor, qui infelici perduellio-

ne, quam inter Angelos excitârat, è Cœlo ad Orci Barathra deturbatus, cum suo conditori, cui perduellis extiterat, ampliùs nocere haud posset miser, omnem suam rabiem stimulaute invidiâ in ipsius imaginem (hominem) convertit, atque ad dementandos cæcos mortales hanc ipsius lanienam inspiravit, orbique invexit, ut miseranda nece sese hac ratione cum æterna jactura animarum conficerent: nam, ut oraculum sonat Tridentinae Synodi *Sess. 25. cap. 19. de Reform. detestabilis Duellorum usus fabricante Diabolò est introductus, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.* Et meritò furiam quandam contra omnem humanitatem, & omnem rationem naturalem vocat Baldus *Consil. 343. circa med. Lib. 2. apud Knipschilt de Nobil. lib. 2. cap. 3. n. 66.*

III. Q. 3. Quando origo Monomachia coeperit? R. Determinatè non constat; illud tamen certum; antiquissimos esse hujus digladiationis natales, id quod exinde liquet, quia Homerus non uno in loco illius mentionem facit, dum nunc Menelaum cum Paride pro Helena Monomachia certantem coram utroque exercitu inducit; nunc Æneam cum Diomede; Hectorem cum Ajace; & Virgilius suum Æneidos Poëma Monomachia Æneæ cum Turno pro uxore Lavinia concludit, quæ nece Turni finita est. Sic & olim de Peloponeso Hyllus, & Echemus; de Regione ad Inachum Hyperochus, & Phemius; de Elide Pyrachma Ætolus, & Degmenus Epeus; de Iba Corbis, & Orsica pugnavère; & Strabo ait, vetustam hanc fuisse consuetudinè Græcorum, apud Grotium *de Jure Belli Lib. 2. cap. 23. n. 10.*

IV. Q. 4. Apud quos populos fuerit Monomachia in usu? R. Apud varios, & plurimos, apud Romanos, Longobardos, Græcos, Germanos, Gallos, Italos, Hispanos, Danos, Gothos, Anglos, Ruthenos, Ungaros, &c. sicut apud Knipschilt *de Nobilitate Lib. 2. cap. 3. n. 21.* tradit Augustus *Bissher.* Itè apud Indos, ut habet Beyerlinck. *V. Monomachia*, ut adeò hæc pestis totum terrarum Orbem pervaserit.

V. Romanis erant certi Gladiatores Monomachi, qui venali sanguine sese provocantes ad singulare certamen descendebant; quorum alter *Retiarius duxuo Πίρος*, alter *Mirmillo* dicebatur: Mirmillo, qui & *Gallus* dictus erat à Gallicæ armaturæ genere, in summo Galeæ cono Piscis effigiem gestabat, & in primo congressu cessim ibat; hunc *Retiarius*, qui

& Sequitur dictus fuerat, insequeretur; carmen hoc occinens: *Non te peto, Piscem peto, quid me fugis Galle?* hic Retiarius sub scuto rete, quò adversarium Mirmillonem involveret, gestabat. Hujus certaminis primum initium à Pittaco profectum existimatur, qui adversus Phrinonem dimicaturus, propter finium controversias, reti sub scuto allato impedivit adversarium *Alciasus*. Dicebantur etiam hi Pugiles *Hoplomachi* à Græco ὀπλόμαχος, quod eum sonat, qui scutò, reliquisque armis instructus in arenam descendit. Hos cruentos Palæstritas Magistri, & Præfecti ludi gladiatorij instituebant, exercebantque; ideo *lanista* dicti, quòd homines ad mutuam *lanienam* instituerent.

VI. Ea autem ex causa potissimum hoc exercitium Romanis inductum erat, ut eò spectaculo assuefacti Tyrones cruentum hostem non expaverent; accidebátque plerumque; ut huic muneri etiam liberalis conditionis viri nomen darent, alij, ut speciem virtutis ostentarent, alij, ut controversias, quas disceptandò finire non poterant Martis ultoris arbitrio permitterent; postea verò omnes Quiritium jure, & edictò Prætoris infamiã notati; dein Theosij constitutione penitus Republicã ejecti sunt. Alciatus *de sin. certam. cap. 2.* de jisdem extat *Lex Constantinian. Cod. de Gladiatoribus Lib. 11.* ita sonans: *Cruenta spectacula in otio civili, & domestica quiete non placent, qua propter omnino gladiatores esse prohibemus.* De qua Lege Sozomenus apud Cujacium in *d. l. τότε πρώτων ἢ τῶν μονομαχιῶν ἐκωλύθη θεία.* Honorius quoque cruentos hos gladiatores sustulit cujusdam Monachi, Monomachis infesti sermone permotus, ut habet Gothofredus *ad cit. l. un.* Contumeliosum verò etiam apud Romanos fuisse nomen Gladiatorum videtur constare *ex L. si pepercit 3. pr. ff. de liberis, & posthumis;* ibi: *non nominandus. non filius meus, Lastro, Gladiator &c.*

Postea verò, ubi Longoardi in Italia rerum potiebantur, rursus usum Monomachiae introduxerunt in Italiam ad probationem veritatis, & purgationem criminis, ac certas leges sanxerunt, quibus admittebantur Duella, ut is, qui in certo criminis genere suspectus esset, Duellò se purgaret ab ea criminis suspicionem, ut ex Lignano refert Azor *tom. 3. Lib. 2. cap. 5.*

VII. Apud Germanos ante Christianismum usitatae erant Monomachiae ob defectum Judiciorum; cum enim Judices non essent, quilibet se, suaque propria manu vindicabat; & ideo apud Vellejum Paterculum mirantur Germani, cum Romanae Jurisdictionis formam conspicerent, quòd injurias justitia finiret, & quae solita erant armis decerni, Jure terminarentur, ut habet Hugo, Grotius *Lib. 2. cap. 20. n. 8. de Jure Belli.*

VIII. Monomachiae inter mulieres meminit Beyerlinck *ex Hypposito à Collibus in Libro suo de incremento urbium c. 19.* ubi narrat, sub Alexandro Severo certamen mulierum fuisse institutum, in quo tanta hominum multitudo confluit, ut verbis nequeat exprimi; isto, ait, in certamine, cum mulieres pertinacissime pugnassent, essentque infectatae sese ob id convitiis nobilissimae foeminae, tandem legè cautum fuit, ne qua mulier munere gladiatorio fungeretur.

### §. III.

#### Monomachia apud Christianos.

1. *Plurime gentes Christianae Monomachiam exercuerunt ad controversias decidendas. n. 2. & seqq.*
2. *Etiam Clerici, & Religiosi. n. 7. & seqq.*

I. **Q** An etiam apud Christianos in more fuerit Monomachia? & etiam apud hos multus hujus digladiationis usus, seu *abusus* penè per totum terrarum orbem diffusus fuit, & ad plurimas gentes legibus cæteròquin salubribus institutas penetravit mos, Barbaris potiùs gentibus lanienae assuetis conveniens, ut videre est apud Gonzalez *ad c. 2. de Cler. pugn. in Duell.* ex quo sequentia referimus.

II. Germani in causis ambiguis, maximè verò criminalibus, quae nullò humano testimoniò probari poterant, ad summam Dei Majestatem, quae falli non potest, tanquam ad Judicem omnium rectissimum confugiebant: Senatus, Populus, atque Sacerdotes, qui Monomachiae spectatum aderant, interim, ut est in Lege Salica, Divinam opem implorabant, Beneficia memoriter commemorabant, quae in simili negotio ipsis contulisset, comprecabantur, ut ipse in praesenti adesset innocenti, victoriámque coelitus concederet.

III. Apud Danos omnes lites, & contentiones Duello committebantur, quem morem ab Heraldò Rege sublatum revocavit Canutus eorum Princeps. Ab his Populis ad Saxones usus transit.

IV. A

IV. A Saxonibus dein ad Francos, & Gallos, atque Longobardos, qui ex Scania, sive Scandia Daniæ Regione Italiam, & alias dein Provincias inundarunt, & Jus ambiguum de possessionibus, atque objecta graviora crimina, quæ salutis, vel famæ obessent, Monomachia decidebant, causam adducentes *legum defectum*, quibus ambigui casus resolverentur, & tritum illud proponentes; *si non sufficiunt iura, veniamus ad arma*, & lib. 11. tit. 54. legum ipsorum cavetur, ut in criminalibus causis accusator, & defensor in campo cum fustibus pariter contendat, nec eorum jurejurando res committatur, & eorum Rex 3. Fronto legem tulit, ut omnes controversiæ, qualescunque essent, Duellô definirentur, speciosius viribus, quam verbis confligendum existimans, quod adhuc in Moscovia usitatum esse (suo tempore) testatur Joannes Bodonus l. 4. de Republica cap. fin. aliæ apud varias nationes erant latæ leges, quibus forma, & Conditiones servandæ in ipsa Monomachia præscribuntur.

V. Quin ipse Imperator Otho IV. in Romaniola de Principum Italarum Sententia promulgavit legem sciente, & non contradicente Joanne Papa III. ut constat ex *Lo. antiquis ejusdem tituli* 54. qua statuitur, ne deinceps tota Italia etiam iis in locis, in quibus Jure Romano, id est, Justinianeis legibus utebantur, controversias Jurejurandô disceptent, propter perjuriorum multitudinem; sed Duellô dirimant. Quod Imperator observari jussit, non solum in privatorum Laicorum causis, verum etiam in Ecclesiarum litibus (id verò rejicitur in capitulo 1. de purgat. vulgari) & Federicus Imperator in titulo de pace tenenda in *usibus feudorum*. §. *siquis hominem* Duellum inter legitimos modos probationum refert.

VI. Sed inter omnes nulli hisce Duellis se se magis implicarunt, quam Galli, & Hispani, ut ex eorum legibus apparet, in quibus forma, & conditiones in Duellis servandæ præscribuntur. Hæc Gonzalez. Bachymeres quoque l. 1. Hist. apud Theophilum Raynaudum lib. 5. de virtutibus, & vitiis sect. 3. cap. 3. n. 187. prodit, vetusti moris fuisse apud Imperatores Constantinopolitanos, ut, qui dubii criminis rei essent, Duellô decertarent; tota enim hujus certaminis æquitas plerisque visa est, ut putaretur Deus ipse præses esse certantium, eique victoriam adjudicare, à cujus partibus Justitia staret.

VII. Neque Laicis tantum moris fuit om-

nes controversias dubias Duellô finire, sed etiam ad Clericos & Religiosos abusus pertransire cœperat; sic cit. Ganzalez n. 8. refert ex veteri Historia Canonici Laudunensis de quodam Anselmo Religioso, Cui thesaurus Ecclesiæ servandus tradebatur; qui non exiguam partem furtim decerpens aurifici cuidam vendidit, accepta ab eo fidei sponsione, quod nulli propalaret auctorem; sed cum artifex aurum illud Suebione venderet, nutu Dei Canonici Laudunenses supervenientes aurif sculpturas recognoverunt. & statim querimoniâ factâ aurificem à iudice comprehendendi fecerunt: ille perterritus ab Anselmo sibi aurum traditum esse confessus est: unde Laudunum est reductus, & contra Anselmum hæc negantem Duelli certamine est congressus, atque statim superatus ab eo. Forsitan, ut multi putarunt, pro fidei violata reatu, quia promiserat eidem Anselmo, se rem non detecturum; pro victoria hac ergo Anselmus nimis elatus, quia sibi conscius erat, & se furtum fecisse, & tamen adversarium superasse, multamq. laudem ab hominibus, qui se innocentem esse clamabant, acquisivisse, ad majora securus patranda provocatur.

VIII. Aliud refert cit. auctor ex Gofrido Vindocinensi in Epist. ad Petrum sanctonensem Episcopum, ibi: *audivimus dilectissime Pater. Raynaldum Cheshnellum Clericum vestrum cum Domino Guillelmo Monacho nostro Duellum cœpisse; quod quia sæculi leges nulla ratione fieri permittunt, & Sacri Canonibus omnino, ne fiat, interdicitur, humiliter vos rogamus, ut quod in Episcopatu vestro ab Ecclesiasticis viris contra Ecclesiasticas Regulas præsumptum dignoscitur, vestra autoritate irritum fiat, & corrigatur.*

IX. Per alios quoque, quos sibi substituebant, Monomachiam suscipiebant Clerici, ejusmodi casus refertur in ca. 2. de Cler. pug. in Duell. ubi quidam Presbyter, nomine Henricus, convenit quemdam super furto coram sæculari Iudice, & quia intentionem suam non potuit probare per testes, secundum consuetudinem terræ Pugilem obtulit, qui adversarium adeò vulneravit, ut exinde sit mortuus. Atq; hinc extat in Decretalibus titulus de Clericis pugnantibus in Duello, ubi carnificina hæc, à quâ maximè Clerus abhorreere debet, eliminatur præcipuè ab Ecclesiasticis.

#### §. IV.

### Causæ Monomachia Extrajudicialis.

1. Cause, ob quas Monomachia extrajudicialis suscipitur, & earum varia Exempla. n. 1. & seqq.
2. Aliæ ejus causæ. n. 14. & seqq.

I. Q.

I. **Q** 1. Ob quas causas suscipi soleat Monomachia extrajudicialis? *Re.* ob varias, inter quas præcipua est *causa publica utilitatis*; quando Monomachia propter patriæ, vel Ecclesiæ utilitatem suscipitur; huc spectat I. Monomachia Davidis cum Goliatho, quâ abstulit opprobrium ab Israël. 2. Monomachia, quam Princeps, Comes, vel alius Dynastes suscipit pro salute, & defensione suæ ditionis, & Dynastiæ, quæ hostili exercitu ab alio Principe, aut Dynaste invaditur, ita ut ex mutua utriusque conventionem bellum in Duellum convertatur, & semotò exercitu illi soli Monomachiâ Controversiam finiant, illæque causâ cadat, qui succubuerit. Quod tamen non procedit, nisi inter Principes, qui superiorem in terris non recognoscunt, & bellum gerere possunt, vel horum autoritate. Hujus Monomachia varia extant paradigmata; quorum unum, vel alterum placet apponere.

II. Cùm Carolus Andegavensis, & Petrus Arragonius diu de Insula Sicilia bellum gessissent, Martini Pontificis Romani, Collegii-que Cardinalium auctoritate pacti sunt, & jurejurandò sanxerunt, uter victus esset, Insulâ decederet, nec ampliùs ea de re controversiam faceret; cùmque constituta die congressus fuisset impeditus, & alia die destinata Petrus venire recusaret, Martini Pontificis auctoritate Jus suum amisit, ut habet Alciatus *cap. 3. & 41.*

III. Cùm Radislaus Gurimensis Princeps per injuriam invasisset Bohemiæ fines, coactus optimus Princeps Wenceslaus Bohemorum Rex militem collegit, cùmque jam dimicaturæ essent acies, *si aliter*, exclamat Wenceslaus, *nisi præliò res componi nequit, cur non potius sine insonantium sanguine, ipsi inter nos singulari certamine decernimus?* nulla fit mora, lorculam super cilicinam vestem indutus, parvòque ensiculò siculò succinctus Wenceslaus in arenam prodit: at Radislaus caphraus, hastatusque cum ingenti machæra se infert. Wenceslaus signò crucis frontem pingens subitò Angelos vidit, atque hanc vocem velut ab homine promptam audit: *nè ferì:* & repentè Radislaus humi procumbens veniam audaciæ poposcit, seque potestati victoris Wenceslai permittit; allevans prostratum Wenceslaus monuit, datâ veniâ, & dignitate ei restitutâ, ut contumaciam in obsequium debitum verteret, nè post graviùs ab irato Numine plecteretur. Delius

*disquis. mag. l. 4. q. 4. sect. 2. Theophil. Reynaud. tom. 4. de virtutibus l. 5. sect. 3. cap. 3. num. 189. citans Eneam Sylv. & Dubravium Beyerlinck V. Duellum &c.*

IV. Memorabile est inquit Alciatus *cap. 3. de sing. certam.* certamen duorum fratrum Regum Hungariæ, quæ inferior Pañonia est; cum enim instructo exercitu jam jam congressuri forent, periculumque esset, ne in gentis internecionem certaretur, alter solus intra fratris præsidia ingressus, ad eum se rectâ deduci clariore voce petiit, progressisque: *quid, inquit, frater opus est tot fortissimorum hominum sanguine alterutri victoriam queri? quin nos potius Committamus manus?* Atque hæc itentidem clamans hostem trucidavit, omnibus ejus audaciâ perterritis, & quia Regis frater erat, tela inhibentibus, sicque universa gens in victoris Jus, atque ditionem pervenit.

V. Inter cæteros veterum Francorum mores, & hunc impensè, laudat Agathias apud Grotium *de jure belli l. 2. cap. 23.* (textum Græcum, quia prolixus est, omittimus) *si qua fortè inter Reges oriantur controversia, aciem quidem omnes instruunt tanquam bellatori ad rem armis decernendam, & obviam alijs alijs procedunt: at ubi conspicati sunt se invicem exercitus, abiecit trâ ad concordiam redeunt, & Regibus auctores sunt, ut jure potius certent: Aut si nolint, ipsi inter se singulari certamine, & suo duntaxat ipsorum periculò rem transigant, neque enim bono, & aequo, aut Patriis institutis convenire, ut ipsi ob propria odia bonam publicum labefactent, aut evertant: Ergo confestim solvunt exercitus, & restitutâ pace tuò inter se commeanz sublatis malorum causis. Tanta in subditis cura Iustitia, & Patria amor: in Regibus verò animus placidus, & suis obsequens.*

VI. Sarmatæ, & Germani, inquit cit. Alciatus *cap. 3. de sing. certam.* Apud quos plurimum plebs potest, plerumque Principes suos in id agunt, ut mutuò decernant, ipsi horum malorum securi. An nostris hæc dicta conveniant temporibus, dispiciat Lector.

VII. De Carolo V. refert Knypfchilt *lib. 2. cap. 3. de privilegiis Nobilium* in hæc verba: *Carolus Quintus Caesar, inquit; Anno 1536. Mense Aprilis gravissimâ habitâ Roma in Senatu Pontificio oratione, clarè testatus est, se in visum in id bellum, quod tum contra Gallia Regem Franciscum de Mediolanensi Imperio parabat, trahi, in quo multæ gentes nihil mali merita, & insonses, ipsorum Principum iracundiâ, & obstinatione cladem essent subi-*

*fabulara: propterea sibi Christiana pietate sacro fatius videri, & republica utilis, ut & ipse, & Franciscus ad singulare certamen descenderent, ensaque, & pugione dimicantes controversiam finirent. Iovius hist. lib. 35. sed & per praconem Galbum provocavit septem conditionibus oblati, ut in mari, vel terra, vel flumine, equo, vel pedibus, colle, vel planitie de Gallia Cisalpina, & Burgundia jure inter se certarent, Deum Iudicem futurum sine publico salutis detrimento; quadraginta dierum ad deliberandum concessus induciis, ter contestatus, se pacem, pacem, pacem Christianorum, non bellum flagitare, & exposcere. Guilielmus Zonicar. in vita Caroli, hæc Knipschilt; qui cit. cap. 3. refert etiam in simili Monomachiam Rhœ Regis Daniæ adversus Hundinum Regem Saxonum, ubi stante victoria penes Danum, Saxones Juthiæ regnò cedere coacti sunt, atque talem certaminis conditionem detrectare extremum fuisse dedecus. Allegat item n. 28. Monomachiam Edmundi Regis Anglorum, & Canuti Regis Danorum, inter quos convenerat, ut inter sese ferrò contenderent, & qui vicisset, huic alter victus regni possessionem cederet; ac n. 32. Monomachiam Regneri Regis Daniæ, qui unacum tribus filiis, quorum tamen duo perire, interemit Regem Sueciæ cum septem ejusdem filiis.*

VIII. Plura hujusmodi exempla desiderat cit. Alciatus: & cit. cap. 3. conqueritur, quòd tam rara sint, & vix singulis ætatibus proveniant. Verum per ea non semper bono publico consulitur; cumque è Principis salute salus Regni pendeat, planè non passim optanda sunt hæc paradigmata.

IX. Factum Heraclij Imperatoris refert Beyerlinck, qui quemdam è Persico exercitu giganti similem in medio pontis, qui super Sarum anem, (malè Knipschilt ponit Dariusium) quo uterque exercitus Romanus, & Persicus sejungebantur, stratus erat, secum congressum feruit, & in profluentem deturbavit.

X. Huc refertur etiam Monomachia, quam non quidem ipsimet Reges, vel Principes supremi, sed horum auctoritate Duces, aut milites certi designati inter sese ineunt ex conventionione, ut penes eam partem sint jura, aut res, pro quibus certatur, penes quam steterit inter Monomachos victoria; atque hac ratione non pauca atrocia bella, quæ integras alias Provincias devastassent, sublata sunt; sic inter Athenienses, & Boëtios per Monomachiam fuit sopita, ubi ex parte Atheniensium

Melanthus contra Xanthum Boëtium victoriam reportavit. Ità finitum bellum atrox sub Valentino III. inter Vandalos, & Suevos pro Hispania certantes. *Binorum* item certamine finitum fuit bellum inter Ætolos, & Æolos; *Ternorum* inter Romanos, & Albanos, ubi pro Romanis tergemini Horatij, pro Albanis totidem Curiatii depugnârunt. *Vndenorum* de Regno Neapolitano inter Gallos & Hispanos; *Tricenorum* inter Lacedæmonios, & Argivos de Agro Thyreano; ut n. 31. refert cit. Knipschilt: addit tamen n. 34. ex Ayala, non semper per ejusmodi Monomachias bello finem imponi, & Mœtij Suffecij exemplò confirmat.

XI. Item huc spectat Monomachia, quam miles cum milite, aut officialis cum officiali hoste æquis legibus suscipit *auctoritate sui Ducis*, ut *alacritas crescat* exercitûs illius partis, cujus miles, vel officialis in Monomachia victor evasit; & vicissim *terror* incutiatur exercitui adversario, cujus Monomachus victus. Ejusmodi Monomachiam milites Christiani Limitanei cum Turcis in finibus Hungaricis, & Turcicis facta prius belli indictione, & armorum genere, quò certare velint, antea definitò, committunt; atque ita ex permisso Imp. Henrici Aucupis Joannes Drollinger Ratisbonensis ibidem annò Christi 930. Imperatore præsentem cum Turca quodam Duellò decertavit, & Turcam fortiter superavit, ut refert cit. auct. n. 36. ex Zeillero.

XII. Huc P. Jacobus Masenius in sua *utili curiositate* cap. 16. etiam refert Monomachiam (quannum ex parte provocati) Joannis Sonnenbergij ex prosapia Truxessiorum Waldburgensium nobilissima orti, qua superavit Antonium Mariam Italum, quam ipse & Beyerlinck *verbo Duellum*, sic referunt: *anno 1468.* cum Sigismundus Austriacus Venetis bellum inferret, & Roveretum ad Athesin obsideret; Venetorum exercitus verò in subsidium oppidi veniret, atque uterque exercitus exiguo intervallò discretus castra haberet, Antonius Maria Ruperti Mariæ Sanseverinatis Copiarum Venetorum Ducis filius Italus voce militari (sicut olim Goliathus Israëlitæ) provocabat Germanos; si unus ex illis Duellò secum fortitudinis ergò, utra gens bellò præstantior esset, dimicare vellet? Obtulit se Sonnenbergius; Conventum, ut victor 1000. fl. & equum, atque arma victi, trophæi locò lucraretur: locus certaminis in ripa Athesinæ medius inter duo castra destinatus: addun-

tor

tur campi custodes, cuique parti quatuor viri militares; fertur poena suspendij, si quis alius præter illos octo, vel verbo, vel nutu, aliòve signò indicium daret; adjicitur pactū, uter ex pugnantibus nomen S. Catharinæ exclamaret, is pro victo haberetur; venit ad manus, cumque cum Antonio equus corruisset, excusō sessor, is nihilò segnius assurgens pedes adversus equitem Sonnenbergium perrexit pugnare, cumque Sonnenbergij equus sese attolleret, & retrocedens congressum subterfugeret, singulari dexteritate, & agilitate Antonius Sonnenbergio gladium eripuit; quò factò, & Sonnenbergius ex equo defiliens se quoque in terram, pugione deinceps, & clavā pugnaturus coniecit; mox & clavā abiecit, quod Æmulus gladiò rem ageret, Germanos de victoria desperrantes conterruit: at, cum solo pugione aliquot hostiles elisisset ictus, denique sub gladium ejus penetravit, mediumque amplexus in terram devolvit, tum explorat manu ubi vulnere locus esset, & lorica obstans removeri posset, pugione à tergo ex dextra in sinistram translato adversarium suum in natibus iteratò vulnerare coepit; qui sentiens ictus geminari, nomen S. Catharinæ proclamavit; quò auditò occurrunt ejus quatuor custodes, vulneratum erigunt, atque, ne occideretur, è pugna subtrahunt. Hic fuit Monomachia finis: ex qua, addit Beyerlinck, Germanicæ nationis laus admodum aucta est, & hostibus formidabilior facta fuit.

XIII. Tandem huc refert Knipschilt Monomachiam, quam cum Proditore patriæ quis suscepit. Plura exempla refert Raynaudus *loc. cit.*

XIV. Q. 2. Ob quas alias causas, præter publicam utilitatem, Monomachia extrajudicialis suscipi soleat? R. Ob has potissimum: 1. Ob defensionem vitæ, ut si quis te occisurus arma tamen concedat, quibus te singulari certamine tuearis, aut si Princeps duobus capitibus reis mutuam Duellum indicat, vitam promittens victori, quem aliàs ob crimina sua morti adjudicaret. 2. Ob defensionem bonorum, ut, si quis tibi bona tua sit direpturus, quæ aliter tueri non potes, nisi cum ipso congregiendò Monomachia. 3. Ob defensionem honoris, & evitacionem ignominia, quasi vilis habearis, & abjecti animi, si Duellum oblatum non acceptes. 4. Ob ostentationem. 5. Ob vindictam. Quibus autem casibus liceat, vel non liceat Monomachia, ex his causis su-

cepta, dicitur in sequentibus. Porro non omnia certamina singularia ex hisce causis suscepta sunt Monomachia; proprie dictæ, quod patet ex Definitione §. 1. n. 2. data; ut, certamen susceptum ob causam publicam utilitatis, aut ob causam defensionis vitæ, ac rerum suarum cum moderamine inculpatae tutelæ &c. dicuntur tamen Monomachia in sensu latiore.

XV. Nulla autem ex allatis causis frequentiores gignit Monomachias, quam honoris defensio, & ostentatio; cujusmodi fuit illa Anno 1600. Domini de Breaute Nobilis Galli Batavis contra Hispanos Brabantos militantis, qui ferox virtute, & armis turmam equitum ducebat: cumque Vicarius suæ turmæ in Vicarium turmæ Hispanicæ (cujus Dux erat Antonius Schets de Grobendonck) incidens, ab Hispanis, aliquot casis, in fugam coniecta esset, id indignè ferens scriptò asseruit, viginti equites suæ turmæ cædendis quadraginta equitibus Hispanicis ejus turmæ, à qua victi essent, sufficere, seque id datà occasione demonstraturum, quod scriptum cum in manus turmæ Hispanicæ venisset, respondit Vicarius turmæ Hispanicæ Gerardus Abrami, *se nec causa, pro qua militaret, equitum, nec virtuti suorum diffidere, non tamen suæ nationi nec turmæ suæ ejusmodi velle ignominiam inurere ut tam disparis numeri Conditione superior manus conferret, sed si tantopere equitum suorum vires cuperet explorare, pari se, si vellet, numero dimicaturum* Postquam per tubicines ultrò, citròque missis literis pugnae dies, & locus constitutus est, & de armis, ac legibus pugnae convenit, vicini, & bini (sic enim convenerat) utrinque è turma equites seliguntur; faciunt Hispani Sacramentum, hostique denuntiant, se, si victoriâ potiri concedat Deus, post victoriam nemini parcituros, sed omnes, etsi deditio-nem facere volentes, perempturos præter tubicines: altero die, peractò Sacro, & implorato Dei auxilio, factaque militari exhortatione, de tuenda nationis dignitate, & integræ turmæ existimatione, in certamen descendunt. In primo congressûs impetu 26. utrinque equi sternebantur, ac Gerardus Hispanos Ducens cum suo Fratre cecidit plumbea glande ictus: stant tamen, jam plerisque equis amissis reliqui Hispani, ac post diversos impetus profligant Gallos cum eorum Duce, qui lethaliter faucibus, licet grandi lytro vitam pacisci conaretur, tamen eum occiderunt, Sacramenti sui memores. Ceciderant Gallo-

rum



nam 14. cum tribus, qui postea ex vulneribus decesserunt, Brabantinorum sub Hispano 18. superfuere ex 22. ac summo plausu à suis excepti honorificòq; sepulchrò donati sunt, adscriptò facti elogiò, quod refert Beyerlinck hæc cum Masenio recensens.

XVI. Aliam, quæ ex honoris perstricti defensione descendit, refert *cit.* Masen in hunc modum. Sub Carolo VIII. Gallorum Rege trans alpes belligerante, Italus quidam Gallum, corpore minorem, contemptim *Natum* appellavit, qui animosè respondit, *Natum hunc* etiam *Herculi* Clavam extorquere posse. Igitur spectante Rege in pugna commissi, postquam acriter, diùque certatum esset, Gallus Italo denique præcordia transfadigit & victor 500. aureis à Rege donatur.

### §. V.

#### Causæ Monomachiae Judicialis.

1. *Causa universalis. n. 1.*
2. *Causæ speciales n. 2.*
3. *Etiam fæmine provocabantur, quæ alios pro se pugnatos substituebant. n. 3.*
4. *Aliæ causæ. n. 4.*
5. *Consuetudo Gallorum. n. 5.*

I. **Q.** Quæ sint causæ, ob quas Monomachia Judicialis suscipi consueverit?  
 R. I. In genere quotiescunq; criminis notitia, seu probatio erat obscura, vel actor reum provocabat, vel reus ipse se offerebat, aut suo loco alium. Monomachia instituebatur. Martinus Delrio *Disquis. de ag. l. 4. q. 4. sect. 2.* dum tamen, qui rem pugna decidi petebat Jurejurandò sanxisset, non dolò malò, nec calumniæ causâ se eò confugere, sed quia aliter, quam Divinò Judiciò rei gestæ veritas erui non posset. Alciatus *de sing. certam. cap. 3.*

II. In specie per leges Longobardorum suscipiebantur Monomachiae ferè ob sequentes causas, quas Alciatus recenset. 1. Si læsæ Majestatis reus quis delatus fuisset. 2. Si homicidiù intra induciarum tempus. 3. Vel parricidium causâ hæreditatis tecisse argueretur. 4. Si quis alterum incendiarium, perjurum, depositi (quod 10. aureis non erat minùs) abnegatorem, vel falsi documenti confectorem, vel violentum compulsorem, vel rei à servo suo surreptæ receptatorem vocasset. 5. Si quis parentis, cujus hæres extitit, æs alienum dissolvere noluisse. 6. Si quis alterum cuculum, aut adulterum, aut uxoris suæ atrectatorem appellasset.

III. In mulieres quoque hujusmodi provocationi locus erat; pro quibus certamen suscipiebant propinquoires, aut quos ipsæ hac in re sibi advocatos honorisq; propugnatores constituebant. Sic maritus, si uxorem adulteram vocavit, ei pugnandum erat quod & ad quemlibet extraneum porrigebatur: idem erat, si necem mariti eam procurasse quis asseveraret.

IV. Contra servum quoque, qui in libertatem provocasset assertionis Judicium arbitrato Domini per Duellum definiebatur. Item si malæ fidei possessorè quis aliù dixisset; licitum erat ipsi, si quinquennio possederat, vel Sacramentò suam causam tueri, vel Duellò. Item quando de Dominio, possessionisque acquisitione ambigebatur, & uterque priora Jura prætendebat, Monomachiae locus erat. Idem erat, quando utrinque testes in Judicio producti contraria, confusaque asseverabant.

V. A Longobardorum legibus non multum diffidebat consuetudo Gallorum, testis cit. Alciato. *Apud eos enim*, inquit (de suis temporibus loquens) *hæc Philippi Pulchri constitutio etiamnum extat; si quis occulti criminis, Capitalisque reus sit, atque ita de eo constet, ut questionem subijci possit, condemnari non possit, is arbitrato accusatoris Duellò experietur; quæ lex summa ratione nititur; nam cum jure civili, existentibus solùm indicis, torqueri, equaleoque alligari reus debeat, ideo si accusator, cui alioquin pœna Talionis subeunda esset, malit per Duelli questionem rei veritatem patefieri, audiendus est. Non solet autem in Gallia juxta Monomachiam à Rege, vel bis, qui illa Consilio sunt, permitti, quam ex Philippi constitutione. Quod si quis temerè alium provocaverit, eum male multant. Quæ in re amplissimi ordinis severitatem Laudo; Regulòsque quosdam Italia detestor, qui passim, & sine delecta Campum, securitatemque territorii omnibus petentibus concedunt. In Italia vero cum de controversia aliqua verbò inter homines litigatur, qui alterum mentiri dixerit, provocari ad Duellum potest; ceusetur enim atrox injuria, quam si aliter, quam ferro, hi Thrasones aboleant, de honore suo actum arbitrantur; Hinc frequens est provocationis exordium. Hæc tenus Alciatus.*

VI. E quibus duo displicent ex eodem fonte manantia; primum, quòd constitutionem Philippi Pulchri *summa ratione nisi dicat*; cum tamen omni rationi videatur adversari, tanquam medium prorsus ineptum ad finem, quem assignat auctor; nam discursus, quem format, ad hanc argumentationem redigitur: Jure civili si existant Indicia, posset reus questionem subijci, & equaleo torqueri; ergo

accu-

accusator cui aliàs pœna Talionis (Si probare, quod accusat, delictum non possit) subeunda esset, potest hanc quæstionem Duello subjicere. Nego consequentiam, quia Monomachia ad hunc finem est omnino medium ineptum, utpote in qua ille, qui viribus, & arte inferior est, plerumque succumbit, & non qui causâ est inferior; nisi velis expectare miraculum, quod tamen est tentare Deum, cum Deus nullibi promiserit, quod in tali Monomachia velit veritatem ipse patefacere extraordinariè succurrendò illi, qui aliàs, spectatis viribus naturæ, succumberet; ut in sequentibus diceretur pluribus. Secundum est, quod videatur deficere debita æquitas, & æquilibrium affectûs, quæ prima scriptoris dos est, ut neutram in partem magis propendat, sed rem, ut est, proponat, alioqui, si affectus in alteram partem sit propensior, pronum est, ut & iudicium ad se inclinet, ut non scribatur, quod defæctum rationis iudicium, sed quod affectus suggerit; & non tam sit æquus rerum scriptor, quam alterutrius partis laudator; id quod hodie in quibusdam historicis reprehendi solet, qui uti amœnitate styli, & tersâ linguâ florent, ita nimij suarum rerum laudatores existunt, quod legentium fidem minuit. Sed quidquid sit de his antiquioribus LL. & constitutionibus, justissima, & rationi conformis certè est constitutio, quam Ludovicus XIII. Christianissimus Francorum Rex sanxit contra Monomachos abolitis, & cassatis quibuscunque Antecessorum constitutionibus, & consuetudinibus bellandi singulari certamine, addens pœnam contumacibus, & inobedientibus confiscationis bonorum, dignitatis, nobilitatis, ut gens sibi subdita facilis ad pugnam eximeretur hac turpi, & inhumanâ laniena, uti refert Augustinus Barbosa in *Collectan. ad ad Cone. Trident. Sess. 25. cap. 19. de Reform.* Verum de prohibitione Monomachia dicemus postea.

## §. VI.

## Solemnitates Monomachia.

1. Solemnitates Monomachia consistunt in certis ritibus observari solitis. n. 1.
2. Solemnitates utriusque, Judiciali, & Extrajudiciali Monomachia communes. n. 2. & 3.
3. Ritus apud Narsingenses. n. 4.
4. Monomachia duorum Hispanorum, ritus Hispanos, & insanam humanæ gloriæ cupidinem ostendens. n. 5.

**Q. 1.** Quæ sint Solemnitates Monomachia? **R.** Ex consistunt in certis ritibus observari solitis, & sunt duplicis generis: quædam sunt Communes Monomachia Extrajudiciali, & Judiciali; aliæ sunt soli Judiciali propriè de Prioribus hõc, de Posterioribus sequenti §.

**Q. 2.** Quæ Solemnitates sint Communes utriusque Monomachia? **R.** Potissimum in his consistunt 1. in *proclamatione unius partis* per verba, literas, aut nuntium, & *acceptatione alterius partis*, 2. in *determinatione certi loci*, ubi certamen ineatur. 3. in *determinatione temporis*, quo uterque in destinato loco ad certamen conveniat. 4. In *determinatione modi* quo pugnandum sit, & *armorum*, quibus pugnandum sit; num equites, vel pedites, gladiis, vel sclopiis &c. velint congregari. 5. In *assumptione patrimonium*, quos *Secundantes* vocant. 6. In *certis legibus, seu conditionibus*, sub quibus in Monomachiam condicunt, v. g. ut sclopi antequam locum certaminis ingrediantur, ab aliquo impartiali explodantur, & pulvere recenti onerentur, vel onerentur in ipsa area pugna à Patris &c. vel ut liceat plures gladios, aut alia arma ad certaminis campum deferre eum in finem, ut ruptò unò gladiò (aut aliò instrumentò pugna) possit pugnans, ne sit inermis, ad alium gladium accipiendum currere, ni ab adversario præoccupetur interina feriendò &c; & similia.

**III.** Varios alios ritus varij populi observare consuevère: apud veteres nonnullos priusquam Monomachi decertarent definiebantur, utri prius, & quoties utriusque ferire liceret; non enim antiquitus in agonibus crebræ ictuum vicissitudines petebantur, sed erat cum intervallo temporis etiã ferendi distincta successio, rarisque, sed atrocibus plagis certamina gerebantur, ut gloria potius percussorum magnitudini quam numero deferretur, ut inquit Beyerlinck.

**IV.** Apud Narsingenses Indos, qui alium ad certamen vocat, petit à Rege campum, ubi tuto pugnare liceat; sique de Monomachi hujus virtute opinio invaluit, Rex ipse illi in eo campo expectat, & victorem aureâ Catenâ donat hac conditione, ut eam perpetuò contra quemcunque tueatur, ac cum alio, qui hoc ab ipso sit postulaturus (quod cuivis permissum) armis æqualibus pro ea certare teneatur; si vincitur catenula ei detrahitur, & cum ea omnis gloria, atque victori datur. *cit. Beyerlinck, & Knipshuis.*

V. Morem Hispanorum, & simul insanam humanæ gloriæ libidinem in Monomachiis sequens docet paradigma: duo Nobilitatis Cæsar-Augustanæ adolescentes Petrus Torellius, & Hieronymus Anca vitæ, & moribus familiares ex lusu alearum (quod sæpe fieri amat) orta contentione ad Monomachiam prodierant in locum extra urbem, nemine conscio de vita pugnaturi: excusô Torellio è manibus gladiô, is inermis jam victum se fatetur, & concedit Ancæ victoriam ea lege, ne cui mortalium gesta aperiret, malle enim se mori, quàm cum ignominia vivere. Promittit silentium sanctè Anca, seque mutuo amplexi amici in urbem revertuntur. Post aliquot dies actæ rei historia in omnium versatur ore, accusat Torellius Ancam violatæ fidei; is negat se auctore gesta in publicum emanasse, sed alium quempiam pugnam conspexisse, atque evulgasse, cumque uterque in sua assertionem obstinatè persisteret, & aliter veritatem probare non possent, Monomachiam rem committunt, oblatoque Cæsari supplici libellô petunt pro regni Arragonici, & Castellani more, utriusque petitioni subscribere, locum, diemque certamini statuere dignetur; Cæsar eos ad Contestabilem (ut vocant) Castellæ rejicit, qui, eos necquicquam diu deterrens, diem, locumque constituit; cumque Cæsar ipse diribitor adesse statuisset, ingenti cultu area, theatrum Monomachiam adornatur, suisque operibus cingitur, ad quam statò die, horaque magno apparatu tum armorum, tum amicorum conveniant; primus adest Cæsar, atque in sede aureo instrata pañd, ac umbellâ aureâ recta tenens virgulam deauratam, qua in terram projectâ pugna dirimeretur; tum reliqua Nobilitas, custodiæ Cæsaris aream cingebant, ut nemini aditus pateret. Prodit Torellius pugna provocator comitantibus patris, prodit dein pariter Anca provocatus, cuique sua arma præferuntur cum gentilitiis insignibus, venerato dein Cæsare, coram Contestabili manum præsentis tenentes Sacerdotis imponunt libro Evangeliorum, ac ligneo cruci affixi Christi simulacro, jurant, se in pugnam descendere opinione defendendæ justæ causæ, neque ullo se usuros genere fraudis, doli mali, præstigiæ, aut Veneficij, neque herbarum, lapidum, &c. potestate; sed Corporis tantum, ingeniique viribus pro victoria, Dei, D. Georgij, D. Virginis Mariæ, ac instructorum suorum auxilio annixuros: explorantur utriusque arma, quæ erant bi-

pennis, & gladius Hispanicus, punctim ferire aptus, & lorica ad regendum Corpus; in stateram dein imponuntur, non enim minus, quàm nonaginta duo pondo simul pendere debebant, superare poterant. Tum Cæsaris Legatus Castrensis in singulis areæ angulis alta voce edicit sub pœnâ vitæ, ne quis pugnae tempore tumultum excitet, aut certantes verbò, voce, sterminatione, sibillò, nutu, manu, aut alio Corporis motu, signo ve juvet, aut terreat; animum addat, aut minuat, attonitum reddat, aut inflammet, arma sumere, aut ponere faciat, nisi ij, qui ad hoc sint destinati. Prodit dein in medium Torellius provocator, ferrò undique rectus, & suo instructore stipatus, accedit ad contestabilem, qui sede honoratior, & elevatâ sedebat; ab hoc interrogatur, qua de causa armatus intrasset, pandit Torellius nomen, causamque adventus; Contestabilis faciem ejus nudat, agnitumque ad alteram partem areæ consistere jubet, simili cæremonia dein usus cum Anca, quem ex opposita areæ parte consistere jubet. Expeditis reliquis ritibus tubâ signum datum, ad quod ambo pugiles cum instructoribus in genua procidunt, precèque ad Deum factâ, postquam eos instructores essent amplexati, ac ad fortiter pugnandum animassent, suos ad terminos parati consistunt; signò dein rursus tubâ ad certamen datò congregiuntur, cumque aliquamdiu crebris, ac ingentibus ictibus se invicem contudissent, bipennibus ruptis ad luctam ferè convolassent: Cæsar gravius periculum discussurus projectâ in aream virgâ aureâ pugnam dirimit, convolantesque statim 30. Nobiles areæ custodes invitos, & renitentes pugiles in eos, unde in pugnam descenderrant, areæ angulos reducunt, cumque de victoria orta inter eos esset controversia, Cæsar eam sua auctoritate dirimit, utrumque suo honori satisfecisse, neutrum victorem prænuntians, ideoque in mutuam amicitiam eos redire per contestabilem jubens; sed pertinaci reclamatione non acquievêre Cæsaris mandato; cumque postea à viris magnis sæpius tentatum esset, ut in gratiam redirent, sed frustra, iratus Cæsar utrumque in vincula conjici jubet, in quibus manserunt, donec datis dexteris se invicem amplexi inimicitiam deponere se testati essent; sed ex animo id non processisse, simultas ad alterius usque mortem gesta probè docuit. Masenius, & Beyerlinck. loc.

## S. VII.

Solemnitates Monomachiae  
Judicialis.

1. *Forma Monomachiae Judicialis erat ad normam Judicij accommodata.* n. 1.
2. *In quo interveniunt reus, Actor, Judex, Advocatus, &c.* n. 2.

**Q** I. Quae sint Solemnitates in Monomachia Judiciali observari solitae? **R.** Quia forma hujus Monomachiae ad imitationem, & normam Judicij praecipue criminalis redacta erat, solemnitates illius jisdem fere legibus regebantur, quibus Judicium accusatorium. Unde

II. Quemadmodum 1. Judicium est rei controversae inter actorem, & reum coram Judice disceptatio, quae fit per verba, testes, instrumenta, probationem &c. ita Monomachia erat rei controversae, vel criminis controversi disceptatio inter provocantem, & provocatum coram Judice per arma. 2. Sicut in Judicio quatuor principaliter requiruntur; *Judex*, qui publica auctoritate praestit Judicio, & jus dicit. *Actor*, (in criminalibus *accusator* dicitur) qui prior ad Judicium provocat, & actionem proponit. *Reus*, qui provocatus ad Judicium actionem provocantis coram Judice propulsat, ac se contra provocantem defendit. *Causa*, quae in disceptationem adducitur, tanquam origo totius negotij, & Judicij: sic etiam in Monomachia Judiciali haec quatuor principaliter concurrebant; *Judex*, quem duelles eligebant, & coram quo pugnabant; *Actor*, qui erat provocator; *reus*, qui erat provocatus; & *causa*, vel *crimen* super quo pugnabant armis. 3. Sicut in Judicio praeter has personas principales interveniunt etiam *advocati*, qui partibus litigantibus coram Judice patrocinantur, Jura allegant, argumenta proferunt &c. ita in Monomachia pugnantium advocati erant *Patrini*, Patrocinantes Monomachis. 4. Sicut in Judiciis potest quis certis casibus sibi alium substituere, & per Procuratorem litigare, ita in Monomachia certis casibus poterat quis sibi alium substituere (*campionem* vocabant) & per eum pugnare cum adversario. 5. Sicut in Judicio dantur *exceptiones* duplicis generis, aliae *Dilatoriae*, quae Judicium ad tempus differunt, non vero omnino perimunt, ut, si Judex dicatur *incompetens*, vel *suspectus*, &c. aliae *Peremptoriae*, quae Judicium, & jus actoris omnino perimunt, ut ex-

ceptio *contractus invalidi, praescriptionis* &c. ita in Monomachia concessae erant exceptiones, aliae *Dilatoriae*; ut, si quis recusasset Judicem tanquam suspectum: aliae *Peremptoriae*, ut, si recusasset provocatorem, quod sit homo *infamis* &c. 6. Sicut in Judiciis solet actor Judicij porrigere libellum, in quo alterum in Judicium provocat, & causam litis, ac querelas suas, cur litigare velit, proponit; ita idem observabatur in Judicio Monomachiae, ubi provocans coram Judice causam, & querelas suas, cur congredi velit, insinuabat, quae provocatio per literas instar libelli fieri consueverat.

## S. VIII.

## De Judice Monomachiae.

1. *Partes Judicis.* n. 1.
2. *Duellorum concessio erat suprema potestas.* n. 2.
3. *Inconsulto Principe non licebat pugnare: neque militibus.* n. 3. & 4.

**Q** I. Quae fuerint partes Judicis? **R.** Ipsi erat campum Francum in suo territorio assignare; certamini per se, vel per alium interesse; inspecta, atque finita Monomachiam pronuntiare, ac definire; è cujus Monomachi parte Victoria steteret, quemadmodum in Judiciis partes Judicis sunt inspecta partium disceptatione declarare, quænam litigantium pars per probabiliora Juris fundamenta victoriam reportaverit.

II. Erat autem Duellorum concessio apex supremæ potestatis, quæ tale jus tantum Dominis intra ditionum suarum terminos concedebat. ut ex Cophino habet Gonzalez *ad ca. 2. de Cler. pugn. in Duell. n. 8. in fine.*

III. Inconsulto Principe, & nisi is facultatem pugnandi fecisset, non permittebatur Monomachia; sed justa erat excusatio, quæ provocatus certamen recusabat, quod Imperator licentiam dare nollet; Juris enim naturalis est, inquit Alciatus, ut Parentibus, & Magistratibus, Principibusque pareamus, si justa praecipiant. In militibus idem requirit disciplina militaris, quam observari publice interest. Unde Modestinus *in L. Desertorem s. §. 15. ff. de re militari, in bello inquit, qui rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, cavite punitur, etiamsi res bene cesserit.* Quid enim, si miles, qui Monomachiam pugnare vult, sit magnæ virtutis, ingentis animi, & bellicæ peritiæ officio conspicuus, cujus op-

ra Imperatori, & Republicæ valde utilis esse potest? an eum Princeps in apertum discrimen prodire patiatur cum suo, & Republicæ detrimento? minimè sanè; sed existimat Alciatus in Consilio de materia Duelli; talem tanquam pacis perturbatorem capite puniendum esse. *Iuxta l. fm. ff. de remissariis*; aut saltem *juxta constitutionem Frideric. C. 1. de pace tenenda inter subdit. in feud. 20.* auri libris multandum si sit Capitaneus, si Dux, Marchio, Comes, 50. libris.

IV. Adeò autem exosum id crimen habuerunt veteres, inquit cit. Alciatus, ut ne quidem cum hoste congregi suo militi singulari certamine permisissent, nisi consultò prius suo Duce, atque exercitùs Imperatore; & ideò apud *T. Livium lib. 3. & lib. 23.* nec *T. Manlius Torquatus*, nec *Q. Asellius* adversus hostem ad Monomachiam prius progressi sunt, quàm Dictatorem, aut Consulem percunctati essent, liceretne extra ordinem in provocantem hostem pugnare? *Andruvique ego quandoque* (pergit citatus Auctor) *Hoc Italis militibus imputari, quòd sedisiosi inter se, & ad jurgia prom. suis Monomachia provocatoris Charulis militarem Disciplinam pervertant.*

### §. IX.

#### De Actore, sive Provocatore, & Provocatione.

1. Quis censeatur provocator? n. 1.
2. Accuratè provocatores observabant, quomodo verba provocationis conciperent. n. 2.
3. Modus provocationis n. 3. & seqq.
4. Mulùm referebat, quis provocator esset n. 6.
5. Casus dubios. n. 7.
6. Armillati, & certa signa gestantes ad Duellandum num. 8. & 9.
7. Scopelismus. n. 10.
8. Rusticanti pinnulas in pileo gestantes ad rixandum num. 12.

I. Q. 1. Quis censeatur provocator? *Et qui prior certamen indicit. & alterum ad Monomachiam vocat, non verò qui injuriam intulit; nisi velis hunc vocare provocatorem injuria* (de quo hic non agitur) alterum verò provocatorem *Monomachia.*

II. Accuratè autem observare solebant provocatores, quemadmodum verba provocationis, seu libelli provocatorii conciperent, ne injustè provocassent, & sic malam causam fovere censerentur; nam inde Monomachia eventum pendere sibi persuaserant. E. g. quispiam aliquem audivit, *illum noctu arcem,*

*suam, vel Domum clanculum fuisse ingressum, si eum provocavit, quòd ingressus fuerit, male provocabat; quia falsò alter se jactare potuit; adeòque provocandus erat; quòd se in recessum fuisse jactaverit: sicut, si quis alterum dicit illegitimum, qui Principis indulgentià natalibus est restitutus, injustè facit; non enim nunc illegitimus est, quem Princeps restituit; debuisset itaque eum illegitimè natum dicere.*

III. Q. 2. Quis fuerit modus provocationis? *Et is erat, ut provocator literas ad perduellem suum mitteret, quibus injuriam sibi factam, & causam exprimebat, de qua esset certandum; addebatùrque his testatio; ut præfecto Duelli exhiberi ultrò, citròque missæ Epistolæ possent, & si quidquam negaretur in promptu fides esse posset per testes, quorum duo sufficiebant; non tamen quilibet ad subscribendum admittebatur, sed solum, qui rei militaris essent periti. Plerumque mittebantur hæ literæ per probatos nuntios cum aliquo belli signo, quale erat Chirotecha, vel pugio.*

IV. Postquam Duellum sic fuisset per Chartulam missam alteri denuntiatum, non erat permittum ulla ratione interim adversario nocere, aut eum persequi, usquedum in stadio, constituto tempore concurrissent, sicut Jure civili lite pendente nihil est innovandum, sed finis litis cœptæ est expectandus.

V. Consilium Juridicum super provocatione controversa hoc resolvit Alciatus. Fulgosius, & Caninius se se ad Monomachiam provocaverant hac ratione: Fulgosius Caninio literas scripsit hoc tenore.

*Fulgosius Caninio.*

*Quoties dixisti, scripsisti, aut scribi, dici fecisti quod adversus honorem meum sit, toties mentisus es: & si negas, rursus mentisus, nec ultra tecum convitiis agam, reserwans, si per te non steteris, ut armis te alloquar.*

Respondit alter hoc tenore:

*Caninius Fulgosio,*

*Duo sunt Carthula tua capita. Ad primum, nihil arbitror necesse esse respondere. Ad secundum quo de offers mecum armatam annu Collocaturum, respondeo, me id acceptare, contentumque esse ut intra congruum tempus omnes agnoscant, per me non stare, & an animus tuus verbis, obligationique tua consentaneus sit.*

Quæstio erat, quisnam in proposito casu provocator sit, Fulgosius, an Caninius? excussis pro & contra rationibus, Fulgosium pro-

vocatorem esse Consiliò suò decidit Alciatus.

VI. Multùm autem referebat, quis provocator, vel provocatus esset, inde sæpè graves ingruerant lites super tenore verborum, & convitiõrum mutuò jactatorum. Quemadmodum autem in libello judiciario, qui Judici porrigitur in lite, non attenditur præcisè fons verborum, sed res ipsa, ita & in provocatione, quæ erat quasi libellus, quo alter ad litem dirimendam gladiò coram Judice vocatur. Hujus rei exempla hæc refert Alciatus. 1. Qui homicidii accusatus respondet, *se illud ob sui defensionem fecisse, simulque Duellum offert*, est provocator. 2. Qui in honore læsus lædenti reponit; *tu injustè in meum honorem grassatus es, si affirmes, te rectè fecisse, paratus sum Monomachia ostendere, te mentiri*; hic est provocator Monomachia, alter verò, qui honorem læsit, provocator injuriæ. 3. Si quis te proditorem dixerit, & tu reponas, eum *mentiri*, non es provocator, sed alter, Si verò respondeas, *eum mentiri & te id Monomachia probaturum*, provocator es: quia nihil refert, quòd quis velit defensionem vocare, quæ revera *offensio* est.

VII. Dubius erat hic casus; Dux quidam Venetus scripsit Gallo: *Accepi, te Duces exercitus Veneti imbelles dixisse, quod iudiciò meò improbè à te dictum est; cumque id meà haud parum referat, velim certior à te fieri, an verum id sit?* Respondit Gallus; *Ducibus Venetis non maledixi, nec mei moris est: verum quòd tu me improbè dixisse affirmas, mentiris, idque tibi in campo probaturus sum, si ejus designationem iteris ad me tuis designaveris.* Dubitatum erat, uter provocator esset? Respondet Alciatus, Gallum non esse, quòd, qui campum sibi designari petit, in consuetudine Gallia Cispina reus sit.

VIII. Quæstionis erat, quid de illis sentiendum, qui certa signa, emblemata, vel Armillas gerebant per orbem vagantes hac lege proposita, ut, quis quis Armillam tangeret, signum abriperet &c, Is Monomachia cum ipsis suscipiendæ addictus esset; si quis jam Armillam tumidi cruore Thraconis tetigisset, & per hoc se ipsi ad Monomachia condixisset, dubitabatur, uter eorum esset provocator? Ratio dubitationis erat; quia una ex parte armillas attrectans contra prohibitionem (Stultam) Domini signum Monomachia indicans tetigit: altera verò ex parte Armillatus signum Monomachia gestans conditionatè se se circumfert *aisens: quicumque tetigerit meam*

*Armillam, cum eo pugnabo*; Attrectans autem signum prohibitum aliud facit nihil, quàm quòd conditionem Thraconis impleat: at verò qui conditionem in libello Judiciario (cujus locum in Monomachia supplet provocatione) posuit, ea eveniente est actor, etiamsi impletio ab eo pendeat, qui in Judicium vocatus est. *L. prator, §. quod autem ff. de iurejurando.*

IX. Alciatus distinctionem adhibet, atque, si lex à stolido illo armillato ardelione sit concepta sic: *quisquis Armillam tetigerit, is Duelli causa mihi addictus esto*, tunc Armillatum esse provocatorem. Si verò lex ipsius concepta sit sic: *quisquis Armillam attigerit, is me sibi perduellem experietur*, attrectatorem, qui qui attingendò hoc egit, ut eum perduellem experiretur, videri esse provocatorem. Sed

X. Quidquid sit de hoc; stolidissimum hoc ardelionum est genus, qui fatuè tumidi viribus suis stultissimè abutuntur contra legem Dei, Charitatem, & sui, & proximi, nec absimilem poenam merentur, quàm qui olim Scopelismum in Arabia faciebant, de quibus *Lex pen. ff. de Extraordinariis criminibus: Sunt quadam*, inquit, *que more Provinciarum coercitionem solent admittere, ut puta in provincia Arabia σκοπελισμὸν, id est lapidum positionem crimen appellans; cuius rei admissum tale: plerique inimicorum solent. pradium inimici σκοπελισμὸν, id est, lapides (seu scopulos) ponere iudicio futururos, quòd, si quis eum agrum coluisset, malò lethò periturus esset insidias eorum, qui scopulos posuissent: qua res tantum timorem habet, ut nemo ad eum agrum accedere audeat, crudelitatem timens eorū, qui scopelismum fecerunt. Hanc rem præsesdes exequi solent graviter usque ad poenam capitis; quia & ipsi res mortem comminatur.*

XI. Nostrò ævò (Deo sint laudes) haud facillè ejusmodi dementatos homines est reperire, qui alienas in sui perniciem terras peregrinentur; sique quemquam ejusmodi contineret sæculum hoc, cui humanæ leges parcerent, certè Divinæ Nemesis vindictam haud effugiet temerarius luctatori Deus enim Dominus vitæ, & necis, & mutilationis est: adeoque talis lethiferâ fauciam noxâ circumfert animam, dæmonibus venalem, si quis infelici fors congressu, ex hac vita eam detulerit in orcum.

XII. Sed quid de rusticanæ plebis luctatoribus, qui plumulos, seu cristas pileo affixas gestare solent, sique plumulam quis pileo detraxerit, pugnis sese enormiter contundunt? &c. Et hos (nisi ad cavenda majora mala tolerari

rari hæc oporteat) arbitrariâ, sed sensibili poenâ coercendos; quia graves fiunt percussiones, & haud rarò vulnerationes, & subinde necesse: neque semper ausim ejusmodi pugnò rusticò minacem Menalcam gravi noxâ absolvere; qui animò ad graves tunctiones semper paratò circuire tumidus cruditate solet. Quamvis hoc propriè non pertineat ad Monomachiam, sed ad rixas Monomachiar vicinas, de quibus in sequentibus.

### §. X.

#### De Reo, sive Provocato.

1. *Quis censeatur provocator? n. 1.*
2. *Conditio provocatoris deterior, quam provocati. n. 2.*
3. *Provocatus designabat genus armorum, n. 2. § 3*
4. *Tempus destinatum erat dies naturalis. n. 4.*
5. *Controversia de Regno Siciliae inter Carolum, & Petrum Arragonensem per Monomachiam discussa. n. 5.*
6. *Quid, si provocatus non comparuisset, neque provocatori respondisset? n. 6.*
7. *An provocatus comparere debeat? n. 7.*
8. *Solenter inquirebant Monomachi, an justam haberent causam. n. 8.*

**I. Q. 1.** Quis censeatur reus, sive provocatus? **R.** Cui certamen indicitur, & qui ad Monomachiam vocatur. Constat ex modo dictis.

**II.** Multùm autem, ut dictum, referebat, an quis provocatus, vel provocator esset; licet enim æqualitas inter pugiles observaretur; tamen quibusdam casibus provocatoris conditio deterior erat. Nam 1. dubiâ victoriâ provocatus absolvebatur, & contra provocatorem ferebatur sententia, provocato verò factis erat se tueri: quia actore non probante in judiciis reus absolvitur. *cap. 11. de R. l. in 6. l. 4. C. de edendo:* Non autem censebatur provocator probasse, nisi vicisset. 2. Friderici Imperatoris quadam constitutione (teste Alciato *cap. 6. de Sing. certam*) provocato permittebatur electio loci, temporis, armorum, iudicis, quoniam, ut ille inquit, favorabilior esset causa rei, qui præter spem ad pugnam compellitur. Contra Jure Longobardo, quò Monomachia erat speciei judicialis probationis, Judex ipse locum, & tempus destinabat, arma verò generaliter constituta erant, ut, exceptò cum de læsa Majestate ageretur, clypeò & fuste certaretur. Alicubi verò de consuetudine provocator diè, campum, stadiique limites bonâ fide eligebat, & territorij iudicem; provocatus verò in ipso

stadio, quò genere armorum decertandum sit, suo arbitratu decernebat. Alciato. Sed ex his

**III. Q. 2.** An provocatus ante certamen debeat provocanti denuntiare, quò armorum genere velit congregari? fuere, qui volebant, ut provocatus tantò tempore electionem armorum à se factam significet provocatori, quantum satis illi esse possit in eo armorum ludo usum aliquem comparare; eò quòd; qui injuriam intulit, liberâ ejusmodi optione sit privandus, sicut, qui spe ad sacram ædem confugiendi deliquit, jure asyli non adjuvatur de jure communi Decretalium *ca. 1. & fin. de immuni, Eccles.* Sed **R.** det. Alciatus, de consuetudine satis esse, si in ipso stadio provocatus provocatori designasset genus armorum, quòd; qui injuriam sibi factam provocatione ulcisci maluerit, omnibus provocationis legibus subijci debeat. Cur enim non potiùs Jure, vel ratione in eum intendit? Id tamen provocatori concessum, ut, si vellet, suis armis, quorum plura genera in id præparaverit, & attulerit, uti posset, modò arma essent ejus paritatis, et si personæ suæ convenientius adhererent.

**IV. Q. 3.** Quantum tempus fuerit Monomachiar destinatum? **R.** Dies naturalis ab ortu solis ad occasum, quo die per provocatum eligendò censebatur provocator promississe, se probaturum suam intentionem, & nisi eo tempore vicisset adversarium, quod sponderat non præstitisse censebatur, atque pro victo habebatur, & contra eum sententia ferebatur; ut non ampliùs tentanda fuerit alea, sicut de provocato, qui, si serò venisset, nec propter ingruentem noctem Monomachiam perfecisset, illi tantum temporis sequenti die substituendum erat, quòd non ideo reus sit contumax existimandus, quia serò venit. *arg. l. 2. ff. Si quis cautionibus &c.* & jure cautum sit, eum, qui tardiùs venerit, Judice adhuc è tribunali non digressò adversus condemnationem integrum restitui: idemque si ante terminum Judex fuerit digressus. *l. Divus π. de integrum restitutionibus.*

**V.** Conformiter resolvit Alciatus antiquâ illam controversiam de Monomachia condita inter Carolum Siciliae Regem, & Petrum Arragonensem (de qua in præcedentibus mentio facta) inter quos convenerat, ut Burdegala in Aquitania decertarent Monomachi pro Regno Siciliae: condita die Carolus in campum descendit, & undecimâ horâ (apud ipsos) cum Sol nondum occidisset, desperans fortè,

fortè, per duellum adventurum unà cum campi Judice discessit, hostemque tergiversantem contumaciæ accusavit: eo digresso Rex Petrus supervenit, parique ipse modò in Carolum invecus est, victoremque se asseruit. Dubitatum fuit, utrius causa esset justior? & si Judice adhuc sedente, adventasset Rex Petrus, dubium non erat, Carolum ipsum contumaciæ damnandum, qui occasum solis expectare debuit: verùm cum Judex recessisset, vix culpa Carolo imputari potuit, ideoque alia dies utrique statuenda erat; quia factò iudicis fuerant impediti: cùmque alia die constituta Petrus venire recusasset, seseq; victorem proclamaret, amplius fortunam non periclitaturus, à Martino Romano Pontifice fuit damnatus, regniq; Jure, de quo ambigebatur, privatus; quia Rom. Pontificis, & Collegij Cardinalitij auctoritate pacti jure jurandò sanxerant, uter victus esset, is Insulâ decederet.

VI. Q. 4. Quid, si provocatus respondere ad Chartam provocatoris recusasset? R. Tunc in jis casibus, quibus permiffa erat Monomachia, contra eum procedebatur, quem admodum in Jüdicijis contra latitantem, & actori respondere renuentem proceditur; in ejus domum provocatoris literæ per nuntium deferebantur, in loco publico, ubi versari consueverat, affigebantur, per præconem, editumque advocabatur, ejus Judici denuntiabatur, ut latitantem moneat: si his non obstantibus latitare pergeret, contumax reputabatur, & ejus opinio apud milites erat levior. Quòd si literas accepisset quidem, sed respondere abnueret, post congruam moram decernebat Judex, nî respondisset, eum infamiâ facti notatum censeri, sique statuta die non comparuisset sinè legitima causa, pro confesso habebatur, & causam amittebat. Erant, qui tales (postquam à Judice contumaces, & pro convictis declarati erant) curarent in tabellam pingi, eorum gentilitia insignia inversa deferrent, vel equi caudæ annecterent. Alciatus. Apud Germanos hujus ignominie consuetum signum erat laciniam, seu mappam, quâ mensa integitur, pro ea parte, ac latitudine, quam talis in decumbendo occupavit, reserari. Besold. *Thef. pract. lit. a. n. 113.*

VII. Q. 5. An ergò, si quis est provocatus per verba: *Wißt du ein chrlicher Keel! und kein Schelm! so kom herauß! und wöhr dich!* & similia, pro tali offensione id haberi possit, ut provocatus honoris sui defendendi causâ

comparere debeat? R. det meritò Besoldus *Thef. pract. lit. a. n. 113.* pluribus relatis, negativè; sed talem salvo integro suo honore emanere posse: quòd si verò veniat & occidat provocantem non puniri poenâ ordinariâ; si autem non occidat, sed vulneret tantum, non teneri civili actione, nec ad expensas curationis, nec ad interesse læso provocato: neque provocantes se ad pugnam in foro poli teneri ad restitutionem, verùm de his nos postea agemus, ubi dicemus non tantum posse emanere provocatum, sed etiam ordinariè debere, neque sinè gravi peccato posse acceptare Duellum oblatum honoris defendendi causâ.

VIII. *Solebant autem viri solertes, inquit Alciatus cap. 7. priusquam quempiam ad certamen provocarent, diligentissimè animadvertere, num certam, justamque causam foverent.* Passim enim opinio invaluerat, eum, qui injustè in stadium descendat, succumbere; illud perpetij re Colebant:

Frangit, & atrollit vires in milite causa,

Quæ nisi iusta subest, excurit arma pudor.

At inania hæc sunt: quia Deus nullibi promissit, quòd illi, qui justiore causam fovet, velit ultra vires naturæ per miraculum succurrere, & non potiùs suum naturæ cursum relinquere, ut vincat, qui fortior, & dexterior, & non, qui justior est. Neque auxilium Dei sibi promittere potest is, qui Deum gravissimè offendit, quòd sit per susceptionem Monomachie, quæ, ut postea dicetur, contra Legem naturalem divinam, & humanam est.

## §. XI.

### De Patrini.

1. *Qui sint patrini, & quod eorum officium. n. 1. & 2.*
2. *Ab his fors Monomachie multum pendet. n. 3.*
3. *Exempla. n. 4. & 5.*
4. *Ipsi inter se patrini non pugnant. n. 6.*
5. *Altercatio Jasonis, & Curtij Clorum. n. 7.*

I. Q. 1. Qui sint Patrini? R. Sunt Magistri, seu Advocati Duellantium, homines qui in re militari magnam habent opinionem, armorumque peritiam profitentur.

II. Q. 2. Quod eorum Officium? R. Operam suam Duellantibus navant, ut, si qua controversia, vel ambiguitas incidat, ipsi absque Duellantium rixa inter se definiant, armorum æqualitatem prospiciant, stadium rectè, ne cuiquam fraus fiat, constituant, ultrò, citròque committent pugnatores ante

con-



congressum Confilio instruant, in ipso campo certaturos excutiant, ne secum quidquam habeant, quod per Leges ( Monomachia ) habere minus liceat. Verbô : id in hoc armorum certamine agunt, quod in Judiciis advocati solent.

III. Ab his plurimum fors Monomachia dependet, quemadmodum ab Advocatis causae Judiciales, & saepe Monomachus victoriâ, & salutem Patrini dexteritati in acceptis tulit.

IV. Memini à quodam S. R. Imperij Nobili Viro mihi narrari, quod incautus quondam Juvenis temere se se ejusmodi Duello implicaverit, & alium, armis, & arte palæstræ expertissimum provocaverit ipse tractandi ex arte gladij imperitus : in domum sui hospitij reversus ( Regiones exteras tum peragrabat ) rē cuidam sibi familiaritate addicto artis pugnandi peritissimo Lanistæ aperit, qui cum adversarium nōisset, temeritatem obstupescens, conclamatum, ait, de tua salute, ni astutem aggrediamur : rem proinper septimanas aliquot protraxerunt, interim clientem suum Lanista ( nam in patrinum ab eo rogatus fuerat ) ijs, queis posset, dexteritatibus instruit, & ( quia peritia Lanistæ tractandi arma omnibus erat notissima ) famam spargit, se in patrinum rogatum ac hoc nobili, ejus dexteritatem pugnandi in pugna umbratili esse exercitissimam. Elapsô terminô educit clientem in campum, præmonet, ut cautè se tueatur per binos congressus ; in tertio congressu se clamaturum ; *Quid moraris ? exere artem, & sterne adversarium* ; quo audito ille vibrationibus nescio quid minetur. Dictum factum : Adversarius famâ occupatus, sibi cum pugile exercitissimo rem esse ratus, se duntaxat tueri, sibi que attendere, omnes illius ictus minus bene intentatos datâ opera ad fallendum ita formatos credere ; ad clamorem Patrini in tertio congressu adhuc cautius sibi cavere, ut sic Monomachia sine gravi sanguine fuerit terminata.

V. Sed & illud contigisse scio, Patrinum quempiam animô sui Principalis Officium bellicum prensasse, ideoque sclopiam ita onerasse, ut exonerari ab eo haud potuisset, sprefretus, ut illo occiso ejus sibi munus conferretur, sed spes ipsius frustrata est, dum ante certamen ( ut fieri assolet ) omnes sclopi exonerati, & recenti pulvere, glandibusque alijs fuere à Patriais instructi.

VI. Deum immortalem ! quantas Machinationes mutuam in perniciem homines ad-

hibent. Sæpè contingit, ut ipsimet inter se Patrini altercentur ob clientium suorum defensionem, & sese quoque ad Monomachiam provocent, inde orta erat quæstio. an Patrini ab altero Patrino provocatus detrectare certamen posset ? Responsum fuit à prudentibus, detrectari posse, & neque volentibus permittendum esse, ut ipsi pugnent, neque à Principe ipsis securitatem campi esse concedendam ; & quidem meritò, quia non oportebat ex litibus lites conferri, & neque Jure Civili contra Advocatum, Procuratorem, Tutorem unquam actio judicati datur *L. 4. ff. de re judic.*

VII. Refert Alciatus hoc eventum : cum coram Sfortia Mediolani Duce duo Magni Nominis Juri Jason, & Curtius in ardua causa patrocinarentur, mirari que se Dux dixisset, cur ea in controversia tanti viri in diversas irent sententias, cum tamen necesse esset, alterutrum injustam fovere causam : Respondit Curtius ; *atqui optime Dux, justissimas ipse partes tuor, sumque vel 1000. aureos, missita sit sponsione, vel Sacramento depositurus : Cui Jason, cum duorum aureorum honorario conductus operam prestes, audeâque vel 1000. in iudicij eventum perdere, scireque debeas, Jure nostro in advocatos executionem nullam fieri, qui non de sua, sed alieno litigant, satis indicas, te nullius iudicij hominem esse, & sicut hac in re imprudentiam tuam Principi notam fecisti, ita hinc ille argumentum fortissimum accipere potest, te nec in causa Principali, quid iuris sit, discernere.* Risit Dux Advocatorum hanc altercationem, falsusque est, nullam in ipsos executionem dari.

IX. Illud autem inter hos Monomachia, & illos Judicij advocatos discrimen interjacet, quod illi licitè, & cum virtute suis clientibus, si modò injustam causam non foveant assistere valeant : hi verò, uti clientes graviter delinquit, privata auctoritate sese ad arma concitantes, ira & ipsis assistentes, & æquè ac illi Excommunicationem incurrunt ; ut dicetur in sequentibus, Compositionem tamen facere possunt, & facere tenentur. &c.

## §. XII.

### De Exceptionibus.

1. *Exceptiones dilatorie unde petita. n. 1.*
2. *Cautionibus de securitate non factè credendum. n. 2.*
3. *In loco inhonesto, vel apud Turcas, & infideles non pugnabatur. n. 3.*
4. *Exceptiones peremptorie petita à persona provocati. n. 4. & seqq. s. 4.*

5. *A persona provocati. n. 7. & seqq.*  
 6. *Vituperio est homini ad literas incumbenti delectari armis. n. 7.*  
 7. *Belli Dux non debet se, & Officium Monomachiae obijcere: hujus Recusationis Exempla. n. 7.*  
 8. *Imparitas Nobilitatis non impediēbat Monomachiam. n. 8.*  
 9. *Antiqui Tituli Principum, & Magnatum. n. 10.*

**E**Xceptiones, ut §. 7. dictum, aliae sunt Dilatoriae, quae Monomachiam differunt, aliae Peremptoriae, quae eam omnino tollunt. De quibus Alciatus *cap. 17. & seqq.*

I. Q. 1. Unde petita fuerint Exceptiones Dilatoriae? R. A tempore, loco, & Judice. *A tempore*: sic diebus festis impunè recusabatur Monomachia. *A iudice*; ut, si Provocator Judicem sibi suspectum assereret, & reum doli insimularet, quod non bonà fide elegerit hunc Judicem. *A loco*; ut, si locum non tutum, & à reo malà fide electum assereret provocator.

II. Quamvis enim etiam in hostium castris nonnulli audaces pugnaverint, non tamen cautionibus de securitate facilè credendum. Exempla hæc refert Alciatus *cap. 17.* Hannibal impunitatem militi Romano, qui cum Elephante se comitteret, promisit, & tamen victorem cum manubijs domum redeuntem per equites interceptit. Alphonfus Terracoenensis, cum ex Proceribus quemdam odiò prosequeretur, & ad se per nuntium accersitum arbitraretur non venturum, aucupij prætextu cum magno Falconum, & Accipitrum numero proximè ad arcem, in qua is habitabat, accessit, &, ut ad se veniret, impunitatem illi fide publicà sub jurisjurandi Religione spondit: mox credulum, & nequicquam Deos invocantem cruci affixit hoc cavillo. *Cum tu sepius fidei mibi sefelleris, in quo animo pati non debes, si semel, & nunc tantum, quod tecum pactus sum, non observem.* Innumera alia lubricæ fidei monumenta Historiæ exhibent.

III. *A loco turpi*, & inhonesto quoque dabatur Exceptio, ad quem accedere actor non tenebatur, uti neque ad loca inculta, & deserta, qualia sunt Alciato Sylva Hercinia in Germania, Arduenna in Gallia, in quibus potius Latrones, ut ait, decertare solent. Item cum Judex Duelli esset, qui securitatem agri promisit, si provocator neminem ex Principibus Christianis inveniret, qui Jus in agro suo pugnandi fide sua exhibere vellet, non poterat sub hoc protextu reus provocatori locum pugnandi designare apud Turcas, vel

Saracenos; neque coram infideli arbitro, & Judice Judicium hoc subire quisquam tenebatur, cum quibus Christianis commercium interdicitur. *Cap. 16. & 18. de iudicis & Saracen.*

IV. Q. 2. Unde petita fuerint Exceptiones peremptoriae? R. A Persona Provocatoris, & à Persona Provocati. à Persona Provocatoris; quia Provocator esse non poterat *homo infamis, scelestus, transfuga, seditiosus, perjurus, Leno &c.* (non verò excludebatur Spurius, qui tantum alienà culpâ laborat, si cætera vir probus, & manu promptus, benèque educatus esset) quemadmodum in Judicio Accusatorio non admittuntur ad accusandum infames, & criminosi, de Jure Canonico *can. 18. causa 2. q. 7.* & de Jure Civili saltem *notati infamiâ juris L. 4. ff. de accusationibus.* Quamvis autem in Jure sint quædam crimina excepta, ad quæ accusanda quilibet admittitur, ut crimen *Læse Majestatis, Perduellionis &c.* tamen hujusmodi viros criminosos ad Monomachiam admitteudos non esse vult Alciatus *cap. 18.* in qua non de accusatione duntaxat, sed etiam de criminis ipsius probatione agitur: de L. Longobarda verò per campionem pugnare debebat. Idem erat si Provocator post Provocationem notaretur infamiâ, nam tunc provocatus non tenebatur cum eo ad Monomachiam progredi: quia promissioni suberat conditio, si *honestus vir permanseris.*

V. Sed neque eum ad Monomachiam admittebant, qui semel hoc pugnae genere victus fuerat, *nisi nova querela, & suam, suorumque injuriam ulcisci vellet*, quod is ceu Judicio Divinò damnatus inevitabilem calumniæ maculam sibi inuisse censeretur. Excipiebantur armillati, qui virium ostentandarum causâ, & ij, qui amoris furore acti decertarunt; quod hi Divinò Judicio calumniæ rei dici posse non viderentur, qui ea de re certarunt, de qua Judicium nullum esse poterat.

VI. Illud etiam more militari introductum erat, ut is, qui aliquem provocasset, interim, antequam Monomachia cum hoc perficeretur, alium provocare non posset.

VII. *A Persona provocati* dabatur exceptio; si is exciperet, se esse inter eas personas, quæ provocari non possent; cujusmodi erant 1. Clerici, postquam iis specialiter prohibitum erat, ne in Monomachia pugnent, aut pugnantibus spectatores adsint. *Cap. 1. de Cler. pugn. in Duell.* quapropter in urbibus, quæ Summo Pontifici, aut Sacris Antistitibus subjiciuntur,

D d

non

non concedebatur unquam *Monomachia*; & absurdissimam, atque de albo abolendam vocat *Alciatus cap. 24.* legem Longobardam, qua, si Ecclesia aliquam controversiam haberet, cum adversario per Duellum litem dirimi iussit, liceréque Sacerdotibus optionem, seu championem constituere, lanxit; *cum sciam, inquit, non licere Casari quidquam de rebus ad Sacerdotes pertinentibus statuere.* 2. *Literarum*, & artium liberalium Doctores & Professores; potest enim Doctor provocanti ad arma respondere: *sicut tu me tuis armis ad certamen provocas; ita ego te provocho meis armis ad meam arenam;* Id est, *coram magistratu, libris, & doctrinâ pugnabo;* dicetque cum Cicerone: *Cedant arma toga, concedat laurea lingua:* non enim honoris, sed vituperij est homini, cujus finis est ad literas incumbere, si ad armorum rixas velit convolare: & temeritas est, non generositas, quâ quidam juniores adhuc studiosi ad arma ruunt, quibus rixosè vivere volupe est; declinant enim à *sine*, quem sibi præfixum habent: quanto magis id viro gravi *literarum* curis implicito inhonorificum est. Etenim res quæcunque, in quantum à *sine suo* recedunt, vituperium; in quantum ad eum propius accedunt, merentur laudem; & sicut non laudaretur miles, qui continuo in libris hæreret, nec strenuus foret manu ad pugnam; quia à *sine* militis aberraret, & ad finem hominis literati accederet; ita vicissim non laudandus, qui, cum studiis se addixerit, laudem in armis quaerit: militiæ det nomen, qui ab armis honorem expectat. 3. Filius familias, quem Pater congregari prohibuisset; cum filius Jure naturali, & Divino Patri obsequi debeat; quamvis centuriones Patriam potestatem parùm curent, sed disciplinam castrorum. *cap. 26.* 4. Belli Dux, qui non debet munus, & officium sibi demandatum periculo objicere, & deserere, sed consiliò magis, quam armis propriis hostes superare. Cum P. Scipio tanquam parùm pugnax incularetur, Mater me, inquit, Imperatorem, non militem genuit. Et C. Marius Cimbricò bellò Teutoni provocanti respondit, *posse eum laqueò vitam finire, si cupidus mortis esset:* Sic Augustus M. Antonio, à quo provocabatur, respondit: *satis multas illi ad interitum parere vias.* Sic Ferdinandus Davalus (exempla Alciati sunt) cum Comum urbem à se obsessam in fidem à Vandanesio, qui eam turbabatur, accepisset eâ conditione, ut salva sibi, militibus, & civibus sua omnia essent; at miles Hispanus urbem ingressus, frustra ob-

nitente Davalo, diripuit; quod iniquissimò animò ferens Vandanesius protinus literas dat ad Davalum: *quod urbem Comum adversus patrem mihi tecum inita diripueris, diripere à militibus permiseris, avarè, perfidèque fecisti.* Has literas nec responsione quidem dignatus est Davalus, & omnium consensu salvo honore id factum esse responsum. 5. Quicumque aliud justum impedimentum habebat, ut, si ex *Monomachia grave damnum exoriri posset bono publico;* vel si mala valetudine esset provocatus; aut esset provocanti valdè impar, ut, si juvenis senem, si integer membris claudum, luscum, vel alio membrò mancum provocaret.

Crassus quidam cum macilento contendit, se, deposito pignore, illum cursu præventurum; cumque in æquali meta constituti essent, omniaque stadio pararentur, crassus pignus depositurus petit, ut macilento, priusquam cursum auspicerentur, tantum ponderis annexeretur, quanto ipse propter abdomen illo gravior esset: par pari referens macilentus, e contra ventriosum inediâ, & fame ita macerandum, subductò cibò, ajebat, donec levior factus æquali lance secum certare posset. Secus erat, si provocator captus oculò integrum provocaret; sibi enim imputare debebat, qui sponte elegerat, ut hunc provocaret.

VIII. Nobilitatis, & Dignitatis imparitatem nihil ad *Monomachiam* facere contendit *Alciatus cap. 30.* ut, si gregarius miles provocasset officialem, is non ideo *Monomachiam* rejicere poterat, quòd miles gradu dignitatis sit inferior, cum *Monomachia* esset species probationis, cui Deus præsidere credebatur, apud quem pares omni Jure agant: dein licet alij sint potiores sanguine, quos parentes nobilitant, & qui progenitorum laude duntaxat sunt gloriosi, de quibus Poëta canit:

*Et genus, & proavos, & qua non fecimus ipsi,  
Vix ea nostra puto.*

Alij tamen honoribus, & dignitatibus à Principibus collatis præcellunt, alios fama virtutis illustres fecit; unde Cicero Salustio, qui ipsi ignobilem parentum conditionem objecerat, respondit; te parentes nobilitarunt, ego parentes meos nobiles reddo.

IX. Præterea cui Jure naturali, vel Civili honor debetur, provocari ad *Monomachiam* non poterat, ut sunt Parentes respectu liberorum, Patroni respectu Vasallorum, Domini respectu Subditorum, Magistri respectu Discipu-

pulorum, quos in armis instruxere, quos provocare nefas est; neque privignus vitricum, seu matris suæ maritum, neque avunculum quis provocare poterat, neque illos, qui ob magnos honores in observatione subditis esse debent, quales sunt Consul, Præfectus, Prætor, Potestates Urbium, Duces exercituum, tribuni militum, Capitanei, cohortium præfecti.

X. Quanta autem inæqualitas esse deberet, non conveniebant antiqui, sed ferè erant quot capita, tot sententiæ, de quibus per *seqq. capita* disputat cit. auctor, ubi agit de dignitatibus Imperatoris, Regum, Ducum, Comitum, Baronum, Capitaneorum, & *cap. 23.* ponit 4. dignitatum (sui temporis) gradus, qui sunt *Superillustrès, Illustrès, speciosi, & Clarissimi*; *Superillustrès* vocat Romanum Pontificem, & Imperatorem, quibus adjungit Regem Galliarum. *Illustrès* vocat Reges cæteros, quibus adjungit Duces, qui Superiorem non recognoscunt. *Speciosos* vocat alios Duces, & Marchiones: *Clarissimos* denique vocat Comites, Barones, Capitaneos, quos & *Valvasores* nuncupat: qui tituli nostrò ævò aboliti sunt.

### §. XIII.

#### De Procuratore, & pugnante pro alio in Monomachia.

1. *Etiam per Procuratores Monomachia certatum.*  
n. 1. *§ seqq.*
2. *Requisita ejusmodi Procuratoris pugnantis pro alio.* n. 4.
3. *Etiam ultrò poterat quis pugnare pro consanguineis, familiaribus &c.* n. 5.
4. *Exemplum.* n. 6.

I. Q. 1. An permissum fuerit, ut quis Monomachiam per Procuratorem, sive aliū sibi substitutum subiret? R. 1. In Judicio criminali quando agitur de poena capitali, & sanguinis, utroque Jure rejicitur procurator. *can. 2. caus. 5. q. 3. L. pen. ff. de publicis Judiciis.* cum æquitas non sinat, ut procurator innocens, si causam perdat, subjiciatur illi supplicio, cui pars, pro qua agit, subjicienda foret, si ipsa præsens causam cecidisset. Quidquid sit de questione, an hodiernò stylò actor per procuratorem accusare possit; nam id duntaxat toleratur, ubi Talio ab accusatorio Judicio recessit.

II. R. 2. In hoc tamen Monomachia à legibus Judicij criminalis recesserat, & Procu-

ratorum, (Campionem vocabant) admittebat: tanta erat hominum fundendi sanguinis, & in semet mutua digladiatione bacchandi vesania, ut essent, qui Procuratores se constitui sinerent, & pro alio vitam, sanguinem, membra venalia extremo periculo objicerent.

III. Quin lege Longobardà, & Federici apud Siculos constitutione observabatur, ut, quoties provocatus justam Exceptionem allegabat, quò minus ipse pugnare posset, quòd e. g. justè esset impeditus, quòd Provocator sibi esset impar &c., teneretur uti Vicariò pro se pugnante, ne alioquin pugna differretur, & delicta impunè perpetrata viderentur, ut habet *Alciatus cap. 35.* ubi verò Leges illæ non vigeant, nemo invitus per Procuratorem pugnare compellendus erat, quia, cui Jure exceptio dilatoria competit, is non cogitur per Procuratorem litigare, & justè talis provocatus timet salutem, honoremque suum alienæ virtuti committere.

IV. Requirebatur autem in ejusmodi Procuratore Monomachia 1. Ut adversario, cum quo luctaretur, esset æqualis. 2. Ut nulla esset aspersus infamiâ. 3. Ut nondū esset aliàs Monomachia victus. 4. Debebat jurare, se arbitrari, illum, loco cujus pugnaret, justam fovere causam. 5. Quidam etiam requirebant, ut non esset in statu peccati mortalis, ne propter hominem malum, & Deo invisum alii, quorum interest, quidquam mali parentur: Alijs verò hoc curæ non erat, sed sufficiebat, si modò aliqua labe infamis apud graves viros non esset, mortalium peccatorum cognitione Theologis relicta; eò quòd, qui eum elegit, sponte id fecerit, & à nemine sit Coactus criminofum optare; alter verò, contra quem pugnaturus esset, non habeat, quod objiciat, cum culpa alterius ipsi non noceat, sed ipsimet criminofum superùm vindictam impendere faciat.

V. Q. 2. An quis ultrò potuerit pro alijs Monomachia pugnare, eorumque causam suscipere? R. Potuit pro defensione agnatorum, familiariumque suorum, item pro amicis, comitibus viæ, clientibus &c. Pro extraneo verò, & qui nihil attinebat ad certantem, tum demum fas erat arma capessere, cum is Lege Longobardà Procuratorem constituere posset, ut, si furiosus esset, vel infans, vel sacris initiatus, vel mulier adulterij rea, aut quam adversarius strigem, seu lamiam, vel maleficam dixisset &c.

VI. Extat in annalibus, inquit sæpius ci-

ta-

tus Alciatus, cum in Francia à duobus accu-  
fatoribus Matriona quædam correpta esset,  
venisse militem quemdam Barchinonensem  
unà cum Comite; cumque in ipso stadio se in  
fugam Comes dedisset, nihilominus animi  
constantia, & virtute solum illum duobus  
congressum victoriam extorsisse, incogni-  
tùmque & dissimulatò, unde venerat, habi-  
tu in patriam reversum: Quando verò aliquò  
provocatò, alius pro eo pugnaturum se pro-  
fitebatur, tunc nisi provocatus in ea causa es-  
set, ut per Procuratorem certare posset, li-  
berum Provocatori erat, eum rejicere, & il-  
ludictorum proverbium obijcere: *Quantum*  
*ad te attinet, liberas ades habeo. L. loci ff. si ser-*  
*vitus vindicetur.*

### §. XIV.

#### De Stadio, & Fine Monomachia.

1. In ipso stadio observari solita. n. 1. & 2.
2. Que arma eligere fuerit permiffum. n. 3.
3. Fines Monomachia. n. 4. & 5.
4. Strenui victores liberaliter habent captivos, in quos servire, barbarum. n. 6.
5. Exemplum. ibid.
6. Victor domum deductus. n. 8.
7. Diogenis parenesis ad abstinendum à Monomachia. ibid.

**Q**uid in stadio, & fine Monomachia  
observari consueverit? Redit Alci-  
atus, has cautiones fuisse observatas. 1. Ubi  
ad stadium ventum, cavendum erat, ne, dum  
eminus se conspiciantur Monomachi, alter  
alterum convitiis incelleret; 2. sedulo cave-  
bant periti pugnatōres, ne ab ea parte consi-  
sterent, quā ventò aut soli obnoxij essent; quia  
Sol oculos perstringit, & visum eripit pugnae  
dirigendæ necessarium; ventus verò adver-  
sus vires minuit, animam strangulat, hostium  
contra se missa tela adjuvat, sua retinet, pul-  
veres in oculos spargit &c. 3. Si cui inter pug-  
nandum arma decidissent, non tenebatur ad-  
versarius expectare, donec ea reassumeret, sed  
si resumentem ferire posset, id concessum e-  
rat. 4. Qui eques certabat, si equò desilire  
vellet, poterat, sed si descendendò vulneratus  
fuisset, sibi imputare debebat. Licebat quo-  
que ferire ipsum equum, utpote potissimum  
hostis instrumentum. 5. Si arma inter pug-  
nandum fuissent contracta, non concedeban-  
tur alia, nisi ita conventum fuisset, aut nisi  
plura arma ab eo fuissent in stadium allata;  
cum enim poterat ad ea currere, nisi ab adver-

sario instante arceretur, & ea accipere; arma  
autem è manibus amittere probrosum erat,  
nisi statim virtute bellicâ recuperarentur:  
quod à M. Catonis filio in bello Macedonico  
cum laude factum, submotis interim umbone  
hostibus.

II. Ne autem temerè in Monomachiam  
prorueret quispiam, præsertim eò ævò, quò  
tantopere exercita erat hæc pugna, oportebat.  
1. esse peritum sciamachia, & artis pugi-  
latûs, aliorumque armorum tractandorum.  
2. Oportebat fidorum hominum operâ uti,  
ne, quibus armis oblectaretur, & quorum ma-  
xime tractandorum peritiâ polleret, adversa-  
rio proderetur, indeque ille instructior in pug-  
nam prodiret; sicut enim in πολυμαχία plu-  
rimum ad victoriam confert, hostium consi-  
sia explorata habere, ita etiam in μονομαχία.  
3. Studebant nôsse naturam, indolem, tempe-  
ramentum, studia adversarij sui; qui enim  
sanguine abundant, & bile, celeres; qui cho-  
lera, & pituitâ tardi, fortes, & constantes esse  
solent. 4. Multum referebat, ut arma in-  
duerent apta corpori, & quæ nec nimis stricta  
coarctarent pugilem, nec nimis laxa, aut pon-  
derosa impedirent agilitatem, & gravarent:  
*cognovi*, inquit cit. Auctor, *strenuus equites, qui*  
*dum nimium elegantia student, armis conclusi vi-*  
*ctoriam amiserunt*, 5. Is, ad quem armorum  
optio spectabat, cautè solebat eligere arma  
suis viribus convenientia, adversario verò  
non æquè idonea; si procerus, & viribus ro-  
bustus esset, qui optionem armorum habebat,  
adversarius verò staturâ parvus, sed dexteri-  
tate, & agilitate pollens, arma gravia præscri-  
bebat eligens, ut ceu equiti cataphracto, vel  
loricâ induto adversario certandum esset: vi-  
cissim parvus corpore, sed agilis, si penes ipsum  
optio armorum esset, levia, & agilia e. g. pu-  
gionem seligebat &c. permiffum quoq; erat  
procero homini nudato capite certamen eli-  
gere, ut hõc modò pusilli conditionem dete-  
riorem faceret.

III. Arma autem ea poterant eligi, quæ ju-  
stis militibus in acie usui esse possent, ex quo-  
cunque genere ea essent, ut pugiones, gladij,  
enses, lanceæ &c. non autem sagittæ; *cum*  
*enim*, inquit sæpè cit. Alciatus, *Pontificum Rõ-*  
*manorum constitutionibus cap. 1. de Sagitt. Sagitta-*  
*riorum, balistariorumque ars sub Anathematis penâ*  
*exerceri prohibita sit, non videtur iusta teli electio.*  
*Quod multò magis in sulphurariis hisce sclopis de-*  
*scendum est, fusilibusque machinis, quas mali da-*  
*mones in perniciem gentis humanæ invenere. La-*  
*pidibus*

alibus vero decertare erat permiffum; nam in antiquorum exercitu, & funditores erant, & balearici. Ita Alciatus. Noſtrō ævō atrociora ſunt Duella; quæ ex ſola ferè libidine vindictæ in perniciem adverſarii contra omnia Jura, non Divina duntaxat, & Naturalia, ſed etiam humana, tam Pontificum, quàm Principum, & Magiſtratum ineuntur.

IV. Finis tandem Monomachiz erat, ut vel alter periret, vel ſe dedititium fateretur; ante id factum, licet alter videretur ſuperior, non dicebatur alter ſuperatus; ne nova lis, uter victor eſſet, enaſceretur; qui autem dedititium ſe fateretur hōc ipſō Judiciō Divinō victus, & injuſtè dimicaffe cenſebatur, & intentio victoris pro vera habebatur; permiffumque erat victori ejus arma, Vexilla, Epheippia, Armillas ſibi habere. Sic cūm Otho Vicecomes cum quodam Saraceno in Aſia certamen haberet, illumque manu captum confodiſſet, confoſſum Galeæ ornamentō privavit, idque gentilitiis ſuis inſignibus addidit; hoc erat viperæ vix natum, & adhuc manantem ſanguine infantem ore evomens, ab Alexandro M. acceptum emblema. Sic & Rex Siciliæ Carolus, cūm Hungariæ Regem ſtraviſſet, occidiſſetq; Elephantis caput, & pectus ab eo acceptū gentilitiis ſuis adjecit.

V. Dedititios autem Duelli in ſervitutem redigere & mancipia facere nefas erat Chriſtianis, quibus legis inſtar erat communis obſervatio, ne quemquam Chriſtianum mancipium habeant, ſed ſtatim manu mittant.

VI. Quin ſtrenui victores ejuſmodi captivos liberaliter habebant (ſervire enim in captos Barbarum eſt) & etiam muneribus donatos abs ſe dimittebant ſolā virtutis opinione, & famā contenti. Sic & Philippus Vicecomes Dux Mediolani, qui Alphonſum Neapolis Regem, duōſque ejus fratres cum omni Hiſpana Nobilitate apud Cajetam captos, non ut hoſtes, ſed hoſpites, & amicos, habuit, & memorabili omni ævō exemplō honoratos, & muneribus ditatos in Regnum dimiſit, quod ipſi deinde magno uſui fuit; nam lapſis ſuis rebus, & adverſa ingruente for-

tunā unicum Alphonſum Philippus amicum habuit, qui ipſi ſuppetias impigre ferret: Alii tamen dedititios hoſce non niſi lytrō, ſeu redemptionis pretiō dimiſerunt, aut ſaltem expenſas Monomachiz ab ipſis exegerunt, donec dimitterentur.

VII. Quod ſi pactum fuiſſet adjectum, quō victori in victum omne jus concedebatur, ſicut oli in mancipia bellō capta ſervata, ideōq; ſervos dicta, tale pactum non cenſebatur obligatorium tanquam contra bonos mores.

VIII. Demum qui victor è ſtadio exceſſerat, eam ſolebant, inter tubicines, varios cantus, & in omni gaudii genere domum deducere: qui honor tanti æſtimabatur apud Græcos, ut conſtet aliquos parentes nuntiō de filiorum victoria allatō præ lætitiis fatō functos eſſe. Pleraque hæc leges apud Alciatum: qui ſuum de ſingulari certamine Tractatum claudit exemplō Diogenis; qui cūm Cicermum è victoria Paneratij redeuntem, Coronā caput ornatum, palmam manu gerentem (ſequente maximā gratulantium multitudine) conſpexiſſet: quænam te cauſa, inquit, ſupra cæteros effert? Cūm Reſpondiſſet, omnes ſe colluctatione ſuperāſſe: age, reponit Diogenes, fortioresne, an pares, an imbecilliores viciſti? non ſunt te fortiores, nec tibi pares, cūm tu major illis ſis inventus: ſequitur ergō, ut, qui ſuccubuerunt, inferiores ſint: atqui & ego eos, qui me debiliores ſunt, facile vincam; nullum enim hoc operæ pretium eſt. Mitte igitur inhonoratum hoc certaminis genus, quō vires tuas experiris, quæ vel modicā ægritudine, vel levi caſu, vel ſaltem ſenectute quam primūm comminuentur, & adverſus animi vitia pro virtute contendē, atque libidini, gulæ, luxuriæ, ambitioni, ſuperbiæ, caſtitatem, parſimoniam, exilium, tolerantiam, humanarum rerum contemptum opponē, in hiſque fortitudinem animi, & induſtriam tuam exerceto, ſic enim beatus eris, & miſeram hanc vitam nihili facies.

Quibus auditis Cicermus palmam, & Coronam abjecit, fautoresque, & Comites miſos fecit, atque Philoſophiam ſecurus eſt.

## S E C T I O II.

De

### Superſtitionibus, & invulnerabilitatibus, boni Veſtigien apud Monomachos, & Milites.

**A** Nnectimus hanc Sectionem; quia frequentes ſunt ejuſmodi ſuperſtitiones Monomachis, militibus, & ijs, qui rixis delectantur, ac pugnis, multoſque Dæmon incautos per has Superſtitionum nugas dementat, & in perniciem trahit.

E e

S, L

## §. I.

Varia Monomachorum superstitiones, & an detur Medium Naturale reddendi aliquem invulnerabilem?

1. *Monomachi varijs ex signis futuri certaminis eventum querebant. n. 1.*
2. *Græcorum Athletæ contra magias usi sunt Phylacterijs. n. 2.*
3. *Quæ Romani etiam puerulis suspendunt. n. 3.*
4. *Ejusmodi superstitiones etiam Christiani adhibent. n. 4.*
5. *Exemplum. n. 5.*
6. *Honestis tamen viris semper exose. n. 6.*
7. *Impenetrabilitas naturalibus medijs nunquam procuratur. n. 7.*
8. *Sed ope Dæmonis. n. 8.*

**I.** **V**ARIA in Monomachiis interveniebant Superstitiones; solebant enim Monomachi ad stadium destinati *Onirocriticos*, id est, somniorum Expositores, *Astrologos*, *Physiologos*, *Herbarios*, *Magos*, aliosque id genus homines consulere, & futuri eventus præfagia, ac remedia quærere, unde magni quæstus ejusmodi hominibus Divinatoribus surgebant. *Ex astris* horam observabant, quâ quisque in lucem prodisset, & inde omen certaminis futuri conjecturabant. *Ex somnis*, Si animal aliquod in somnis fuisset objectum, ex ejus motu, insultu, defensione futuri eventus omen capiebant. *Ex Physica*, si quis *Alectoriam* (lapis est, qui ex ventriculo Galli Gallinæ oritur, ein *Rappannen-Stein*) ore continisset, eum aiebant, Monomachiâ insuperabilem; alij invictum fore somniabant, si in capite Emblemata habuisset, quod arietis Sigillum nuncupabant. *Ex Herbis Hypericon* potentissimum amuleti genus esse existimabant, quam herbam alij S. Joannis vocant, alij fugam Dæmonum, quod ad vim carminum amoliendam plurimum conferat. Fuere & qui stadium ingressuri limen saltu transilirent, quod multorum opinione receptum esset, magicis Artibus cantamina fieri, quibus is teneatur, qui limen pede calcasset, quod, si solvendi, vel potius declinandi pacti Dæmonis causâ factum fuit, *culpâ videtur carere.*

II. Græcorum Athletarum fuit consuetudo, inquit Delrius. *L. 1. cap. 4.*, uti Philacterijs ad victoriam, ne neceterijs magicis superaret Adversarius: nam & neceteria, & Phylacteria ob victoriam fiebant, & de collo pendentia gestabantur.

III. Cunctis autem nota Romanorum gentilium consuetudo, qui soliti puerulis de collo res turpiculas suspendere præfiscinè, ut dicebant, ne fascinarentur; unde, & fascini nomen inter obscœna relatum. Hæc Delrius.

IV. Sed & inter Christianos (Pseudochristicolos dicere debueram) haud rarò reperuntur, qui arte magicâ auxilium per impenetrabilitates aliq; ejusmodi vana media petunt à Dæmone per expressa, aut saltem implicita pacta, ut experientia quotidianæ testantur: Præsertim autem apud Monomachos, Milites, & eos, qui rixis gloriantur, ejusmodi Superstitiones invalescunt, quibus se impenetrabiles reddere satagunt.

V. Mihi quidam Nobilis magni Nominis retulit, se ad ejusmodi certamen cum procederet eques, sclopis manualibus certaturus, cum rem sibi esse cognovisset cum homine ejusmodi artibus dedito, accepisse secum in vasculo aquam ab Ecclesia benedictam, cumque in loco certaminis consisteret, oculos sibi fuisse obnubilatos, quasi nebula ante eos hæreret, ut adversarium vix conspiceret: at cum aquâ benedictâ oculos perlivisset, naturali visui esse restitutum, & prostratò sclopi exoneratione adversarij equò cum fessore, victorem discessisse.

VI. Semper autem honestis, & magnanimis viris ista tanquam infamia fuere exosa. *Legge Longobardâ* adversus ejusmodi magicas artes hoc adhibebatur remedij: prohibebatur pugnaturus suspensas membris herbas, aut alia amuleta in stadium deferre; debebatque à Judicibus, vel Advocatis prius excuti, & si quid ejusmodi repetum esset, abijci; & insuper jurejurandò cogebatur sancire, nihil se penitus procurasse, quod ad maleficas artes pertineret.

VII. Q. An detur naturale medium, quo quis se (vel sua animalia, ut canem, equum &c.) possit impenetrabilem, & invulnerabilem reddere? R. Non datur ejusmodi mediū naturale, sed talia nonnisi per pactum cum Dæmone expressè, vel implicite per vanam, & superstitionis observantiam initum, frunt; adhibentur enim tales res, quæ ad hunc finem sunt improprietate; e. g. gestant interulam lineam horrendis imaginibus pictam, quam vocant, *indusium inferni*, vel per apta quaedam variis characteribus magicis insignita: aut orationes (quas blasphemè & mendaciter tribuunt D. Leoni, vel Car-

lo M.) insignitas magnis Dei nominibus gestant. Gaspar Schottus *Phys. curios.* vel vocant varia schediasmata: quæ omnia nullam habent virtutem ad hoc, ut cutem, & carnem hominis ita indurent, ut lædi non queant, neque ulla hætenus talis virtus in herbis ullis, vel aliis naturalibus corporibus inventa est, quæ hunc effectum præstet, neque reperiuntur est Physicus, & rerum naturalium explorator, qui proportionatum medium ad hunc finem in thesuro rerum naturalium invenisset.

VIII. Quare quodcumque fit, ut quis non vulneretur, id non fit alicujus medij naturalis viribus, sed operâ Dæmonis vulnus impediens. Certè si ejusmodi virtus in naturæ operibus lateret, ea, cum hominibus incognita sit, à Dæmone deberet applicari. Nugæ quoque sunt, & mendacia, quibus Dæmon rudes quosdam per suos assèclas dementat, dum dicunt, se accepisse ejusmodi remedia contra vulnera à religiosis viris; utpote qui, si abhorrentia ab Ecclesiæ ritibus media adhibent, sinè superstitione adhibere non possunt: in Ecclesiæ ritibus autem talia remedia contra vulnera non extant.

## S. II.

### Quomodo Dæmon reddat hominem invulnerabilem?

1. *Modus, quo Dæmon vulnus impedit* n. 1. & seqq.
2. *Quantitatem corporis Dæmon mutare non potest.* *ibidem.* 4.
3. *Nec facere, ut saga in forma felis per rimas angustas in domum ingrediantur.* *ibidem.*
4. *Sed hoc fit per præstigijs Dæmonis illudentis sagis.* *ibidem.*

I. **Q.** Qua ratione Dæmon possit vulnus impedire, & facere, ne homo vulneretur? Redit Gaspar Schottus in *Physic. Curios.* L. 1. cap. 28. §. 2. per hoc eum posse procurare immunitatem ab ictu gladij, globi Sclopetarij, jaculi, aliorumque instrumentorum, quod impetum illorum, sicut potest, ubi ad corpus lædendum pervenerunt, retundat, ne ulterius pergant. Adeoque media illa, quæ adhibentur ab homine, qui vult immunis esse à vulnere, nullam vim conferunt, sed solum sunt signa, quæ ex pacto adhiberi debent, ut Dæmon vulnus impediat.

II. Modum verò, quò Angeli (quales sunt Dæmones, licet reprobis) possint movere, aut retinere, retundere &c. corpora, Theo-

logis discutiendum relinquimus. Schottus *Lib. cit. cap. 3.* ex P. Ignatio Derkennis *disp. 4. de Angelis cap. 3. §. 2.* hæc affert. 1. Aliter fit hic motus ab *Angelo assistente*, quàm ab *anima informante*, nam hæc nihil potest in extrinseca corpora, nisi mediante suo corpore, cui prælidet, quod movendo alia movet: *Angelus verò assistens* extrinsecum corpus movet immediate absque instrumento. 2. Modus, quo id facit Angelus, est, ut aliquam virtutem motivam, aut detentivam imprimat corpori, quæ dein movere, aut detinere pergat. 3. Vel potest immediate movere, ac detinere corpora, nullum impetum à se destinctum ijs imprimendo; quia potest corpus antea quiescens secum rapere, dum movetur; & corpus antea motum, se interponendo, aut illi se præsentem, ac quietum statuendo, sistere, ad eum ferè modum, quo utrumque potest homo. Crediderim, etiam interjectu corporis duri e. g. ossis, posse Dæmonem ictum retundere: atque inde fors contingit (prout contigisse scio) ut gladius Capiti impactus repercussu frangatur. Neque difficile est Dæmoni oculis intuentium interim fascino, & præstigijs ita illudere, ne ejusmodi rem duram interjectam cernant.

III. Nec refert, quòd is, cui ictus gladij impingitur, subinde sentiat ictum in suo corpore, aut etiam stigma in eo recipiat; nam haud difficile cadit Dæmoni corpus illud, quod à gladio servat, interim occultè percutere sine vulnere, & stigma aliquod imprimere; quemadmodum constat, quòd sagis, & magis varia stigmata in corpore imprimere soleat; & quemadmodum non omnibus sagis & magis ejusmodi stigmata imprimit, sed tantum aliquibus, quibus diffidit, ne constantes non sint, ita nec omnibus, quos à vulnere servat.

IV. Simili modo discucitur, dum saga in forma felis, muris, mustelæ &c. per rimam in cubiculum irrepens vulneratur; nam, cum Dæmon corporis quantitatem mutare non possit, nec facere, ut saga revera instar felis, mustelæ, vel muris per tenuem rimam, aut foramina angusta in domum penetret, per quæ felles, & mures transeunt, ideo hæc tantum fiunt per fascinationem, quæ earum phantasiæ, & oculis præstigijs illudit; & ipsis interim in aliquo loco soporatis aliud ejusmodi corpus substituit, quod ipse ex aère assumit, & ea gerit, quæ homines putant esse à saga interim absente, & dormiente



patrata. Quòd si ejusmodi corpus phantastico-ferinum sagæ saucietur, Diabolus in absentis sagæ corpore eam partem sauciat, quam scit in ferino corpore sauciatam esse, cujus Exemplum vide sis apud Delrium *L. 1. cap. 17. & 18.* Quòd si revera sagæ ingrediantur domū; eas per apertas occulte januas, fenestras &c. Dæmon introducit, & oculos eis perstringit præstigiis, ut non videant, sed putent, se per rimam ingressas.

V. Quâ verò ratione dæmon subinde corporibus stigmata imprimat, quæ sic omni sensu destituuntur, ut nec acūs acutissimæ fixura dolorem minimum inferat, nec sanguinem eliciat, cujus exempla refert *111. Schottus c. 20.* id aliis discutiendum relinquimus, ne à proposito nostro longiùs discedamus. Schottus putat, posse dæmonem locum stigmatum penitus stupefacere adhibitis naturalibus homini ignotis.

### §. III.

#### An Dæmon teneatur stare Pacto?

1. *Dæmon non tenetur stare pacto. n. 1.*
2. *Nulla datur impenetrabilitas, cui quis vel momento fidere possit; sed est mera deceptio Dæmonis. n. 2.*
3. *Qui semper perniciem animæ querit, & in summo periculo deserit, quos subinde à vulnere servat. n. 3.*
4. *Deceptionis Exempla. n. 4. & seqq.*
5. *Non juvat protestatio, quòd nullam cum Dæmone pactum velis, si media vana adhibeas.*

I. Q. I. An Dæmon teneatur stare pacto, & à vulnere immunem servare talem, qui ejusmodi res, quibus impenetrabilitas procuratur, adhibet, aut secum gestat &c. ?  
 R. Nequaquam Dæmon tenetur stare suo pacto, sed ei liberum est fallere, quotiescunque libet, & alterum sub ipso ictu deserere, ut trucidetur, quod sæpissimè, & tunc facere solet, quando homo ille invulnerabilitate sua fretus in summum se periculum conjecit, quòd eum trucidatum iri, & in peccatis decedentem damnatum iri certò sperat. Quòd si fiat, ut ejusmodi homo invulnerabilis occidatur, dicunt ineptè, occisorem habuisse *majorem Diabolam* vel *artem calluisse aperiendi invulnerabilitatem*; cum revera nihil aliud intervenire sit necesse, quàm, ut Dæmon nolit modò vulnus impedire, sicut priùs fecerat.

Ratio est evidens; quia Dæmon tanquam spiritus, & quoad naturam altioris ordinis, ab homine cogi non potest, ut stet promissis.

II. Q. 2. An, & quale sit auxilium ex talibus invulnerationibus? R. Revera nullum est, cui quis vel semel fidere possit: adeoque re ipsa nulla datur impenetrabilitas, nulla prior ars, aut modus eam procurandi, ut quis prudenter credere possit, se non vulnerandum fore; sed est merissima deceptio Dæmonis, quâ homines dementatos à vulnere tuetur, quando, & quoties vult; ac deserit quando, & quoties vult; neque homo, qui ejusmodi amuleta, ligaturas &c. gestat, est ullò momento securior, quàm alter, qui nihil simile gestat.

Ratio ex modò dictis patet; nam omnes ejusmodi invulnerabiles nituntur pacto cū Dæmone, per quòd nullò momento immunem à vulnere sibi quispiam promittere potest; cum ex una parte homo non possit cogere Dæmonem, ut stet pacto cum ipso inuito seu explicitè, seu implicitè per magos, & homines supersticiosos; ex altera verò parte Dæmon sit mendacissimus, decipiendi cupidissimus, & gravissimò in hominem odiò flagrans, cujus nunquam querit incolumitatem, sed perniciem animæ, & corporis.

III. Cum verò quosdam aliquoties à vulnere servat, id non facit coactus, nec amore pacti servandi, aut incolumitatis causâ illius; qui secum pactum expressum, vel implicitum per vanam superstitionem inicit; sed id facit sponte; subdolè tamen fingit, se stare pacto, ut & horum Exemplò alios dementer, iisque vim quamdam hisce nugis superstitionis inesse persuadeat, & sibi per superstitionem devinctos retineat, eosque audentiores reddat ad pericula, donec tandem eos in summo periculo constitutos deserat, ut ita impœnitentes, & gravi superstitionis scelere obstricti nihil tale formidantes occidantur, ac cum amuletis suis in barathrum præcipitentur.

IV. Hinc experientia testatur, quòd sæpissimè nil minùs cogitantes vulnerentur, aut occidantur tales homines; quia scilicet Diabolus decipit, nec stat pacto cum illis, aut aliis, à quibus didicerunt, inuito, vel quia deficiunt Conditione aliquâ pacto apposita; vel quia Deus Diaboli potentiam retundit, nec permittit, ut eos indemnes servet. Sic quotidie videmus, qui glandibus plumbeis trajici non possunt, posse argenteis, vitreis; alteriusve materiei, & qui nullis trajiciuntur, sclopetis inversis percussos occumbere. Novit studiosum Juvenem Delrium, qui cum fretus membranulâ quâdam magicis characteribus

bus, vel, ut ipse putabat, magnis Dei nominibus insignitâ audacter se jurgiis, & pugnis immiscuisset, sæpè ictus, nunquam saucius: tandem Romæ in symposio minimò vulneri fuit interemptus. Videatur Schottus *Phys. Curios. L. 1. cap. 28.* ubi plura Exempla refert.

V. Mihi ante aliquot annos oblatus est miles quidam gallus miserè dilaniatus vulneribus: erat is impenetrabilitate sua cunctis commilitonibus suæ cohortis formidolosus, rixis assuetus, & duellis, in quibus aliquot jam occiderat, aliquoties profugus; aggressus est is militem germanum manu strenuam rixandi duntaxat causâ eum ad arma cogens suæ confusus impenetrabilitati; sed in hoc periculolissimo congressu (alter enim armorum tractandorum peritiâ, robore, & animò validissimus erat) a Dæmone deseritur, ita vulneribus cumulatus, ut jam jam animam agere videretur, & de vita ipsius conclamatum cuncti arbitrarentur; convaluit tamen præter expectationem; qui casus oculos mentis homini aperuit, agnovit perfidiam Dæmonis, eamque detestatus, mihi salutis animæ ergo ad se accito sua impenetrabilitatis superstitionosa instrumenta comburenda tradidit.

Alius quidam miles Gallus post famosum nuperum prælium Höchstadij invulnerabilis incidit in milites Cæsareos, qui hosticum militem sclopis, & gladiis imperentes cum vulnerare non possent, inversis sclopis eorum manubriis trucidârunt, atque ante portam urbis in fossâ leviter effossâ cadaver, ut credebant, reponunt, & ingesta terra obruunt; sequenti die parvuli innocentes recurrunt ad vigilias, nuntiant, occisum heri militem, & illic tumultum reviviscere, & se movere; accedunt locum, vident protendere manum, eam movere: eruitur; hortantur eum ad poenitentiam, magicas superstitiones ut deponat, abjuret &c. sed cum omnia frustra essent (adeò eum dæmon dementaverat) eum denuo fustibus absque omni poenitentia signo morti dant, eidemque tumultu inferunt: prout plures oculati testes mihi retulère.

VI. Celebre est exemplum Magi Salisburgensis, cujus meminit Delrius *Disquis. Mag. lib. 2. cap. 13.* qui cum omnes ad unum milliare serpentes in quandam foveam cogere nitentur; tandem ab ingenti uno, & annofo in eum exiliente necatus est. Nimirum cæteros dæmon eò compulerat, hunc noluit cogere, sed in Magum incitare maluit.

VII. Ex quibus manifestum est, quod dixi-

mus, nullam prorsus esse impenetrabilitatem, cui fidere quis unquam tutò possit, sed Dæmonem toties succurrere, quoties libuerit, quod homo scire non potest, cum ei credere non possit; quæ enim, quæso te, dementia à patre mandacij, qui ex perfidia, & mendacio conflatus est, sperare veritatem? ab hominum inimicissimo, qui, si Deus permitteret, hóc momentò homines omnes interimeret, sperare hominem incolumitatem? an parebit homini, qui maluit carere beatitudine æternâ, quam parere Deo, & qui implacabilè odidit erga Deum, & homines flagrans, eos quoque à beatitudine æternâ abstrahere totis viribus conatur?

VIII. Nec dicat quispiam, se nullum cum Dæmone pactum inivisse super ea re, quam, ut vulnerari nequeat, adhibet. Nam licet non percutiat *sedus explicitum* cum Cacodæmone, dum tamen ejusmodi media vana adhibet, quæ nullam proportionem naturalem ad hunc finem habent, *implicitum* cum ipso pacto inicit, neque juvat protestatio, se nullum cum Dæmone commercium intendere: nam reipsâ facit contra suam protestationem; dum adhibet media tanquam idonea, quæ nullam ad hunc finem naturalem proportionem, & utilitatem habere possunt, nisi ex institutione, & ope Dæmonis, quam proin ipso factò, & *implicitè* petere censetur, cum certum sit, ejusmodi media, & signa vana à Deo non esse instituta, & bonos Angelos talibus vanis se non immiscere. *Lay. L. 4. tit. 10. cap. 3.*

#### §. IV.

Quomodo fiat Pactum cum Dæmone, & de Remediis contra illud.

1. *Pactum aliud explicitum, aliud implicitum cum Dæmone. n. 1. & seqq.*
2. *Media improporcionata effectum non producunt. n. 4.*
3. *Causarum ordo triplex. n. 5.*
4. *Res virtutem non habentes non sunt cause, sed signa. n. 6.*
5. *Quorum varia, & inepta ponuntur à Superstitiosis. n. 7. & 8.*
6. *Exempla. n. 8. & seqq.*
7. *Remedia. n. 12.*

I. Q. 1. Quotuplex sit pactum cum Dæmone? R. Est duplex, aliud explicitum, aliud implicitum. *Explicitum* fit per verba, & alia signa explicita cum Dæmone, cum quis vel ipse opem paciscitur cum ipso Cacodæmo-

ne visibilibus in corporeâ aliquâ formâ apparente, vel per vicarium magum, aut tertium quendam, quod ipse paciscens aspectum, vel colloquium Dæmonis reformidet. Delius *Disquisit. Mag. lib. 2. cap. 4.* fit item pactum explicite factum, ut, cum quis aliquid usurpat, per quod scit, aut putat, Dæmonem cooperari, quod fit variis modis, quos recenset Lessius *L. 2. de L. & I. cap. 43. Dubit. 5.*

II. Pactum implicitum fit per media improporcionata, & vana, quibus quis utitur ad aliquid cognoscendum, aut efficiendum; neque requiritur, ut Dæmon aliquando pactus sit, sed ad talis vani medij adhibitionem concersurus, eo ipso enim, si quis vanitatibus iis utitur, Dæmon se immiscet, licet præter intentionem utentis sit eum invocare. Busenbaum *L. 3. cap. 1. dub. 2.* citans Suarez. Lessium &c.

III. Hoc pactum implicitum iterum secundum Delium fit dupliciter. 1. *Scienter* quando quis sciens, volens utitur ejusmodi signis, & mediis improporcionatis, quibus uti solent Magi, licet protestetur, se per ea nolle fædus cum Dæmone: quia, ut dictum, in re ipsa facit contra suam protestationem. 2. *Ignoranter*, quando quis utitur ejusmodi mediis improporcionatis nesciens, ea esse illicita, & superstitiosa, ut sæpè contingit apud simplices; nam solet Dæmon ejusmodi mediis improporcionatis etiam ignoranter, & cum protestatione adhibitis se immiscere; qui tamen simplices, si ignorantia eorum sit inculpabilis, sique, quando errorem agnoscunt, & dedocentur, statim desistant, non peccant; priores vero peccant mortiferè; quia gravis noxa est ullo pacto Dæmonibus fæderari, qui Deo, & hominibus sunt inimicissimi.

IV. Cæterum quando talia media adhibentur, quæ nullam habent proportionem, & virtutem naturalem ad hunc effectum, si tamen effectus fiat, evidens est, eum fieri à Dæmone: nam effectus ille debet habere aliquam causam, quidquid enim efficitur, efficitur ab aliqua causâ.

V. Causarum autem triplex est ordo, alia est causa naturalis, quæ virtutem naturalem habet ad effectum, qualis in nostro casu nulla intervenit. Alia supernaturalis, qualis est Deus supernaturaliter (id est, supra vires, & exigentiam totius naturæ) operans: at Deus ob has vanitates non operatur miraculosè; nulla enim est necessitas hoc casu patranda miracula, quæ nullibi ad adhibitionem ejusmodi improporcionatorum mediorum sunt promissa.

Alia demum causa sunt boni angelis; at hi non operantur mediis rebus vanis, nec illis gaudent: superest igitur, Angelos malos, seu Dæmones operari, ut fiat hic effectus, qui rebus vanis, & deceptionibus delectantur.

VI. Quare, ut dictum, tales res improporcionatæ cum nullam habeant virtutem ad hunc effectum, non adhibentur tanquam causa, sed tanquam signa, quibus positus Dæmon ex pacto implicito, operatur effectum. Sanchez *de Matr. L. 7. disp. 95. n. 4. & 5.*

VII. Habet se res in iis, qui se impenetrabiles reddere conantur eodem modo, sicut se habet in maleficis, qui maleficiis alteri nocere student; qui non ipsi in aliorum hominum, vel animalium corporibus producant effectus maleficos, e. g. ut fiant membris contracti, morbidi, lenta tæbe contabescant &c; sed ex pacto cum Dæmone, expressè, vel tacitè inito, ponunt certa signa: ut ollas, ligamina, glomos capillorum, leberides, plumas, claustra, fixuras clavorum, & similia, ut, quamdiu ligula, aut funiculus sic nodatus fuerit; vel tale quid sub limine, aliòve locò defossum, vel terra clausa manserit, tamdiu Dæmon nocere, & maleficium in corpore alterius hominis, vel animalis ponere, & continuare teneatur; ita, qui invulnerabiles volunt esse, ponunt certa signa, pronuntiant certa verba, gestant, vel vorant Schediasmata v. g. Passaviensia, amuleta, ligna variis cruculis insignita, ligaturas, involucria falsis, & peregrinis characteribus consignata, quibus positus Dæmon ex tacito pacto teneatur eorum corpus à vulneribus reddere immune: sed sicut Dæmon libentissimè solet præstare suum auxiliù, cum de nocimento alteri inferendo agitur, ex summo odio, quò erga hominem flagrat, ita adhuc libentius hominem, ubi animam ejus sperat, deserit.

VIII. Mirum, quàm inepta soleant esse ejusmodi signa: mulier quædam gravi oculorum dolore laborabat; cumque multa tentasset remedia naturalia, studiosum adit, qui dicebatur habere Schedam, quæ remedium foret contra hos dolores, huic promittit novam vestem, si sanaretur; ille dat schedulam panniculis involutam hæc conditione, ut continuo illam deferret, nec eam per se, vel per alium inspiceret. Mulier huic innixa fidei sanitatem recuperat; cumque alia quædam mulier simili morbo laboraret, eandem schedam sub eadem conditione illi tradit, eamque sanat. Tandem cum ambæ mirarentur hunc

hunc sanitatis effectum è chartula consecutum, illam aperuerunt, inveneruntque in eâ scripta hæc verba: *Diabolus tibi eruat oculos, & luto obstruat foramina.* ex Marchant. Felisio Mercator in *Nucl. Catechet. Lect. 40.*

IX. Alius Joannes nomine vi cujusdam schedulæ omnes seras, & claustra poterat dissolvere: cum rem Sacerdoti aperuisset, is schedulam explicat, in qua nihil scriptum erat, nisi hæc verba: *Ioannes est malus nequam.* cit. Auçt.

X. De Subulco refert Delrius, qui vanâ observantiâ schedulam nomine Divi Blasij inscriptâ suo baculo appenderat, quo credebat, porcos in sua absentia fore tutos; stultæ verò hominis confidentiæ se immiscuit Dæmon, & dum S. Blasius non succurreret, ille porcos custodiebat. Plura videtis apud Delrium *L. 6. cap. 2.*

XI. Frivola est simplicium excusatio, quâ experientiam allegant, ajuntque: *experimur auxilium*; nam has experientias, ut ex dictis constat, Dæmon aliquoties procurat, ut homines alliciat, illaqueet, & ad similia inducat.

XII. Q. 2. Quæ sint remedia contra ejusmodi superstitiosas machinationes, impenetrabilitates, & maleficia? R. Ea sunt varia, quæ apud cit. Delrium *L. 6. cap. 2.* fusè leguntur, ad quem, ne diutiùs hac in re moreremur, lectorem remittimus, & obiter tantùm hæc 4. insinuamus. 1. Optima sunt remedia Spiritualia, Exorcismi, & Sacramenta Ecclesiæ e.g. contra arma incantata Signum

S. Crucis, Invocatio SS. Trinitatis, Nominis JESU, & MARIÆ, SS. Reliquiæ, Aqua benedicta, cujus ope supra retuli, quomodo quidam nebulas præstigiatorias ab oculis depulerit. Vinum in honorem S. Joannis, Aqua in honorem S. Ignatii benedicta. 2. Bonum medium est remove signa, quibus Dæmon suum pactum alligavit, & quibus positus nocere solet, si tamen absque novo cum Dæmone pacto removeri possint. Sicut etiam licet contrarium Signum ponere, sed de se honestum, per quod solvitur pactum Dæmonis, & datur conditio, quæ si adest, non solet Dæmon concurrere v.g. ut quis tamdiu sit impenetrabilis in Duello, vel rixa, quamdiu non fuerit percussus gladio, qui priùs fuerit in terram, aut panem infixus: si modò is, qui talem conditionem ponit, aliud non intendat, quàm solvere pactum sine aliò novo pacto: nunquam enim licet tollere pactum Dæmonis per aliud cum eo pactum, sive explicitum, sive implicitum, per mediâ inproportionata novam opem Dæmonis implorando. Hinc 3. si maleficus, qui malefium fecit, licetè potest illud solvere, licitum est eum adire, aut accersere, & rogare, imò etiam pecuniâ adducere, vel verberibus, aut tormentis cogere (non tamen interficere, si nolit) ut malefium solvat; licetè autem maleficus malefium tollit removendo Signum, quod posuit. 4. Etiam remedijs ex medicinâ, si quæ sint, uti permissum. Plura subministrabit Delrius, & Sanchez cum moralistis.

## S E C T I O III.

DE

### Prohibitione Monomachia.

#### §. I.

#### Monomachia prohibita est.

1. *Monomachia prohibita. n. 1.*

2. *E. quidem omni jure. n. 4.*

**O** Riginem, formâ, Solemnitates &c. Monomachia propofuimus; & vidimus quid facti; jam videndum, quid Juris?

I. Q. 1. An Monomachia sit prohibita? R. Assertivè: Responsio certa est, si accipitur de Monomachia propriè dicta, quæ ex condito sponte, ob privatas causas inter privatos suscipitur ad occisionem, & gravem vulne-

rationem; patebit veritas assertionis ad oculum in sequentibus, quam uno ore Doctores omnes melioris notæ loquuntur.

II. Adeoque Monomachus in arenam descendere non potest æmulo suo mortem, aut vulnera illaturus, quin gravissimi sceleris reatum incurrat, & animæ suæ consciscat mortem, eamque Stygio Tyranno mancipet.

III. Quæ utique sola res, si ritè perpendicularitur, lanienam hanc orbe eliminaret: *Quid enim prodest homini* (clamat Divinuti oraculi *Matth. 16.*) *si mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur? aut quam dabis homo commutationem pro anima sua? Unica*

cam

cam habet homo animam, quæ semel deperdita, æternùm est deperdita, & hanc non horrefcit miser, & cæcus Monomachus tam temerè, & petulanter æternæ calamitatis discrimini objicere? non ut mundum lucretur, sed ut futilem, & frivolum gloriolam, vanam, ac ineptam felicitatem, & adhuc incertam, quam è Monomachia, si forsân sors faveat, sperat (non enim victoriam sibi promittere potest) hunc nugacem gloriolæ fumum præponit æternæ animæ ruinæ; quanta, Deum immortalem infania! hæccine est commutatio pro anima?

IV. Q. 2. Quo Jure Monomachia sit prohibita? *Re. Omni Jure.* Quæ est communis Doctorum sententia, teste Delrio *disquis. de ag. Lib. 4. q. 7. sect. 2.* & Knipschilt *de nobilitate Lib. 2. cap. 3. n. 22. & 64.* Alciatus in consilio de materia Duelli: *In primis sciendum est, inquit, Monomachiam omnem omni Jure vetitam, prohibitamque esse.* Singula exponentur per sequentia erotemata.

## §. II.

### Monomachia Jure Civili prohibita.

1. *Monomachia prohibita Jure Civili Romano veteri, & nova. n. 1. & seqq.*
2. *A Regibus Gallie, & Hispanie. n. 6. & seqq.*
3. *A Turcis. n. 10.*

I. Q. 1. An Monomachia sit prohibita Jure Civili? *Re. Prohibita est Jure Civili Romano veteri.* *Responso patet I. Ex L. un. C. de gladiatoribus Lib. 11.* Ubi Constantinus M. saluberrima sanctione *cruenta spectacula, & gladiatores esse omnino prohibet.* Et licet Imperator ibi agat de his, qui vel ludô gladiatorum gladiabantur, de quibus in *L. ejus, qui. S. fin. ff. qui testamenta. L. si quis mihi. S. si quis plane ff. de acquirend. heredit. L. si quis filio S. sed nisi quis ff. de injusto rupto.* Vel qui operas suas locabant, ut cum bestiis pugnarent. *L. 1. S. sed & si quis operas ff. de postulando.* Tamen ejus Dispositio sua generalitate rectè quoque de Monomachia generaliter accipitur, per Bartolum, Jasonem, Bocerum, & alios apud Gonzalez *suprà cit. n. 9.*

II. Et Brunnemann in *cit. Legem, an. omnia spectacula cruenta, inquit, in quibus scilicet vel effunditur, vel effundi potest humanus sanguis per hanc Legem sunt prohibita.* Et paulò post: *& qui Duella ineunt, criminis læsæ Majestatis rei sunt.* Et hoc etiam ob læsam famam singulare

certamen ineatur, nam ideo iudiciorum vigor iurisque publici tutela in medio est constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem *L. 19. C. de iudicis.* Et stulta est ratiocinatio eorum, qui ideo Duella licita contendunt, quia fama visa æquiparatur: nam præterquam quod hac Theoria sit falsa, consequentia etiam est nulla; nam à calumniante fama verè non leditur, & adest alia ratio defendenda fama, & hoc è multis præcipuum est medium, quò tot calamitates in Imperiis cumulantur. Deus Iustus Iudex sanguinem vindicat humanum, superiorum coniventia, & indomitâ juniorum licentiâ temerè fufum. Hæc Brunnemann. Nam ubi suppetit medium ordinarium (per Judicia) non licet recurrere ad extraordinarium, & quidem illegitimum, ut est Monomachia *arg. L. in cause 16. pr. ff. de minor. & L. 12. eodem. L. cum sine 11. ff. de Carbonar. edict. L. quadam 9. ff. de edendo & c.* Et Reipublicæ interest, ne singulis concedatur, quod publicè per Magistratum fieri oportet, ne occasio sit majoris faciendi tumultus *L. non est singulis 176. ff. de Regulis Juris.* cur enim ad arma & rixam procedere patiatur Iudex, quos potest Jurisdictione sua componere? *L. si cuius. 13. S. 1. ff. de usu fructu.*

III. Responso patet 2. ex eo, quia, per quas Leges prohibentur homicidia in Republica, per easdè etiam prohibetur Monomachia: Et per quas Leges commendatur, ac præcipitur conservatio tranquillitatis Reipublicæ, vetaturque ejus perturbatio, ac seditio, per easdè profligatur Monomachia turbans hanc tranquillitatem, atque invehens discordias, & inimicitias inter integras familias. Certè consistere haud poterit Respublica immunis à turbis, in qua, qui injuria affecti sunt, neglecto Iudice, subito in arma rûunt, jus proprio Marte quærentes: at verò Leges Civiles ad eum finem collimant, ut tranquillitas pacata in Republica conservetur; & ideo in *Proem. Instt. in pr.* inquit Justinianus: *Imperatoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam Legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis rectè possit gubernari: & Princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat: sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat; & fiat tam Javis Religiosissimus, quam victis hostibus, Triumphator magnificus.* Tandem per quas Leges prohibetur, ne quis civem Reipublicæ è medio tollat, cum Reipublicæ interfit eam liberis hominibus repletam esse. *L. 1. ff. solus*

*Discriminatio*, & qui nascuntur, non tantum parentibus, sed etiam reipublicæ nascuntur. L. 1. §. 15. ff. de ventre in possessionem mittendo; per easdem leges etiam prohibetur, ne quis rempublicam civis, vel civibus privet in Monomachia occidendo.

IV. R. 2. Monomachia etiam prohibita est Iure civili Romano novo, & aliorum populorum. Cum enim pestis hæc in varias respublicas grassaretur, & innumera mala in eas veheret, varij Principes variis constitutionibus eam insectati sunt;

V. Sic primò Augustissimus Imperator Leopoldus Gloriosi. Mem. severissimè prohibuit Monomachiam, & sub pœna capitis, qui in ea (saltem provocatum) interemerit; eum anno 1668. Plenipotentiarum Legati Præsidente Reverendissimò, & Celsissimò Marquardò Principe, & Episcopo Aichstadiano suum de hac animadversione arbitrium transmississent suæ Sacræ Cæsareæ Majestati confirmandum; quod confirmavit, ut habet Gobat *Theolog. Experiment tom. 1. part. 1. tr. 7. n. 573. in appendice Duellari* quæ constitutio spectat ad Jus Romanum novum Romano-Germanicum. Alias constitutiones Imperij vide parte 3. sect. 1. §. 3. ubi de Diffidationibus agimus.

VI. Eadem animadversione Christianissimi Reges Galliarum Ludovicus XIII. & XIV in monomachiam animadverterunt, teste eodem Auctore. de quorum priore etiam mentionem jam fecimus supra ex Barbosa. de Henrico II. Rege Galliarum scribit Knipschilt, quod se Religiosissimò Sacramento obstrinxerit, se nunquam impetrum in Duella consensurum. Henricus item IV. Galliarum Rex annò 1609. severissimis iterum, iterumque legum, ac suppliciorum intentatis fulminibus nunquam satis hucusque compressam Duellorum Barbariem execratus est, Corporum juxta, mentiumque vitæ consulturus, inquit Joan. Biselius *in medulla histor. aviæ nostræ ad annum 1609.* Et salubri fanè consiliò Christianissimi hi Principes furiam hanc tanta severitate sunt persecuti, ut eam suò regnò ejicerent, quod Iliade malorū hæc rabies impleverat. Nam, ut habet Theophilus Raynaudus *tom. 4. de Virtutibus, & Virtus lib. 5. sect. 3. cap. 3. n. 192.* & ex eo Gobat *tom. 2. tr. 5. cap. 18. n. 5. constat, intra annos 30. tot hoc ferale modò in hoc uno regno cecidisse, ut ex his numerosissimus exercitus potuisset constari, quò & incolumitas Regni conservari, & Turca Christianorum damnis auctior, non modicè vexari potuisset.*

VII. In Hispania quoque Reges Catholici Ferdinandus & Elisabeth annò 1480. omnino Duella prohibuerunt adjunctis pœnis pugnantibus, & Mediatoribus pugnae, & Patris, ut incurrant notam proditorum, & bonorum amissione plestantur fisco applicandorum, & ut provocans, si adversarium occiderit, seu vulneraverit, capitali supplicio puniatur, Emanuel Gonzalez *ad ca. 2. de Cleric. pugn. in Duell. n. 11. prope finem,* & hoc quoque saluberrimè constitutum; nam & in hoc regno magnas strages ediderat hæc malorum Lerna, ut patet ex hoc illustri vanitatis, & inhumanitatis Schemate, quod refert Raynaudus *suprà cit. n. 187* ex Genesio Sepulveda.

VIII. Suerus quidam, quò anno celebrandum erat Compostellæ Jubilæum, pontem urbici amnis ad Asturiam, quâ viâ Compostellam est peregrinis, custodiendum suscepit, eâ viatoribus lege propositâ, ut, quis quis vellet pontem transire, is, vel datò munusculò quopiam inferiorem se custode profiteretur, cui herbam porrigeret; vel, si hoc à dignitate sua alienum duceret, in certamen cum eo descenderet, pedestri, equestrive certamine, prout arbitrium ferret peregrini; in quemadmodum Suerus idonea utriusque certamini arma, & equos, omnemque apparatus diligenter curarat. Is rumor per Germaniam, Galliam, Britanniam disseminatus multos ejusdem curi provocatore genij, eodemque percitos cestrò ad peregrinationem suscipiendam impulit: quosdam provocator letho dedit, alios ad deditionem coegit.

IX. Alius, quem Emanuelem Leonem vocabant, (referente eodem Auctore) ad querendas laudis occasiones, indictò de more bellò, per universam Mauritaniam fortissimè quemque provocavit ad monomachiam, excitiisque eâ famâ multò pluribus ex tota penè Africa, contra multos fortissimos viros in campum pugnae additum prodiit, eorumque septem obtruncatis, præcisâ capita remeans ostentavit per Hispanias, quæ se puerum spectasse scribit Genesius.

X. Quid Turcæ sentiant de Monomachia patet ex hoc eventu, quem refert Knipschilt *n. 76.* Singiacus Arsambeus simultatem habuerat cum Velibego & ipso finitimorum locorum Singiaco; venit Constantinopolim Velibegus, interrogant eum Bassæ in Divano de dissidio ejus cum Arsambeo, ille simultatem enarrat, se ex insidiis ab Arsambeo vulneratum: quibus nihil fuisset opus, insultit,

si se dignum sub nomine Artāmbegus præstare voluisset, quandoquidem ipse eum eo pugnamquam subterfugisset, utpote quem ad pugnam singularem multoties provocasset. Dictum hoc Bassæ averfantes; tūc, inquit, Commilitoni suo singulare certamen denuntiare es ausus? decrami quippe Christiani, in quos pugnares: vivit uterque vestram pacem nostræ Imperatoris, & nihilominus inter vos de vita decernere parabatis? quò iure, quò exemplo? an ignorabatis, utrumque vestram cecidisset, Imperatoris damno fuisse captum? Quò dictò duci eum in carcerem jusserunt, in quo multis mensibus maceratus vix tandem liberatus est existimatione valde minutâ.

### §. III.

#### Monomachia Jure Canonico prohibita.

1. Monomachia prohibita Jure Canonico antiquiore, & recentiore. n. 1. & seqq.
2. Quæ prohibitiones Ecclesiastica fringunt omnes baptizatos, etiam Acaatholicos. n. 7. & seqq.

**Q.** 1. An Monomachia sit prohibita Jure Canonico? **R.** 1. prohibita est Jure canonico antiquiore. Responsio patet 1. ex *can. Monomachiam. 2. q. 5. 2. ex capitulo 2. de Clerico pugna. in Duell. ubi, cum Presbyter quidam pugilem secundum pravi loci consuetudinem substituisse, ut locò sui contra alium Laicum pugnaret, isque eum occidisset, & die Coelestinus III., tales pugiles veros homicidas existere; neque dictum Sacerdotem, pro quo alius in Duello pugnavit, debere in Sacris Ordinibus ministrare, quòd homicidium non quidem factò, sed præceptò, aut consiliò perpetraverit. Qui tamè Canon loquitur de monomachia ad probationem criminis, de qua postea. 3. ex *ca. 1. & 2. de Torneament.* in quorum priorè dicit Pontifex in Concilio Lateranensi: *Felicis Papa, Innocentii, & Eugenii prædecessorum vestrorum vestigiis inhaerentes, detestabiles illas micidias, vel serias, quas vulgò Torneamenta vocant, in quibus milites ex conditò convenire solent, & ad ostentationem virium quarum, & audacia temerè congregantur, unde mortes hominum, & animarum pericula sæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quòd si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei penitenti penitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura. Certè si ita severè prohibentur torneamenta, & certamina, in quibus milites ex conditò pu-**

gnant ad ostentationem virtutis militaris cù periculo mortis, licèt per se non tendant ad mortem, à fortiori illicita sunt certamina ex conditò ad inferendam mortem, & vulnera suscepta. 4. Qui Canones detestantur, ac prohibent homicidia, ut *can. itaque 2. can. 24. q. 3. can. Presbyter 12. dist. 81. ca. 5. de Homicidio cap. 10. de Iudicis, & alij canones;* extat enim integer titulus de homicidio in Decretalibus Gregorii IX. & in lib. 6. Bonifacii VIII., iidem quoque canones prohibent, ac detestantur monomachiam, per quam tenditur ad homicidium; si enim ut homicida tenetur, qui mulieri aliquid fecerit, aut ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, ut dicitur *ca. 5. de Homicidio*, quanto magis, qui armis instructus ad hominem occidendum in campum procedit?

**II. R. 2.** Monomachia etiam prohibita est Jure canonico recentiore. Responsio patet 1. ex Concil. Trid. quod *Sess. 25. cap. 19. de Reformat.* contra monomachiam ita statuit: *Detestabilis Duellorum usus fabricante Diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque aliò nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserunt; eò ipsò sunt excommunicati; ac jurisdictione, & Dominio civitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem Duellum fieri permiserunt, quòd ab Ecclesia obtinere, privati intelligantur: & si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserunt, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, & ut homicide juxta SS. Canones puniri debeant, & si in ipso conspectu decesserint, perpetuo careat Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui Constitutum in causa duelli tam in jure, quam facto dederint, aut alià quacunque ratione ad id quemquam fuaserint, nec non spectatores excommunicationis, ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocunque privilegio, seu pravâ consuetudine etiam immemoriali.*

**III. Patet Responsio 2.** ex Bulla Pij IV, quæ incipit: *Ea, qua à Prædecessoribus &c. edita anno 1560. 14. die Novembris. quæ constitutiones Julij II., Leonis X., Clementis VII. Antecessorum suorum, & dictam constitutionem Tridentini confirmat, & excommunicat omnes Principes & Dominos permittentes in suis locis*

cis

cis duellum, aut singularia certamina fieri, aut diffidationes facientes, ac ad id invitantes, procurantes, auxilium, consilium, favorem dantes, illisque astantes, & interessentes, & chartas subscribentes, & publicantes, seu de illis se intromittentes. Et omnes hos, si Laici fuerint, Imperatore, & Rege inferiores, excommunicat, & Clericos ultra excommunicationem insuper punit, ut privationem omnium Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatemque ad illa, & alia impostero obtinenda eò ipsò incurrant, & omnes prædicti à solò Papa absolvi possint.

IV. Patet Responsio 3. ex Bulla Greg. XIII. quæ incipit: *ad tollendum, edita anno 1582, Nonis Decembris*, qua Decretum Concilii Tridentini extendit etiam ad duellum privatum: *Considerantes*, inquit, *Duellum privatum non minus cruentum, & anima, & Corpori noxium esse, quam quod publicè perpetratur, Auctoritate Apostolica statuimus, omnes illos, qui ex condito statuto tempore, & in loco convento monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini sociive ad illud vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullave provocatoria litera, aut denuntiationis Chartula præcesserint, censuris, & pœnis omnibus à concilio positis teneri, perinde ac si publico abusu singulare certamen inivissent, volentes etiam locorum Dominos si certamen ex condito huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, Commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes, aut ex compo sito spectatores, vel socios quovis modo se se præbentes: etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturo accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit, quo minus illa committeretur eisdem pœnis subjacere.*

V. Patet 4. ex Bulla Clementis VIII. : quæ incipit, *illius vires Anno 1592. cal. sept.* quæ confirmat, declarat, & extendit, cit. Decretum Tridentini, & constitutiones Apostolicas locum habere ubique gentium, & terrarum inter quascunque personas, etiam armatas, & in castris seu propugnaculis militantes, etiam ubi Catholicæ fidei hostium furor impune grassatur; vel in Dominijs pereos occupatis, seu detentis: Idem quoque Juris censendum esse decrevit, si publicò, & forsitan justò bellò indictò miles aliquis contra alterum in adversariorum exercitu militantem, sive aliàs in hostium castris, præfidiis, aut

terris degentem privatas simultates, atque inimicitias publicæ causæ intermiscendo etiam Ducum permisso, ex condito ad singulare certamen descendat, aut illum provocet. Irritas quoque declarat pactiones de dirimendo certamine, cum primùm alteruter vulneratus fuerit; vel si inter eos convenerit; ut non singuli cum singulis, sed bini cum binis, aut plures hinc inde pugnent: Et prædictis pœnis subijcit non tantum locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, locum tenentes, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in castris, vel extra ea Monomachiam permittentes, aut, quantum in ipsis est, non prohibentes, aut post admissum crimen veniam, & impunitatem concedentes. Videatur *Bullarium Roman. Cherubini. Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 39. num. 19. & seqq. August. Barbos. in Collectaneis D. D. in Concil. Trid. Delarius Disquis. Mag. L. 4. q. 4. cap. 2.* Verùm de pœnis Monomachiz dicitur postea, interim hæc retulimus, ut dispiciatur quanta sollicitudine laboraverint, & laborent Ecclesiæ Antistites, ut hæc animarum pestis, quarum cura tantopere ipsis cordi est, ex Ecclesia ejiciatur.

VI. Ex quibus liquet, constitutionum harum prohibitionem comprehendere omnem monomachiam, quæ fit ex condito, designato certò loco, & tempore, sive sit *Extrajudicialis*, sive *Judicialis*, de qua postea speciatim dicetur, sive *privata* sine patrini, & Spectatoribus, sive *solemnis*; ob quamcunque causam suscipiatur, exceptis iis causis, quæ monomachiam licitam reddere valent, quas in seqq. referemus. Sauch. *L. 2. Moral. cap. 39. n. 24.* Nam licet forsitan Decretum Concilii Tridentini (cum pœnale sit, & ideo strictæ interpretationis) possit de solo *duello solemn* exponi, tamen Greg. XIII. & Clemens VIII. illud clarè ad *Duella privata* extenderunt cum adjecta ratione, quòd ex illis non minora damna, & homicidia sequantur. Neque tempore harum Constitutionum erant amplius in usu duella illa Judicialia ad erucendam veritatem.

VII. Q. 2. Quos ligent prædictæ constitutiones? & Ligant omnes Baptizatos, cujuscunque Conditionis, Religionis, aut sectæ sint, quia, licet Jus Civile obliget tantum certum Populum, e. g. Populum Imperij Romani, nec territorium Principis egrediarur, Leges tamen Canonice, & Ecclesiasticæ sibi subditos habent omnes, qui per Baptismum Ecclesiæ semel sunt subjecti, c. 1. de Constitut. etiam



etiam eos, qui per Schisma, & Apostasiam ab Ecclesia recedunt, & Ecclesiasticas Constitutiones contemnunt, ac rident; quia, ut alibi diximus, *contra iura facere, iura videre, contemnere &c. non est iuris, sed facti*; non autem quaerimus hic, *quid fiat, sed quid de iure deberet fieri.*

VIII. Qui autem ignorant has Constitutiones, excusantur quidem ab iis, quatenus sunt Constitutiones Ecclesiasticae; at ligantur iisdem quatenus simul Juris Divini, & Naturalis sunt, prout Duella etiam Jure Divino, & naturae prohibita esse sequenti §. demonstrabimus, contra quam eorum prohibitionem Naturalem, Divinamque nulla in oppositum tendens consuetudo (quae corruptio est) praevalere unquam potest *Cap. ult. de consuetud.*

IX. Q. 3. Quid de Judaeis, qui degunt inter Christianos, illis permixti? R. His, quia per Baptismum Ecclesiae subjecti nunquam fuerunt, Ecclesia Leges ponere non potest. *C. gaudemus & de Divorciis ibi: quid enim ad nos de his qui foris sunt, judicare?* quare his Legibus Duellaribus, quatenus Ecclesiasticae sunt, non afficiuntur Judaei, Saraceni, aut alij pagani inter Christianos degentes; Potest tamen iis Leges politicas ponere Princeps saecularis, cui subjecti sunt: quod idem possunt etiam Principes Ecclesiastici, Romanus Pontifex, & alij in Judaeos, Saracenos, aut alios infideles in territoriis suis degentes, in quos tanquam subditos temporalem habent Jurisdictionem; adeoque *Legibus Cruisibus*, quibus duella prohibentur, etiam tenentur Judaei illic habitantes, & illi Principi subjecti. Quemadmodum in simili tradunt Doctores de impedimento Matrimonij, qualia Ecclesia, & summus Ecclesiae universalis Antistes ponere potest pro omnibus Baptizatis, qui per Baptismum Ecclesiae subjecti sunt, non autem pro iis, qui Baptismate carent; ut adeo si quispiam Baptizatus A catholicus contrahat Matrimonium cum impedimento Ecclesiastico, E. g. publicae honestatis, aut clandestinitatis, illud de Jure, & nisi consuetudo vim Legis obtinens excuset, sit irritum: at si Judaeus cum tali impedimento Ecclesiastico contrahat, Matrimonium erit validum.

#### §. IV.

Monomachia prohibita Jure Divino, & Naturali.

1. *Per Monomachiam fit injuria Deo, qui est Dominus vitae, & membrorum, n. 1. & seqq.*
2. *Homo non habet membrorum suorum tale Dominium, ut pro libitu suo possit mutilare, aut eam mutilationem objicere. n. 9.*
3. *Magistratus ac Principes habent potestatem vitae, ac necis ex Commissionem Dei. n. 13.*
4. *Etiam Magistratus ac reipublica injuriosa est Monomachia. n. 18. 19. 20.*
5. *Monomachus violat gravissime charitatem erga proximum, & erga se. n. 22. 23.*

I. Q. 1. An monomachia prohibita sit Jure Divino, & Naturali? R. Est prohibita Jure Divino, & Naturali. Responsio ostenditur ex his capitibus: 1. Quia per eam fit injuria Deo. 2. Per eam fit injuria Magistratus, & Reipublicae. 3. Per eam laeditur Charitas erga proximum, & seipsum: singula exponamus.

II. Itaque 1. per monomachiam injuria fit Deo supremo totius Naturae, & rerum omnium Conditori, cuius Dominium invaditur, dum vita hominis invaditur; nam vitam nostram soli suo Dominio reservavit vitae, & necis supremus Dominus; praecipuumque dedit (quod utique Juris Divini, & Naturalis est) quo hoc sibi Jus reservans cuilibet hominum in clamat in Decalogo: *non occides. exodi. 20. v. 13. & Deut. 5. v. 17.*

III. Haec Divina, Naturalisque Sanctio non id duntaxat verat, ne quispiam in vitam alienam grassetur, sed etiam ne in suammet, nisi ad id auctoritatem à supremo vitae & necis Domino acceperit, prout Ducibus S. Augustino *Lib. 1. de civitate cap. 20.* & Divo Aquinate *Thoma 2. 2. q. 64. art. 5.* communis certaque asseverat Doctorum sententia: etenim homo non suae vitae est Dominus, sicut bonorum externorum, ita, ut suo libitu illam possit destruere per occisionem, aut eam occisionis periculo objicere, quemadmodum potest res externas, quarum Dominus est. Siquidem una ex parte certum est, Deum Titulo Creationis, conservationisque esse supremum vitae nostrae Dominum, non secus ac figulus est Dominus vasis, quod ipse finxit; ex altera verò parte nec ex SS. Literis, nec ex ratione, nec ex instinctu quodam universali naturae constat, quod Deus ejusmodi potestatem in vitam nostram nobis concesserit, ut arbitrio nostro possimus eam destruere, vel destructionis periculo temerè objicere.

IV. Non constat ex SS. Literis, quae contrarium potius asserunt, uti patet ex cit. praecipuo: *non occides, & ex Deut. 32. v. 39.* ubi Deus:

Deus: *ego, inquit, occidam, & ego vivere facia.*

V. Non constat *ex ratione*, quæ & ipsa contrarium Suadet; nam longè generi humano congruentius, quin & necessarium fuit, ut potestatem hanc in nostram vitam nobis Deus non concederet; cum enim tempus vitæ nostræ sit *tempus via*, quâ ad ultimum finem felicitatis æternæ, ad quam conditi sumus, tendimus, si possemus nobismetipsis determinare *tempus vitæ*, illam pro libitu abruptendo, eò ipsò etiam determinare possemus *tempus via*, quod planè non congrueret; alioquin enim periculum foret, ne plurimi, vitæ hujus pertæsi, horrore miseriarum præsentium, aut desiderio vitæ futuræ, & æternæ felicitatis se ipsos occiderent, atque ita minueretur genus humanum; si enim nunc, dum constat, quod graviter sit prohibitum *se occidere*, aut *vitam discriminè temerè obijcere*, non desunt, qui ad finiendas vitæ hujus molestias, sibi ipsis violentas inferant manus, aut ad futilem falsæ gloriæ furum captandû vitam discrimini in Monomachijs, & rixis exponant, licet intelligant, se hac ratione æternam incursum mortem; quantus eorum numerus futurus esset, qui semet occiderent, & discrimini-bus Monomachiarum, occisionumque obijcerent, si id licitè sine dispendio æternæ salutis, & cum spe vitam æternam consequendi fieri posse intelligerent? certè, quò probior quisque esset, meliusque sibi conscius, eò prior foret ad occidendum se ipsum, ut celerius, certiusque æternam consequeretur felicitatem.

VI. Denique neque *instinctus naturalis* dicitur, quòd Deus hanc potestatem in vitam nobis concesserit; sed contrarium: repugnat enim innatæ cujuslibet hominis inclinationi, & amoris erga se ipsum, vi cujus quælibet res se conservat in suo esse, & corruptentibus se resistit, quantum potest; inde rectè Angelicus *loc. cit.* concludit, occidere se ipsum esse contra inclinationem Naturalem hominis, & contra charitatem, quâ quilibet debet se ipsum diligere, ideòque sui ipsius occisionem semper esse peccatum mortale, utpote contra Naturalem Legem, & contra charitatem.

VII. Quare necessarium omnino erat, ut quemadmodum solus Deus homini certum ultimum finem præfixit, ita etiam ipse solus pro suo arbitrio posset ipsi determinare *tempus vitæ*, neque fas esset homini injussu Dei è statione vitæ discedere: atque quòd confectarium est, quemadmodum nemo potest ab-

que injuria erga figulum de vase ipsius pro libitu suo disponere, illudque confringere, nisi ad hoc figulus ipsi fecerit potestatem, ita absque injuria erga Deum nemo potest de vita sua pro libitu disponere, ita ut possit eam destruere.

VIII. Dico, *ut possit eam destruere*; nam in alijs rebus potest aliqua circa eam disponere homo, ut, eam transferendo ab uno loco in alium, se alteri tradendo in servum, vel obfidem, multa item sibi procurando commoda, se ipsum curando, castigando, alios obligando, ne se lædant in vita &c. an verò propterea debeat dici homo tantum *usuarius*, *administrator*, & *custos* suæ vitæ; an verò *Dominus imperfectus*, ad modum loquendi spectat.

IX. Sed neque habet homo *membrorum suorum tale dominium*, ut pro libitu suo possit ea abscindere, seq; mutilare, aut mutilationi (quod fit in Monomachia) temerè obijcere; prout rursus cum cit. Angelico *q. 65. art. 1.* communis sententia asserit ex eadem ratione, quòd solus Deus sit Dominus non vitæ duntaxat, sed & totius corporis, ac membrorum; ideòque nemo possit absque injuria erga Deum per abscissionem membri mutilare vel suum, vel alterius corpus, nisi ad hoc Deus ipse fecerit potestatem, quam fecisse nec SS. Literæ, nec ratio, nec instinctus naturæ docent.

X. Quare Deo injuriam irrogat, qui in Monomachia in alterius corpus ad occisionem, mutilationem, & vulnera (sive de in ut provocans, sive ut provocatus) sævit, nisi moderamen inculpatæ tutelæ excuset, de quo postea; nam licet Monomachus sponte in stadio compareat, & vitam, corpusque suum discrimini necis, ac vulnerum obijciat; sicque, quantum est ex sua parte, renuntiet suo Juri, quòd habet, ne alter eum in corpore, & vita lædat, non tamen hòc ipsò cedit etiam Deus Jure suo, in cujus peculiari dominio sunt vita, & membra hominis, ut adeò alter neque hunc volentem, & ultrò se periculo obijcientem possit lædere, aut occidere absque injuria Dei, cujus Jus, & dominium invadit.

XI. Atque ex his liquet, utrumque Monomachum, tam *provocatorem*, quam *provocatum* contra Jus Divinum, & Naturale facere, dum ex conditò in pugnam descendit, quia neuter accepit potestatem à Deo, ut in alterum sæviat, & neuter alteri hanc potestatem facere potest, ut alter contra se licitè ad vitam, & vulnera pugnare possit.

XII. Deus verò quemadmodum vi Domi-  
H h  
nij

nij, quod ipse habet in vitam, ac membra hominis, potest hominem immediate per se ipsum occidere, vel mutilare absque illius injuria (prout figulus absque injuria potest vas suum confringere, & nos possumus bona nostra externa, quorum Domini sumus, pro libitu nostro destruere) ita etiam potest hanc potestatem facere homini, ut sua auctoritate occidat, uel mutilet alios, vel se ipsum, uti dicitur in sequenti §.

XIII. Et ita Magistratus, ac Principes, quam habent potestatem vitæ, ac necis, non nisi *ex commissione Dei habent* ad excidendos è reipublica homines malefactores, & noxios, aut eos mutilandos ad terrorem aliorum, ut iis sublatis, aut debite castigatis, bene sit toti reipublicæ, cujus quies per sceleratos perturbatur, & mala plurima invehuntur.

XIV. Alioquin neque licet magistratui ullò modò scire in hominem; unde si Magistratus, quantavis auctoritate pollens ita fureret, ut neci daret subditos innocentes, & mortem nequaquam per scelera comeritos, injustissime planè ageret; quia non accepit à Deo auctoritatem ad *placendos pro libitu sua inferiores*; sed tantum, cum ita exigit communitatis, cui loco Dei præst, incolumitas.

XV. Utrum autem hæc potestas Magistratui concessa dicenda sit *Dominium*, & Magistratus *Dominus vitæ, & necis*, nec ne, ad modum loquendi spectat; dicas *dominium imperfectum*; quia, cum non proprio nomine, sed *auctoritate Dei* occidat, vel mutilet, non evadit propterea perfectus Dominus vitæ, & membrorum, sicut possum cui permittere, ut occidat equum meum, quin ipse per hoc evadat Dominus equi.

XVI. Pari ratione potest homo occidere alium, vel mutilare pro justa, ac necessaria sui defensione *cum moderamine inculpata tutele*, ut dein dicitur. Potest item habere potestatem in alterum ad percipiendos fructus, & labores provenientes ex ipso, uti habet Dominus in servum, qui, quicquid acquirit, Domino acquirit, &c quia quoad hæc Deus homini potestatem fecit, uti ratio suadet, & scriptura in pluribus locis confirmat.

XVII. Quoad se potest etiam homo sibi per se ipsum, vel per alios abscondere membrum, quando id est necessarium *ad conservationem reliqui corporis, ac vitæ*; ut, quando aliquod membrum putridum inficeret reliquum corpus, ad quod Deus censetur nobis facere potestatem; quia nos custodes vitæ nostræ constituit.

XVIII. Non autem Deo duntaxat, sed & Magistratui, ac Reipublicæ injuriosa est Monomachia; Magistratus enim, & reipublicæ est (non privatorum hominum) noxios plerere; ad hoc enim gladium à Deo concessum porrat, ut Apostolus Paulus pronuntiavit; hujus est lites sua auctoritate dirimere, & injurias, quas sibi invicem membra Reipublicæ inferunt, vindicare; huic tanquam capiti se subjiciant membra corporis Politici, cujus incolumitas ex ordinato partium totius reipublicæ uni capiti subjacentium consensu existit: at monomachus neglectâ hæc Capitis in Membra potestate se ab hac obedientia injustè subtrahit, & ipse in propria causa se Judicem, ac vindicem petulanter constituit (cum propria in causa Judex esse non possit) eumque concentum, qui ex partium capiti subjacentium consensu existit, labefactat, perturbat, evertit; contra, quam inclamat D. Paulus, quod is, qui obedientiam Magistratus recusat, & ipsi resistit, Dei ordinationi resistat, *Rom. 13.*

XIX. Pone, impunè hæc innoxieque fieri, quantus in rem communem malorum cumulus! quanta in rebus publicis perturbatio! susque deque vertetur pax civium, omnia miscebuntur incredibili confusione, silebunt Jura publica, jus, fasque totum in armis stabit, & qui fortior est, triumphabit innocentem; maximum detrimentum subibit reipublica; cujus cives per mutuas conflictationes cladèque sese conficient.

XX. Nec unquam deerunt causæ, quas turbulenti Ardeliones suo cerebrò excoquent innumeras, si ad arbitrium proprium Judicabit inconsultus furor animorum, & homines furentes Jura dicent; quia dum commoti animò in vindictam sæviunt, temperantiam non requirunt; hinc fit, ut non pro causis tantum gravissimis, sed sæpè pro nugis, meris suspitionibus, sæpè quoque ex mera libidine animi impotentis, & quid effutiat lingua, vix attendentis ad suum, & alienum exitium efferati in arma ruant.

XXI. Neque ibi sistit erinnys, ut eos duntaxat, qui læsisse, aut læsi esse causantur, Monomachia comprehendat, sed & integræ familiæ implicantur, & lites ex litibus seruntur; homines viventes absque omni lite, & inter quos optimè conveniebat, nec raro cognatione, vel affinitate conjuncti in sceleris societatem adsciscuntur, tanquam Adjutores, ut ipsi secundò locò pugnent, ne videlicet primi

primi illi, quorum res agitur, Tartarum in-  
comitati petant; miseranda sanè illorum fors,  
qui sese neci, & orco dedunt, non ultores il-  
latæ injuriæ, sed alienæ feritatis, & inhumani-  
tatis Administrati adscititij, qui non pugnant  
ut hostes, nec nisi alieno scelere nocentes  
mortem, & vulnera sibi inferunt. Quantam  
stragem intra Annos 30. hæc furia in Gallijs e-  
diderit, prius insinuatum ex Raynaudo.

XXI. Neque Deo duntaxat, & Rei-  
publicæ injuriõsa existit Monomachia ( non  
litigamus hic de quæstione, an civem Rei-  
publicæ è medio tollens strictam injuriam  
contra justitiam commutativam committat )  
sed per eam lædit Monomachus etiam chari-  
tatem erga proximum læsione, quâ vix maj-  
or cogitari potest; cum eum evertere satagit  
omnibus bonis, *bonis corporis*, dum vita im-  
peditur; *bonis externis*, quorum dominium  
pro fundamento suo vitam habet; *bonis animæ*,  
quia si in Monomachia contra Leges Dei, &  
Ecclesiæ suscepta adversarius occumbat, in  
illo statu, anima (moraliter loquendõ) Tarta-  
ro inferitur; adeoque occidens Auctor est per-  
petui illius exitij; quia in illius tam horrendum  
discrimen eum conjecit. Quamvis enim e-  
jusmodi Luctator, cujus anima lethiferè sau-  
sia Duellum adit, absolute possit per contri-  
tionem perfectam adhuc salvari, tamen quis  
sibi, humanitus loquendõ, persuadeat ( ut  
rectè ponderat Raynaudus ) hominem, qui  
ad extrema pertingit, inita ex condicito Mo-  
nomachia, ac proinde in pessimo statu, fren-  
dentem odiõ in hostem, cujus vitam appetit,  
& cujus in se vicissim odium actu experitur,  
sub illius Oestri, odij, & rabiei ardore lethali-  
ter ab hoste confossum, brevi illo tempore,  
quod animæ ad iter in æternitatem restat, ita  
mitescere, ut depositis inimicitijs sincerè ad-  
versarium diligit, & injuriam nunc irrogatam,  
ac quasi calentem, cum solet æstus vindictæ  
magis effervesce, benignè condonet? at  
hoc necessarium omnino est, ut animam Tarta-  
ro subducatur. *Diliges proximum tuum sicut te  
ipsum* jubet Christus *Matth. 19. v. 19.* & hoc est  
secundum mandatum simile primo illi, quõ  
jubemur Deum diligere super omnia; *secun-  
dum autem simile huic, diliges proximum tuum sicut  
te ipsum.* *Matth. 22. v. 39.* At Monomachus  
( Christianus? ) proximum suum destinat vi-  
ctimam sui furoris, & odij: & etiamsi fors  
adversarius non occumbat, quõd sæpè con-  
tingit, tamen temeraria ira, & odium pro  
homicidio apud Deum habetur *Matth. 5. v.*

21. ubi, *audistis, inquit, Christus, quia dictum  
est antiquis: non occides, qui autem occiderit, reus  
erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo, Raca,  
reus erit Concilio, qui autem dixerit, fatue, reus  
erit gehenna ignis.*

XXII. Tandem violat Monomachus cha-  
ritatem erga se ipsum, quæ naturali, & inge-  
nita Lege eum eõ adstringit, ut evitet gravia  
vitæ amittendæ discrimina, & maxime ani-  
mæ æternum perdendæ pericula; contrarium  
facit Monomachus, dum peccando contra  
Deum, Proximum, Magistratum, & Rem-  
publicam, vitam extremopericulo, animam-  
que Dæmoni mancipat.

### S. V.

An Monomachia sit ita contra Jus  
Naturæ, ut ea nunquam licitè suscipi possit  
ubi & alia de Jure Naturæ scitu neces-  
saria referuntur.

1. *Licita est Monomachia, si Deus dat potestatem,*  
n. 1. 2.
2. *Non est sic intrinsecè mala, ut in nullis circumstan-  
tiis sit licita.* n. 3.
3. *Deus non dispensat in Lege Naturæ, sed ponit  
Conditionem, in qua Lex Naturæ non obligat.*  
n. 4. & seqq.
4. *Materia qualis Legis Naturæ.* n. 5. 6.
5. *Discrimen inter Legem Naturalem, & illam.*  
n. 7. 8.

ostendimus, Monomachiam non Juri hu-  
mano duntaxat Civili, & Canonico;  
sed etiam Juri Naturali Divino adversari-  
jam

I. Q. 1. An Monomachia nullo casu fieri que-  
at licitè? R. Ea potest fieri licitè iis casibus, qui-  
bus supremus vitæ, & necis Dominus, totiusq;  
Naturæ Auctor Deus eam suscipiendi potesta-  
tè fecerit. Responsio patet ex dictis prior. §. 6.  
ex Monomachia Davidis cum Goliath, at-  
que Exemplo Sanctissimi Regis Bohemiæ  
Wenceslai supra relatis.

II. Nec dicas, has Monomachias ex causa  
publica fuisse susceptas, adeoque non fuisse  
Monomachias propriè sumptas secundum  
Descriptionem *sect. 1. §. 1. n. 2.* à nobis tra-  
ditam. Nam R. sicut Deus ad monomachias  
ob bonum publicum ineundas, & ad bella pub-  
lica gerenda dare potest hominibus potesta-  
tem, ubi ad occisionem hominum agitur,  
ita etiam cuivis privato eandem potestatem  
facere potest ad monomachiam, & occisio-  
nem alterius: cum enim ipse sit supremus Do-  
minus

minus vitæ, sicut per se ipsum homini vitam auferre potest, ita & alteri dare potest potestatem eam auferendi, quemadmodum Abrahamo dederat Præceptum eam auferendi Innocenti Filio Isacco *Gen. 22*, sed hic nova, & gravissima oritur quæstio, quæ.

III. Q. 2. Quæ licita fieri queat monomachia, si contra Jus Naturæ est? &. Monomachia non est ita intrinsecè mala, & ita contra Legem Naturæ, ut Lex Naturæ eam prohibeat in omnibus circumstantiis, sicut est e.g. odium Dei; sed quando Deus concedit facultatem, ea cohonestatur, dum ponitur in tali circumstantia, in qua Lex Naturæ eam non prohibet.

IV. An igitur Deus dispensat in Lege Naturæ? &. Id non sequitur; nam dispensare est relaxare Legem, Deus autem, relicta in suo vigore Lege Naturali, ponit Conditionem, ac casum, in quo Lex Naturæ non obligat, & res, quæ aliàs de se mala esset, desinit esse illicita, ut habet Suarez de Legibus *Lib. 2. cap. 16. n. 18.* Laym. *Lib. 5. Tract. 10. parte 3. cap. 6. num. 9.* Hæc Doctrina, quia ad intelligendum ritè Jus Naturale est necessaria, juvat eam uberius ex citt. auctoribus referre.

V. Not. I. Materiam Legis Naturæ esse bonum morale per se (quod aliàs honestum dicitur) & malum illi contrarium, illud, ut præcipiendum, hoc ut vitandum; adeoque Lex Naturæ præcipit bonum per se honestum, & vetat malum per se inhonestum; in hoc enim differt ab aliis Legibus, quod aliæ Leges faciunt esse malum, quod prohibent, & necessarium vel honestum, quod præcipiunt; Lex Naturalis verò supponit in actu; seu objecto honestatem, quam præcipiat, vel turpitudinem, quam prohibeat, & ideo dici solet, per hanc Legem prohiberi aliquid, quia malum, vel præcipi, quia bonum, cit. Suarez *cap. 7. n. 1.*

VI. Not. 2. Bonum morale, sive honestum esse, quod substantia rationali (nam morale dicitur, quod habet ordinem ad substantiam rationalem liberam) per se consentaneum, ac decens est; malum verò morale, sive inhonestum est, quod per se repugnat, ac dedecet rationalem liberam substantiam; etenim bonum idem est, quod alicui conveniens, & malum, quod inconveniens; adeoque bonitas moralis consistit in ratione, seu ordine convenientiæ cum substantia rationali libera; malitia verò in ratione repugnantæ cum eadem. Lay. *Lib. 1. tract. 2. cap. 7.*

VII. Not. 3. Discrimen esse inter actus morales malos, qui per se, & ex natura sua mali sunt, ut, fornicari, Deum ac proximum odifse; & inter actus, qui mali sunt ex prohibitione Legis; ut, festo die laborare, missam non audire &c. Prioris generis actus speciem malitiæ accipiunt ab objecto suo secundum se; si enim objectum bonum, & decens sit, certâ quâdam habitudine conformitatis ad substantiam rationalem liberam, etiâ actio circa tale objectum est bona, sin verò objectum indecens sit certâ quâdam ratione difformitatis ad substantiam rationalem liberam, etiâ actio circa tale objectum mala, & inhonesto erit in certa specie vitij juxta illud *Osee cap. 9. facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt; sic amare Deum, subvenire pauperi* actiones bonæ sunt; quia Deus optimis peculiari quâdam ratione voluntati hominis congruit, & pauperi subvenire peculiari ratione hominem decet. Hinc bonitas, vel malitia moralis, quam objectum actioni tribuit, fundamentaliter, atque causaliter est in ipso objecto; formaliter verò est in ipsa actione. Posterioris verò generis actus (aut omissiones) malitiam suam non habent ab objecto præcisè, & secundum se, sed cum ordine ad legem præcipientem, aut prohibentem. Quando autem dicere solemus, honestum esse, quod recta ratio, sive conscientia agendum dicit, inhonestum verò, cui recta ratio, seu conscientia repugnat: hæc explicatio à posteriori, nobisque notiori signò petita est; nam ideo ratio dicit, amare Deum, miserere pauperis &c. honestum esse, quia id re ipsa bonum honestum est; tale autem est, quatenus rationalem liberam naturam concedet. Similiter ideo recta ratio judicat, mentiri, blasphemare &c. inhonestum esse, quia re ipsa tale est: tale autem est, quia rationalem liberam naturam dedecet.

VIII. Not. 4. ex eodem Laym. *lib. 5. tit. 10. part. 3. cap. 6. n. 9.* duplices esse actiones hominis, quæ adversantur Juri naturali: quædam ita ab objecto suo accipiunt malitiam, ut ea separabilis non sit. v. g. Deum odifse, blasphemare, mentiri; aliæ verò sunt malæ, & repugnantès Juri naturæ, quæ tamen cohonestari possunt, si jus tales actiones exercendi conferatur ab eo, qui conferendi potestatem habet; sic 1. furtum, sive acceptio rei alienæ, quæ per se mala censetur, si fiat Dominò invitò, statim cohonestatur, si is consentiat; 2. occisio innocentis, quæ per se mala reputatur, eò ipsò cohonestatur, si Deus Dominus humanæ vitæ consentiat, seu jubeat. 3. Polygamia omnis, præ-

præsertim verò illa, quæ est plurium virorum cum una fœmina, Juri naturali repugnat, quia Deus, qui solus humanorum Corporum Dominium retinet, non aliter concessit potestatem tradendi corpora ad usum generationis, & propagationem generis humani, nisi per vinculum insolubile matrimonii unius cum una; sique aliter faciant homines, repugnant Juri divino, & naturali; si autem Deus det licentiam, ut unus vir plures possit habere uxores, prout dederat antiquis Patriarchis Abrahamo, Isaac, neutri Juri repugnat; eadem ratione monomachiam suscipiens peccat contra Jus divinum, & naturale, in omnibus casibus, in quibus Deus non fecit potestatem eam suscipiendi; si verò Deus potestatem det, tunc rei aliàs per se illicitæ apponitur talis conditio, in qua illa illicita non est, nec dedecens naturam rationalem liberam, ideòque tali casu hæc non prohibentur Jure Naturæ. Quod Deus teste Suar. *cit. cap. 15.* facere potest aut mutandò objicendum, aut cedendò suo juri, aut immutandò hominum Jura, aut auferendò necessitatem operandi addendò novas circumstantias, quæ illam impediunt; ut nihilominus præceptum naturale integrum maneat, & ex se semper obligans pro opportunitate debita, & extra has circumstantias; sicque facit, ut actus illi materiales liceant, qui aliàs non interveniente Deo, & ejus potestate licite fieri non possunt.

IX. Ut intelligatur, quomodo hoc fiat, & non appelletur dispensatio, notat cit. Suarez, in Deo varias considerari posse rationes. 1. Est *Supremus Legislator*, ut possit nova, & varia præcepta imponere. 2. Est *Supremus Dominus*, qui potest dominia mutare, vel concedere. 3. Est *Supremus Index*, qui potest punire, & unicuique reddere, quod suum est; *Dispensatio* propriè pertinet ad Deum sub prima ratione, quia ejusmodi potestatis est condere, & tollere legem, & tunc censetur dispensare Deus, quando solà illà Jurisdictione utitur non adjungendò potestatem Dominativam, qua per Dominium suum mutet Dominium humanum; hoc enim non est dispensare, sed tollere materiam legis; quoties autem Deus facit licitum actum, qui Jure naturæ videbatur prohibitus, nunquam id facit, ut *purus Legislator*; sed utendò alià potestate, & sic non dispensat. *Suar. cit.* Sic quando Deus præcepit Abraham interficere filium, id fecit tanquam Dominus vitæ, & mortis; si enim Deus ipse per se ipsum voluisset interficere Isaac, non indignisset dispensatione, sed ex suo Dominio id facere potuisset, eodem modo potuit ad hoc uti operâ Abrahami seu instrumenti, ipsique hanc occasionem præcipere. Simili modo non dispensavit cum Hebræis *Exodi 11.* quando Ægyptiorum spolia illis concessit; sed vel tanquam *Supremus Dominus* illis donavit, vel saltem tanquam *Supremus Index* dedit eis mercedem laborum suorum.

X. Idem sentit D. Tho. de facto *Osee cap. 1.* *Osee v. 2.* in assumenda muliere fornicaria apud cit. Suar. potest enim Deus dare viro potestatem in corpus fœminæ, & è contra absq; illorum consensu, & ita efficere vinculum inter illos, ratione cujus hæc copula fornicaria non sit; ut tanquam certum habet Sanch. *de Matr. L. 2. disp. 25.* Suar. *lo. cit.* an autem talis conjunctio sit matrimonium, vel non disputant auctores; quidam negant, censentque nec per potentiam Dei absolutam posse constare matrimonium absque proprio conjugum consensu, quòd is videatur de essentia matrimonij; alij affirmant, ajuntque Deum immediatè conjunxisse primos parentes absque illorum consensu, idque Christum significasse *Matth. 19.* per verba: *quos Deus conjunxit &c.* quod tamen verum non censet Sanch: quia ad suavem Dei providentiam spectabat, ne primum matrimonium, quod aliorum norma, & exemplar erat, absque proprio consensu consisteret. Sed quidquid sit de hoc, hæc Divi Thomæ interpretatio ad Oseam non est necessaria, jussit enim Deus assumere eam, quæ prius fornicaria fuerat, non solùm ad usum, sed etiam ad matrimonium, & in conjugem, ut ex Hieronymo, Aug. Theodor. & aliis habet cit. Suar.

XI. Ex quibus n. 12. & seqq. cit. Auct. colligit. 1. quòd hic modus immutationis præceptorum naturalium non solùm Deo, sed etiam homini interdum sit possibilis; & in negativis quidem præceptis, quando materia illorum cadit sub Dominio humano, & per homines immutari potest, sic leges humanæ per præscriptionem poterunt mutare Dominia rerum: in affirmativis autem præceptis, quando per homines possunt immutari circumstantia, quæ inducebant necessitatem operandi, vel quando possunt homines gravius præceptum imponere, ut, *si Rex præcipiat suo non succurrere parenti extremè indigenti, ut subveniat reipublicæ periclitanti.* Deus autem ob singularem excellentiam potest, quando vult, uti absolutà potestate, & Dominò. Hinc liquet, præceptum

ceptum affirmativum non obligare *pro semper*, sed stando in pura lege naturæ, non habere aliud tempus, pro quo determinatè obliget, nisi illud, quod necessaria occasio, vel opportunitas definierit; unde si contingat, totum vitæ tempus transigi sine tali occasione, vel opportunitate, & ideo nunquam occurrere occasionem præcepti, nunquam esset obligatio legis, neque hoc foret dispensare in lege.

Colligit 2. quæ sit ratio, cur non in omnibus præceptis *negativus talis mutatio ex parte materia fieri possit per homines* in quibus fieri potest à Deo, e.g. in præcepto *non fornicandi*; quia homo non habet illâ potestatem in personâ feminæ, quam habet Deus, ut possit eam alteri tradere in suam, prout voluerit; unde potuerunt leges humanæ per usucapionem mutare Dominia rerum, non tamen ita potuerunt mutare Dominia uxorum; & ita stante lege humanâ potest definere esse furtum (quod per præscriptionem acquisitum est) quod antea furtum fuisset, non tamen potest definere esse adulterium, quod per se tale existit.

Colligit 3. quando materia præcepti talis fuerit, ut honestas, vel turpitudine ejus *non pendeat ex Dominio Divino*, quod tunc non solum indispensabile sit tale præceptum, sed etiam ita immutabile, ut non possit ulla ratione licitum fieri id, quod prohibet: quod propriè in solis *præceptis naturalibus negativis* invenitur; sic *odium Dei* nullò modò cohonestari potest, *nec adoratio idoli, nec cultus alterius Dei* præter Deum verum; quia ab his actibus secundum se sumptis inseparabilis est deformitas, si liberè fiant; nam si Deus posset facere, ut actus odij Dei ablata prohibitione non esset malus, posset etiam illum actum præcipere: quia si tali casu malus non est actus, sed licitus, cur non posset illum præcipere sicut occisionem innocentis Isaaci potuit præcipere Abrahamo? at verò absurdum est dicere, *Deum posse præcipere odium sui*, quia Deus facere non potest, ut ipse, qui summum bonum est, sit odii dignus, & consequenter nec potest facere, ut hic actus odij congruat voluntati humanæ; non enim potest facere, ut sit rectum, & ordinatum habere odii rem amorem dignam.

Idem argumentum format cit. Suar. de *Mendacio*; nam si Deus posset facere, ut ablata prohibitione, illud esse licitum, posset etiam illud præcipere, si posset præcipere, posset etiam ipse mendacium dicere, quod erroneum

est, saltem in hac providentia, sic enim tota certitudo fidei periret.

XII. Nec dicas: omnia, quæ cadunt sub Legem Naturæ, non sunt mala, nisi *quia sunt prohibita* à Deo, & ipse liberè prohibet. cum sit supremus Dominus, & Governator; ergo eorum prohibitionem iterum liberè tollere potest Deus. *ut N.A. Nam ut habet. cit. D.M. 4.* licet Lex Naturalis, ut est *propria Lex Divina* prohibitionem Dei includat, nihilominus supponit in sua materia *intrinsicam honestatem*, vel malitiam ab ea prorsus inseparabilem, & suppositâ divinâ providentiâ, non potest Deus non prohibere mala illa, quæ ratio naturalis ostendit esse mala; & licet fingamus, prohibitionem additam per voluntatem Dei posse auferri, nihilominus prorsus repugnat, id, quod per se, & intrinsicè malum est, definere esse malum, quia natura rei non potest mutari, unde nec potest talis actus liberè fieri, quin malum sit, & dissonum naturæ rationali:

Disputari hic acriter posset, an igitur Deus non posset dispensare in Præceptis Decalogi, aut ullo alio Jure Naturæ? quæ disputatio fusiores requireret indagacionem, sed ne nimium à proposito abstrahamur, placet eam potius insinuare, quàm disputare: itaque

XIII. Circa Præcepta Decalogi variaz sunt sententiaz, quas refert Suar. *cit. cap. 15. l.* est quorundam, qui generaliter affirmant, posse Deum dispensare in *omnibus Præceptis Decalogi*, & omnino obrogare totam Legem illam, quò factò licita forent omnia, quæ Lex Naturæ prohibet, quantumvis mala nunc esse videantur; & per consequens Deus etiam posset ea præcipere, ut fiant, quia si mala non sunt, sed licita, cur non possit ea præcipere? sed hæc sententia tamquam falsa, & absurda à reliquis Theologis rejicitur, teste eodem Suar.

Altera est sententia Scoti, quæ distinguit inter Præcepta primæ, & secundæ Tabulæ, *prima Tabula* dicuntur tria Præcepta, quæ versantur circa Deum; de quibus sentit, *duo priora*, quæ *negativa sunt*, esse indispensabilia, *Tertium* quatenus involvit circumstantiam Sabbati esse dispensabile (quod est manifestum apud omnes, quia quoad id non est Naturale) quatenus verò est affirmativum *præcipiens cultum Divinum* dubitat, an sit dispensabile. Tertia sententia distinguit inter *Præcepta negativa, & affirmativa*, & illa quidem indispensabilia hæc verò dispensabilia asserit. Quarta est sententia sæpè citati Suarezij, qui S. Thomam, & multos Theologos

referens ait, Præcepta Decalogi esse absolute indispensabilia etiam per potentiam Dei absolutam, posse tamen Deum (prout dictum) in aliquibus præceptis mutare eorum materiam, aut circumstantias ponere, in quibus non obligent; quia verò hæc mutatio, quando fit, ex peculiari Dominio, & potestate Dei, est (ut ita dicam) *extra cursum naturæ*, & præter Leges ordinariæ providentiæ, ideo interdum *Dispensatio* appellatur, non quidem *Præcepti naturalis*, sed *ordinarij cursûs & Legis providentiæ*, quæ à divina voluntate pendet; & hoc sensu locuti sunt S. Bernardus, & Bonav. quando dixerunt, ea, quæ pertinent ad Præcepta secundæ Tabulæ mutari posse auctoritate Dei Præcipientis.

XIV. Quod de Præceptis Decalogi, idem affirmat n. 25. de omnibus aliis Præceptis naturalibus extra Decalogum, non solum de Præceptis per se notis, quæ continent generalia Principia verfantia circa bonitatem, vel malitiam moralem, qualia sunt: *bonum est faciendum, malum vitandum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.* sed etiam de Præceptis, quæ tanquam conclusiones ex his principiis eliciuntur, ut est Præceptum, *depositum esse reddendum, usuram vitandam*, Præceptum *non ducendi plures uxores*, & cætera Præcepta ad Matrimonii materiam spectantia; *Præceptum servandi votum*, & alia ejusmodi Præcepta Naturalia, de quibus omnibus dicit, Deum proprie in iis non dispensare, sed mutare materiam eorum, & circumstantias, sine quibus ipsum Præcepti naturale non obligat ex se, & absq. dispensatione: quia si Præceptum est naturale, ut tale est, sequitur per consequentiam necessariam ex principiis naturalibus; aliàs non obligat *ex vi solius rationis*, & *discursûs*, consequenter non est *merè naturalis obligatio* ergò non potest magis in illo dispensari, quam in ipsis principiis naturalibus; quia omnis falsitas, vel defectus in conclusione redundat in falsitatem, vel defectum, aut mutationem principij.

XV. Huic sententiæ objicitur 1. Si Præcepta naturalia essent indispensabilia, tunc intellectus Divinus, ut prævenit voluntatem suam necessario judicaret, hos actus esse amandos, & illos odiò habendos. 2. Et consequenter necessitatem imponeret Divinæ voluntati ad amandos actus, quos præcipit, & odiò habendos, quos prohibet; & hoc, & prius videtur absurdum. 3. Beatitudo non pendet ex aliquo actu circa creaturam, sed potest Deus beatificare hominem ob solum a-

morem, aut alios actus elicitos circa Deum, consequenter nullus actus voluntatis humanæ est medium absolute necessarium ad beatitudinem hominis, nec impedimentum ipsum excludens: ergò tales actus (quales continent Præcepta Decalogi secundæ Tabulæ) circa creaturam non necessario prohibentur, aut præcipiuntur à Deo; nec sunt conclusiones, quæ absoluta necessitate inferuntur ex principiis per se notis, licet habeant quamdam convenientiam cum natura hominis. 4. Fieri potest, ut eadem actio interdum sit Jure Naturæ mala, interdum non sit.

XVI. R. Ad 1. Conc. nam Intellectus Divinus de omni re *necessaria necessarium* habet *Inducium*, sive sit de re *creata*, sive *increata*, sive *speculativa*, sive *practica*, seu operabili ab homine, quod non est absurdum.

R. Ad 2. etiam Conc. Si sermo sit de amore *complacentiæ*, nam & hunc necessario habet Deus circa illud, quod judicat *per se bonum*, & *affectum displicentiæ* erga id, quod judicat *per se malum*, maxime supposita voluntate libera, quam habet creandi hominem. Si verò sermo sit de *voluntate beneplaciti ferendi Præceptum*, & obligandi homines *nova positiva superaddita obligatione*, disputatur in utramque partem probabiliter; Suar. verò censet, etiam hoc modo non esse inconveniens necessitari Divinam voluntatem ad illam prohibitionem *ex suppositione, quod decreverit naturam humanam condere, & illam gubernare*, seu convenientem providentiam circa illam habere. Ideoque nec hoc, nec prius videtur absurdum.

R. Ad 3. Malitia, vel bonitas actus *intrinseca* desumitur ab *objecto*, non ex habitudine, vel necessitate, ad ultimum finem; cum id sit extrinsecum quid.

R. Ad 4. Fieri potest, ut eadem actio interdum sit mala, interdum non sit *cum iisdem circumstantiis*, vel *conditionibus naturæ N. cum diversis* Conc. cum enim bonitas, vel malitia consurgant ex consonantia, vel dissonantia actûs ad naturam rationalem, fieri non potest; ut idem actus cum iisdem conditionibus sit *per se dissonus, & consonus*; sed ut illæ diversæ habitudines, & relationes consurgant etiam pro diversis temporibus, necesse est, ut pro illis fiat mutatio in conditionibus naturæ v. g. accipere rem alienam interdum est malum, non tamen cum iisdem circumstantiis, sed malum *sine extrema necessitate*, bonum verò *in illa*: nam Præceptum naturale negativum prohibens hunc actum, non prohibet illum in



abstracto, sed ut malus est, ac proin ut versatur circa materiam talibus circumstantiis affectam. Quod si verò S. Th. vel alius gravis auctor aliter de dispensatione loquatur, latè accipit dispensationem pro mutatione obligationis orta ex mutatione materia, quæ extra ordinariè fit à Deo per supremam quandam potestatem. Hæc Suar.

XVII. Contrarium supponit Sanch. *Lib. 8. de matrim. Disp. 6.* alios referens, Deum nempe in aliquibus Juribus naturæ posse propriè dispensare, dum docet, etiam Rom. Pontificem potestate à Deo accepta posse dispensare in Jure naturali Divino non quidem in univèrsum Jus illud abrogandò, sed in aliquo casu speciali ex urgente causa; quòd hæc dispensatio in aliquibus juribus naturalibus necessaria sit ad bonam Gubernationem Ecclesiæ, & bonum animarum; ad Dei autem providentiam spectet, potestatem, quæ ad convenientem Ecclesiæ Gubernationem requiritur, in Ecclesia fuisse à Deo relictam. Hæc de Jure naturali hac occasione tractanda duximus, quia necessaria sunt ad rite intelligenda multa, quæ tum hac parte, tum parte sequenti de bellis trademus rite intelligenda. Plura de Jure Naturæ vide sis parte 1. sect. 1. §. 2. & seqq. quibus si modò dicta adjungas, habebis solidam Juris Naturæ doctrinam.

### §. VI.

Responsio ad Argumenta in oppositum, & quando quis possit seipsum occidere, vel mutilare?

1. *Exempla qui seipsum occiderunt. n. 1.*
2. *Directè nunquam licet seipsum occidere. n. 2. & seqq.*
3. *Licet tamen indirectè. n. 6.*
4. *Casus, quibus liceat indirectè sui occiso. n. 12. & seqq.*
5. *An liceat aliquem castrare ad conservandam honorum vocem. n. 22. & 23.*

Hactenus dictis multa opponuntur circa occisionem, & mutilationem sui ipsius: quæ proin hic sunt discutienda. Itaque

I. Opponitur: potest quis seipsum occidere ut patet in sequentibus casibus. 1. Cum duo sunt constituti in æquali necessitate, vel periculo, v. g. famis, vel naufragij, potest unus alteri cedere panem suum, quem habet, aut tabulâ, quam tenet, fame, vel naufragio ipse periturus. Advertit tamen Less. *l. 2. c. 9. d. 6. n. 31. Eum*, qui prior rem (E. g. tabulam in nau-

fragio.) occupavit, non teneri alterum admittere, sed posse impedire, nisi utrique sufficiat: si simul occuparunt, sorte esse dirimendum, nisi alter alteri sponte cedere velit.

2. Potest quis se ipsum pro Rege, vel amico obijcere medium telo, vel globo occidendus eodem. 3. Potest, imò tenetur miles in communi periculo stationem suam tenere, licet certò sit occidendus, 4. Potest quis non fugere è carcere, cum posset, etsi certus, se occidendum, uti fecerunt multi SS. Martyres. 5. Potest quis interire pestiferis, etsi putet, se quoque peste correptum iri, & interficiendum. 6. Laudantur aliqui homines Sancti, qui se ipsos occiderunt, ut Samson *Judic. 16.* quem Paulus *ad Hebræos 11.* inter Sanctos numerat. Eleazarus. *1. Machab. 6.* Qui, ut Elephantum, cui Regem hostium insidere credebat, interficeret, seipsum Elephantum supposuit, ejus illa ferro scrutatus, & ab Elephantum oppressus. Razias *2. Machab. 14.* qui, ne in manus hostium veniret, seipsum gladio petiit, & per muros præcipitavit. item S. Apollonia, quæ se in ignem præparatum injecit, in quem à Carnifice injicienda erat. Aliæ item virgines, quæ ab Ambrosio *lib. 3. de virginitate*, & ab Eusebio. *Cæsar. lib. 8. Hist. Ecclesiast. cap. 19. apud Card. de Lug. Tom. 1. Disp. 10. sect. 1. n. 13. de 1. & 1.* referuntur, & Commendantur, quòd ob conservationem virginitatis sese in profluentem projecerunt. Celebratur & facinus illius virginis, quæ militem impudicè eam opprimere volentem hoc stratagemate hùit: promittit illi, si parceret, se daturam unguentum, quòd contra omnia vulnera tutus, & nullis armis penetrabilis foret. Acceptante conditionem milite; illa nescio quod unguentum profert, militi ostendit, & in me, inquit, experimentum cape; collum meum illitum hoc unguento (simulque collum illiverat) gladio percussit fortissimo, quo vales, icu: miles experturus invulnerabilitatis hoc remedium, gladium stringit, forti icu collum petit, & (quod virgo optaverat, ut virginitatem tueretur) scapula à cervice revellit. Cur igitur nequeat quispiam vitam suam monomachis obijcere, quam sibi met potest etiam adimere? Ansequam ad hæc objecta respondeamus prius dissolvenda est quæstio. Quæ

II. Q. 1. Quando homo possit seipsum occidere? Notandum, occisionem sui posse fieri vel directè, vel indirectè; *Directè fit*, quando quis positivè ex intentione se occidendi po-

ponit actionem per se ordinatam ad sui occisionem. *Indirectè fit*, quando quis aliquid omittit, vel aliquid ponit, quo omisso, vel posito aliunde mors consequitur, quam non intendit; sive, quando ponit actionem aliquam, quæ sit connexa cum morte aliunde, & alijs à causis inferenda. *Tamburinus lib. 6. in explicat. Decalogi cap. 2. §. 2.* ut si quis in naufragio relinquat, vel tradat amico tabulam, per quam enatare ipse poterat, qui tamen eâ relicta undis absorbetur, & perit. hõc notatõ

III. R. 1. Seipsum *directè* occidere nemini licet, nisi Deus, qui vitæ Dominus est, ipsi ad id concedat auctoritatem. Responsio satis constat ex dictis, & est communis DD. uti videri potest apud cit. Tamburin. Lefs. L. 2. cap. 9. dub. 6. Laym. l. 3. tit. 3. part. 3. cap. 1. Ducibus S. Tho. 2. 2. q. 64. à 5. & S. Aug. lib. 1. de civit. Dei à cap. 16. usque ad 28.

IV. Turpis error fuit aliquorum hæreticorum, qui *circumcelliones, seu circussores* dicti sunt: hi dicebant, licitum esse se ipsum occidere, & opus magni meriti, ac speciem Martyrij, atque ideo se ipsos igne, præcipitio, suffocatione, vel submerfione e medio tollebant, aliõsque, ut ipsos interficerent, cogebant, uti habet Lugo, & Laym. loco cit. ex S. Aug.

V. Nec dicas: licitè possum mihi optare mortem ob bonum finem, v. g. ut vitæ hujus ærumnas effugiam: ergo etiam possum mihi ob hunc finem mortem inferre. R. N. con: quia, si quis mortem desideret, ut *debito modo* sibi obtingat, nihil in eo mali continetur: at si quis illam sibi infert, excedit modum debitum, & usurpat potestatem in vitam, quam ipse non habet, sed Deus, adeoque in hoc continetur multum mali: multa possumus optare nobis, & alijs, ut *inculpato modo* fiant, quæ tamen inferre non possumus; sic desiderari potest (exemplum est Tamburini) licitè pollutio, ut in somnis v. g. eveniat ob bonum sanitatis finem, sed procurari licitè nunquam potest. Sic possum malefico imprecari, & optare commertum supplicium ob bonum commune, non possum propria auctoritate illud inferre. Possum optare multa pati pro Christo, quæ non possum omnia inferre, aut procurare. Lefs. n. 20.

VI. R. 2. Et si non liceat seipsum *directè* occidere, licitum tamen est, quando justa subest causa, aliquid facere, vel omittere, unde certò scitur secuturus interitus *indirectè* Lefs. n. 27. & DD. Passim. Rationem dat: quia

non est prohibitum homini, ne vitam suam periculis unquam exponat; aut præceptum, ut eam conetur semper servare; sed tantum ne ex intentione illam quasi exosam auferat, & ne absque causa illam exponat, aut conservare omittat; tunc enim censetur illam ex intentione perdere: sicut prohibitum est, ne se ex intentione polluat, aut absque justa causa ejus periculo se exponat. Hæc Lefs. præceptum enim *servandi vitam affirmativum est*, per quod non censetur Deus hominem obligare, ut in omnibus casibus eam conservet, & non possit ex justa gravique causa aliquid facere, vel omittere, unde mors sequatur, quam ille non intendit; sicut illum obligavit *præcepto negativo*, ne positiva intentione, & *directè* sibi mortem inferat, & vitam destruat. Neque ex hac indirecta sui occisione, si ex gravi causa fiat, eveniunt illa incommoda generi humano, quæ evenirent, si *directa, ac positiva* sui ipsius occisio liceret, de quibus priore §. n. 5. dictum. Ex his eruitur responsio, qua

VII. R. Jam ad casus n. 1. in objectione positos 1. in plerisque illis casibus homo se ipsum non occidit *positivè*, sed *negativè* tantum, ac *permisivè* non conservando vitam suam, assumpto v. g. pane, vel tabulâ, sed eas res alteri relinquendo: vel *tantum indirectè* ponendo ex justa, gravique causa actionem aliquâ, quæ est connexa cum morte aliunde, & alijs à causis inferenda, ponendo e. g. se in loco, in quo ab emittente sagittam, vel globum occidetur.

VIII. 2. Quòd si verò in aliquo propositorû casuum, aut aliorum affinium, qui innumeri afferri possunt, quispiam occideret se ipsa *directè ex intentione se ipsum occidendi*, hoc ipso illicitè ageret, secluso speciali instinctu Dei, per quem cognosceret, factam sibi esse à Deo potestatem se ipsum occidendi.

IX. 3. Sancti verò illi, qui se ipsos occiderunt, id fecerunt *ex speciali instinctu Divinò*, quod in Samsone effectus comprobavit, cui Deus vires peculiare, & supernaturales ad columnas convellendas restituit. B. Apollonia etiam Spiritûs S. inspiratione creditur id fecisse. Eleazarus tantum indirectè se occidit exponendo se periculo, unde liberari poterat, si bestia in aliam partem cecidisset; & forsan etiam Samsón hoc pacto excusari potest. Alij ignorantia invincibili excusantur, quæ circa re adeò abstrusam facile in fœminis, & hominibus indoctis reperiri potest. Huc referas facta

illius virginis, quæ acinaci militis collum resecandum præbuit, ut casta moreretur; nisi & hanc velis Eleazaro accensere, quod se tantummodo exposuerit periculo. Raziam multi non excusant: alij tamen per ignorantiam invincibilem, & bonum Zelum exculatum credunt. *Lugo. n. 15.*

X. Atque uno ex his modis egerunt omnes, quotquot seipsos licitè, aut laudabiliter occiderunt, ut fæmînæ illæ apud S. Ambros. quæ, cum ad Tyrannum essent adducendæ, se in flumen præcipitaverunt, ne pudicitiam amitterent; & alia, quam Palladius apud *Less. L. 2. ca. 9. dub. 6. n. 23.* laudat, quæ cum accerferetur à Tyranno, se interfecit. Quoad Martyres, qui è carcere, cum possent, non fugerunt, testificatio fidelitatis in Deum sufficiens causa est permittendi occisionem sui. At Martyrij cupiditate se ingerere in Martyriû non esse licitum docent S. Th. Cajet. Sanch. & Gobat. apud *La Croix Tomul. 2. n. 782.*

XI. Si Regulam petis, quando hæc indirecta sui occisio liceat? ea alia dari nequit, quam quod liceat tunc, quando iusta, & gravis adest causa aliquid agendi, vel omittendi, unde mors sequatur, si ea non intenditur, sed duntaxat finis bonus. Quando verò ejusmodi causa non adest, non licet. Addit Tamburinus, neque licere, quando mors *per se* sequitur ex tali actione; sed illud *per se* rem facit difficilem in multis casibus, quas *particularas* proin Lessius omittit. Et ipse Tamburinus fatetur, id non posse alio modo decerni, quam per prudentem virum omnibus circumspectis, præsertim gravitate causæ conjunctione vicina, vel remota actionis, vel omissionis cum morte. Et ideo aliam majorem explicationem addi non posse, nisi aliquorum casuum particularium mentionem, in quibus D. D. hanc indirectam cooperationem ad propriam mortem agnoscunt, & tamen eam concedunt; nam ex istis difficile negotium non erit, similia decernere.

XII. Atque ex his liquet, cur quis non possit vitam monomachia exponere ex causa privata, ubi utrinque directè, ex intentione pugnatur ad mortem, & vulnera; sicut ex intentione nemo potest se pollueri, aut absque iusta causa se pollutionis periculo exponere.

XIII. Casus autem, quibus præter supra positos liceat indirecta sui occisio, hi communiter recensentur. I. Potest quis scalas ad moenia oppidi justè expugnandi applicatas

primus ascendere, quamvis prævideat, se sic esse interendum. 2. Potest ad oppidum, vel turrim hostilem evertendam ignem injicere pulveri tormentario, etiamsi & ipse momento sit dissipandus: quia iusta causa boni publici, id est, victoria, has actiones ex se non malas merito concedit. cit. Tamburinus. 3. Idem censet Lessius *cit. L. 2. cap. 9. dubit. 6. n. 34.* de militibus, & socijs navalibus, qui cum hæreticis prælio navali dimicantes cum jam vident, navem in hostium potestatem venturam, communi consensu ignem pulveri injiciunt, & se mari committunt, ne ipsi, & navis veniant in hostium potestatem; si enim quis potest insilire in mare, ut salvet amicum, cur non, ut evadat hostis crudelitatem? 4. Grassante incendio, si non suppetat alia ratio tam horrendæ mortis evadendæ potes te è sublimi per fenestram demittere, etiam cum certo vitæ periculo; non enim intendis te occidere, sed dirum illud tormentum fugâ evadere; quin etiam animantia instinctu naturæ modis talibus se salvare nituntur. *Less. n. 35.*

XIV. Hæc quidem expedita videntur, si spes sit aliqua saltem tenuis evadendi à periculo illo, in quod se talis homo conijcit, etiamsi ex altera parte sit morale periculum peteundi. At quando omnino est certum, non posse mortem propriam vitari, disputatres posteriores casus subtiliter Lugo *cit. disp. 10. n. 50. ac seqq. &*

XV. Contra 2. & 3. casum obijcit: si, ut incendium vites, vel hostes, potes te præcipitare per fenestram ex alto, vel in mare è navi, sequitur, quod etiam, si aliquis tibi minetur mortem crudelissimam, visite præcipites, possis id facere, quia non intendis te occidere, sed fugere mortem illam crudelissimam.

XVI. Respondet negando sequelam; quia priori casu præcipitatio tua non ordinatur ullo modo ad tuam mortem, sed solum ad fugam mortis præsentis, in posteriore casu ordinatur ad tuam mortem, quia alter ideo tormenta minatur, ut te per præcipitationem occidas, tu autem te præcipitas ideo, ut ejus petitioni facias satis; sicut igitur, quando quis tibi minatur mortem, nisi alium occidas, non potes eum occidere; quia tunc occisio tendit directè ad eum occidendum; si autem jam te aggreduatur, potes te defendere, & eum occidere; quia tunc occisio directè tendit ad defensionem tui. Sic quando minatur mortem,

ut

ut te præcipites, non potes te præcipitare, quia actio illa præcipitativa nondum est *fuga*, & *defensio*, sed eligitur tanquam satisfactio illius petitionis, quæ intendit tui occisionem: si verò ille jam te combutat, poteris, ut ejus manus, & incendium vites, te præcipitare, quia tunc eligis hanc actionem solum *tanquam fugam* hujus gravis mali.

XVII. Contra 4 casum obijcitur: Si miles potest ignem injicere in pulverem tormentarium, licet videat, se unâ cum hostibus obruendum fore, sequitur, quòd quis, ut hoste gladio transfigat, quem aliter transfigere non potest nisi semet simul transfigendo, possit se unâ cum hoste transfigere, e. g. si Supinus jaceat super hostem, qui ipsum manibus tenet, ne assurgat, nec possit aliter eum occidere, nisi transfigendo pugionem simul per suum metpectus, ut hoc ictu hostem subus se jacentem confodiat: sequelam admittere videtur durû, quia te prius lethali percutis, quàm illum.

XVIII. ix. Si bonum publicum ejusmodi occisionem hostis sub tali milite jacentis exigeret ad avertendum grave malum à Republica, quòd aliter averti nequit, aut procurandum magnum bonum, quòd aliter procurari nequit, non videtur talis actio occisiva illicita, si miles directè intendat *solam occisionem hostis* infra ipsum jacentis, et si præter intentionem ipse quoque eodem ictu pereat; quia videtur esse *solùm indirecta occisio sui ipsius*, quæ ex gravi ejusmodi, & justa causa nõ est illicita.

XIX. Sicut in simili casu potest quis occidere hostem ex tam gravi causâ, etiamsi deberet eodem ictu occidere simul aliquem aliû innocentem, v. g. si hostis innocentem infantem ictibus opponeret, eoque quasi Scuto se protegeret, posset etiam per innocentis infantis corpus gladium trajicere, ut adversarium occideret, si aliter nequiret ipsum percutere, nisi hac viâ; utitur enim talis Jure suo, quò intendit solam occisionem hostis; occisio infantis autè solùm præter intentionem, & indirectè fit; sicut, licet in turri hostili innocentes aliqui adsint, potest tamè ea comburi, ut hostes pereant, quamvis per accidens, & præter intentionem pereant etiam innocentes, nec videtur inter hos duos casus, & nostrum esse differentia, nisi materialis; quia sicut nemo potest *directè* occidere se ipsum, ita nemo potest *directè* alium innocentem. In praxi autem, ut Lugo observat vix occurret eventus, in quo casus iste se unâ cum hoste confodiendi locum habere possit; quia vix po-

test esse spes effectûs hujus consequendi; cum natura propria lethali vulnere debilitata non posset imperum sufficientem continuare ad confodiendum hostem subus jacentem; atque ex hoc saltem capite illud non esset tentandum.

XX. Præterea licitum est; se afflictionibus moderatè afficere ex intentione placendi Deo, licet per accidens inde secutura sit mors velocior; id enim tantùm est indirectè esse causam accelerationis mortis: immoderatè verò, & indiscretè supra suas vires cruciare se non licet, ut inde notabiliter vita brevior reddatur; quia sicut alium v. g. infantem non potes occidere ob bonum finem citiùs eum mittendi ad gloriam, sic nec te ipsum, *Tambur.* Etsi hîc multi ob bonam fidem, & Zelum Deo placendi exultent. Neque movendum esse scrupulum, etiamsi quis poenitentis, vigiliis, mortificationibus ad obsequium Dei vitam suam abbreviet ait La Croix *L. 3. parte 1. n. 774. ex Diana p. 5. t. 4. R. 33.* quòd hoc spectet ad gubernationem vitæ, quæ nobis à Deo Commissa est, ut ita illâ possimus uti ad exercitium virtutum, & majorem gloriam in Cælo obtinendam, ad quam creati sumus. Certè hac in re longè plures peccant per nimiam gulam, crapulas, & comotationes vitam abbreviando, quàm per austeritates: magis autem medicè, quàm Theologicè, & Christianè loquuntur, qui immeritò scrupulum injiciunt personis delicatis, & debilis complexionis, ne Religionem aliquam ingrediantur abbreviationem vitæ metuentes. *Lugo n. 33.* abstinere tamen E. g. vinò directè eâ intentione, ut etiam unâ horâ citiùs quis moriatur, non licet, quia homo etiam ad horam non est Dominus suæ vitæ. 2. Pari ratione etiam licet impensè incumbere ad studia, quamvis exinde spiritus vitales debilitentur, & exhauriantur, ut indirectè citiùs mors sequatur. 3. Non tenetur quis uti cibus nisi ordinariis per se ordinatis ad vitam conservandam, non verò extraordinariis, & delicatis; sicut etiam non tenetur fumere extraordinaria, & magnis impensis conquisita medicamenta, sed satis est medicamentis communibus uti; licet aliàs spes foret vitam diutiùs conservandi. *Tamb. tit. cap. 2. §. 1.* 4. Nec tenetur quispiam aliis mediis extraordinariis nimis duris, v. g. abscissione cruris &c. vitam conservare, nisi ea bonè communi sit necessaria. Neque virgo ægrotaans (per se loquendo) tenetur subire manus

Me-

Medici, vel Chirurghi, quando id ei gravissimū est, & magis, quā mortem ipsam horret. Busenbaum *lib. 3. tr. 4. dub. 1. ex Less. Sanchez. Escob. Turrian.* licet secundū Sanchez apud eundem Auctorem infirmus, cui copia Medicorum est, in periculo mortis, si sit spes salutis, non possit medicamenta respicere; §. Non tenetur quis in obsidione velci canibus, felibus, muribus, calceamentorum segmentis; neque carnibus humanis; quia non tenetur tam extraordinario cibo, & tam repugnanti ipsi naturæ vitam producere; *Less. lib. 4. cap. 3. n. 12.* Tamb. *loc. cit.* Potest tamen, si velit, jisdem uti: non tamen licet eo fine hominem occidere, ut ex ejus carnibus suppetat cibus; quia homo non est destinatus homini in cibum, sicut cætera animalia, sed debet velci (si vult) carne hominis aliàs occisi. *Less. cit. n. 11.* 6. Si damnato ad mortem præcipiatur, ut exequatur in se sententiam, v. g. venenum bibat, & venam sibi aperiat, se in ignem conjiciat &c. potest, si velit, illa facere, uti potest in se exequi pœnam exilij; quia tum constituitur minister publicus suæ necis, ad quod, quamvis Judex reum non possit cogere (nimis enim crudele est hominem sui ipsius esse carnificem) tamen accedente consensu ipsius damnati non est, unde fieri non possit; neque sic damnatus se ipsum punit tanquā Judex, sed tanquā constitutus Judicis punientis, quod si ea non præcipiantur damnato, is propria auctoritate facere non potest. Tambur. *loc. cit.* La Croix cū Haunoldo, Illung, Salas. *Lessio &c.* Pari ratione licitè se ad locum mortis confert, scalas patibuli ascendit, quæ ipsi implicitè præcipiuntur; non tamen potest seipsum dejicere è scalis, quia hoc ei non præcipitur, cū regulariter à carnifice dejici soleat. *cit. Tamb.* 7. Potes te offerre Judici ad mortem subeundam locò amici, quando ille injustè damnatus esset, quia tunc non magis peccat Judex te occidendo, quā illum, quem *injustè* damnarat: si autem amicus tuus justè damnatus fuit, non potes te offerre; cū Judex non possit justè te occidere, nisi tu etiam morte dignus esses, & sufficit alterum è duobus occidere. Lugo *n. 49.* Tamb. *loc. cit.* 8. Justè damnatus, ut fame pereat, potest cibū semel, iterūque clam oblatum respicere. Lugo *n. 30.* & Malefactor potest se ultrò sistere Judici ad interficiendum. Tamb. *loc. cit.* §. 2. *n. 6.* 9. Non obligatur quis mutare locum habitationis ad salutem recuperandam; nec ducere uxorem ad conservandam salutem; nec

patiens magnam sitim tenetur obstinere potu, licet per potum videat aliquod damnum inferri suæ salutis. Item ad vitanda gravia tormenta potest quis confiteri verum crimen: imò cum æquivocatione falsum sibi imponere, si in damnum aliorum id non redundet. Item ad vitandam mortem acerbiorē potest quis se immittē in periculum mortis minùs acerbæ; tunc enim malum apprehensum ut minus potest majori antepōni conformiter priùs dictis de præcipitante se è turri ad evitandum incendium. Tamb.

XXI. Sicut autem homo non potest seipsum occidere, ita neque potest seipsum mutilare, seu membrum sibi abscindere, ut dictum §. 4. *n. 8. & 16.* Unde inferunt DD. communiter 1. quod neque ex fine, ut à peccatis fugias, possis in membris te ipsū offendere, v. g. oculos eruere, ut foeminas tibi ruinæ causas non aspicias; sicut neque licet te castrare ad sedandas tentationes, vel conservandam castitatem; quia hoc ad hunc finem non est necessarium. *Less. L. 2. c. 9. dubit. 14.* quia non corporis, & membrorum, sed animi malitia causa peccati est.

XXII. Inferunt 2. quod non liceat alicui permittere, ut ad conservandam vocem sonoram castratur, etiamsi hac ratione redditus sibi pro tota vita, & lucrum comparare possit; & quod parentes etiam pauperes suos filios non possint in hunc finem castrare; cū nec propter lucrum, nec propter ullam aliā causam licitum sit abscindere membrum, nisi ad conservandam vitam, vel sanitatem Corporis, aliàs etiam licita foret castratio, si quis Princeps vellet habere in suo Palatio pro intimis famulis eunuchos, ut olim fiebat, & hodie observatur in aula Imperatoris Sinarū. Lugo *n. 25.* & aliàs liceret castratio etiam ad utilitatem spiritualem, ut facilius tentationes carnis vincerentur, vel ut securius quis cum foeminis conversari posset, earum curam spiritualem suscipiendò &c. quod tamen dicere est contra decreta Ecclesiæ. ut patet *ex can. 4. s. 6. & aliis dist. 55. & ex tit. 20. lib. 1. Decretal.* qui est de corpore vitiat. non promovendis ad SS. Ordines: & *ibi DD.* Unde se ipsos castrantes, vel mutilantes, aut partem aliquam abscindentes *irregulares* sunt, etsi libidinis sedandæ causā id faciant, putantes se obsequium præstare Deo. Pirhing *ad Tit. Decretal. de Corpore vitiat. n. 12.* Wiestner *ibidem n. 18.*

XXIII. Tamburinus verò *lib. 6. explicat. Deca-*

*Decalog. c. 2. §. 3. n. 4.* allegans Salon. & Pasqual. censet, probabile esse, quòd licitum sit pueros, ut sonoram vocem retinerent, castrare; si fiat manu Chirurgi absque morali periculo mortis, in tali enim periculo certum est non licere, uti etiam non licere patri id attentare in filio sine ejus consensu; quia pater non est dominus membrorum filij. Rationem dat; quia justa videatur causa non deficere in republica, imò in Ecclesia hos sonoros cantores ad divinas laudes modulandas; & abscissionem non ita notabiliter nocere ipsi individuo, ut compensari non possit cum emolumento, tum lucro, quod ex illa speratur. Finge artem adesse afferentem utilitatem, imò solum splendorem Reipublicæ, quæ arseret non possit, nisi ab eo, qui careat summitate pollicis, indicis, vel alterius digiti, condemnatæne de peccato eum, qui sine morali periculo majoris mali damnum adeo modicum sibi inferret, ut illi arti vacaret? ego

certè non condemnarem; sicut nec condemnat Fagnanus *lib. 5. in Decret ca. 13. n. 4.* hæc Tamb. licet enim homo non sit dominus membrorum suorum, tamen hoc non obstante ex causis justis potest se subinde mutilare, ut, si Tyrannus tibi mortem minetur, nisi manum tuam abscindas, si catenæ manum habes insertam, potes eam abscindere, si possis te sic ab injusta morte impendente liberare &c. probabile quoque censet cit. Tamburinus, allegans Castrop., talem sibi testiculos abscindere permittentem non esse irregularem, quòd Jura Canonica loquantur de eo, qui sibi *virilia* abscindi fecerit, non verò, qui *testiculos*: sed contrarium videtur manifestè colligi *ex ca. qui partem dist. 55.* ubi dicitur: qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum canones non admittunt Wiestner *de homicidio n. 55.* & apud cit. Tamb. Suar. Molin. Sayrus &c.

## S E C T I O IV.

D E

### Prohibitione Monomachiaë susceptæ ob punctum honoris.

§. I.

#### An licitè suscipiatur Monomachia ob punctum honoris?

1. *Non licet suscipere, aut acceptare ob punctum honoris. n. 1. § 2.*
2. *Exemplum Monomachiaë ex casu sutill. n. 3.*
3. *Neque provocato licet comparere in Duello ad defendendum honorem. n. 4.*
4. *Rationes contrarie. n. 9.*
5. *Illarum solutio. n. 10. § seqq.*
6. *Discutitur casus perdifficilis, an liceat non solum acceptare, sed etiam provocare ad servandam dignitatem, officium, &c. § non solum ad evitandam timiditatis notam. n. 14. § seqq.*

**N**ulla ex causa frequentiores nascuntur monomachiaë, quàm ex Puncto honoris, prout sect. I. §. 4. dictum. de harum proin prohibitione speciatim hic agendum.

I. Q. I. An licitè suscipi possit monomachia ad tuendum punctum honoris sui? R. Nequaquam licitè suscipi potest ob hanc causam. R. constat ex dictis: quia ex una parte aliter honor recuperari potest, nempe per Judicia, quæ constituta sunt, neque ad hunc finem monomachia medium aptum est; & ne-

cessarium, sed ineptum, quod ex dicendis constabit. Ex altera verò parte summa perniciës immineret rebus publicis si id permissum esset; nimia enim homicidia forent, cum diversi sint hominum genij, & multi valde mirabiles, qui nescio quas leves honoris perstrictiones stolido phantasmate tanquam ingentem honoris voraginem suo crebro depingunt; & quibus rixosè vivere volupe est, qui illico ad arma ruunt; cui animi impetui fatuorum hominum si habenæ laxentur, rempublicam innumeris involvent malis, prout crebræ diffidationes, & duella, de quibus supra, satis demonstrarunt: quare meritò hæc cædium phrenitis, & privatim pugnandi infania è genere humano eliminatur Lege Divinâ, Canonicâ, & politicâ Principum. Etenim ea est hominum indoles, quæ si sui ipsius Judex constituitur, facile per amorem proprium à recto Judicij tramite abducitur in favorem sui, ut excæcata passione apprehendat sæpe gravem injuriam, quæ apud æquos rerum arbitros nil nisi turbulenti cerebri stolidum phantasma est imaginantis ignominiam, ubi ignominia nulla est, sed phantastica superbia est. Unde in humanis rebus cœsunt Sapientes, verè prudentis

L I

dentis esse, suâ ipsius prudentiâ minimè fidere præsertim in rebus tuis, quarum homines animo perturbato ferè boni Judices esse non possunt. S. Ignat. *lib. Exercit.*

II. Certè extant plurima, & propè infinita paradigmata, homines turbulentos, & honoris nimia phantasiâ phantasticos ob crepundia, sed ampullacea in hanc lanienam profiliisse: unicum verbum aculeatum, punctulum honoris levissimè perstrictum, negatio reverentiolæ, quam alter tumidè affectabat, apex in titulo omisus causas monomachicæ præbuere. Fatuis hi illis similes sunt, qui phantasiâ corrupti verba aliqua certa ferre haud valent, quæ si quis proferat, ad arma, saxa, perticas, stipites, pugnas ruunt. Væ! si deprehenderint, qui verbum fatuo antipatheticum intonabat. Novi ego ejusmodi emotæ mentis hominem, quem si *equitem hircinum* (einen *Bock-Reuter*) nominasses, de fuga prospiciendum erat, ad saxa illicò offensus ruit: quòd si verò, antequam impetere te posset, palinodiam recantares, & diceres: *erravi in hove; non es eques hircinus, sed strenuus pedisequus Domini tui* (*Herr Herrens Diener*) quietus illicò, & reconciliatus saxum eum in locum, unde deprompserat, reposuit. Unde rectè non nemo dixit, cum superbo agendum esse eadè methòdo, quâ cum stulto; utrumque laudes, necesse est, & dicas ea, quæ placent, ut ut ineptissima sint; aliàs si vel leviter tangas montem, fumigabit.

III. *Duo in Anglia Proceres monomachiam parabant de gentilitiis insignibus invicem certaturi (utriusque enim caput tauri in famula imaginibus erat) priusquam manum confererent, Rex eos ad se seorsim evocat, & quantum video, inquit, hac vos causa in monomachiam accendit, quòd neuter pati possit, gentis sue signa ab alio ferri; si igitur ex concertatoris tui sententia adversum à tuo siemma illi gerendum concessero, à duello cessabis? cum separatim uterque annuisset, jussu per præconem e-nunciari, operà Regis concordes eos discessisse, diversaque illis insignia constituta, ut alteri caput tauri, alteri caput vaccæ gentilitium esset. Al-tiatus cap. 7. de sing. certam. laudanda profecto Regis sententia iocis, salubisque mixta, qui de re nullius momenti eos in arenam prodire vesuit: quid enim meâ interest, inquit cit. Auct. si & tu à majoribus tuis per manus tibi traditum signum quamvis meo conforme in armariis habeas, dum id curâ alicujus fraudem sit? artificibus, mercatoribusque hujus rei aliqua forte utilitas in animadver-sione esse deberet, quòd ex signo, & operarij manu*

*pretia verum intendatur, mercèsque vendibiliores plerumque fiant; at hanc æmulationem officium Judicis coërceat, non monomachia.*

Ex his, quæ dicta sunt, & quæ dicentur, expeditum redditur, monomachiam ob honorem nulla ratione sulcipi posse à *provocatore*. At quoad *Provocatum*, majorem quidam politici sibi imaginantur difficultatem; de qua

IV. Q. 2. An neque Provocato liceat acceptare monomachiam, ut honoris punctum defendat? R. Nequaquam licet. Ratio est; quia acceptare duellum, seu pugnam singularem ex condicito est acceptare occasionem occidendi, & vulnerandi alterum, séque occisioni injustè objicere, ideoque talis acceptatio est intrinsecè mala, utpote rei intrinsecè malæ; nec enim Deus, qui Dominus vitæ est, hanc potestatem homini privato concessit, ut suam, & adversarii vitam periculo occisionis exponat ob punctum honoris, si *illud non invaditur*: invasio autem non est, quando aliuste ad pugnam ex condicito *vocat*; quia alter te tantum *invitat ad pugnam*, non verò te *aggreditur* occisurus, si non acceptes; & quòd sequitur, si acceptes, & ad provocantis mortem, ac vulnera gravia dimices, non est *defensio tui contra aggressorem cum moderamine inculpata tutele*, sed est *injusta oblatio sue vitæ ad mortem, & vulnera*; sique Provocatorem occideris, est injusta occisio, quia nec ille te potuit provocare, & suam vitam tibi exponere ad mortem contra Jus Divinum, & naturale, quo solus Deus Dominus est vitæ, & necis.

V. Ratio ulterior est eadem, quæ priùs assignata est; quia ex una parte etiam acceptatio Duelli non est medium necessarium ad tuendum honorem, utpote qui aliter defendi potest, neque, ut dein dicemus, ullus revera honor est comparere ad duellum. Ex altera verò parte etiã ex hac acceptatione perniciës immineret ingens rebus publicis ob varia, & multa exotica, ac turbulenta hominum ingenia, quæ, cum nullius honoris honesti ex benemeritis erga Rempublicam comparandi sint capacia, ob cruditatem, atq; inscitiam rerum laudabiliter pro patria gerendarum, ideo gloriam in rixis privatis quærunt contra honestissimos quosque, & vera laude conspicuos viros: si jam viderent hi rixophili, temeritatem suam sibi laudi verti, atque insaniam suam id efficere, ut viri probi, ac verè honesti citra honoris perdendi metum non possent eorum fatuitatem declinare, quanta pernici-

es, quanta cædium pericula Reipublicæ impenderent :

VI. Sed inquis : si quis me provocet ad monomachiam, nisi acceptem, censebor *ignavus, & meticulosus*, nec poterò amplius in aula comparere, vel ullam promotionem militarem sperare, ut in quibusdam aulis Principum dicitur usitatum; cur tali eventu non possim duellum acceptare, non equidem animò illum occidendi, sed comparendi in loco condito, nefamam, & opinionem strenuitatis (quæ nobilibus æquè est cara, ac vita) amittam, ita tamen, ut, si me invaserit alter, statuam me tueri cum debito moderamine? accedit, quod acceptare Duellum, & comparere in tali loco non videatur *intrinsecè* malum, sed quiddam adiaphorum, quod bene, vel malè fieri potest : igitur, si iusta causa subsit, ut est conservatio honoris, qui tanti æstimatur, cur non queat licitè fieri ?

VII. Hæ rationes Lessio *deb. 12. n. 84.* videntur probabiles : nihilominus in praxi contrarium sequendum sentit, tum ob alias causas, tum etiam quia Ecclesia sub gravissimis pœnis vetuit duella, ut patet ex *Con. Trid. Sess. 25. ca. 19. de reform.* & postea dicitur, quod meritò potuit ob maxima mala, quæ alioquin sequerentur.

Sed in hoc discursu Lessij meritò Cardinali de Lugo displicet, in quantum videtur significare, acceptationem duelli *non esse intrinsecè malam*, sed tantum quia per *Concil. Trid.* prohibita est; cum tamen Concilium dicat, *usum duellorum esse fabricante Diabolo introductum.* Adeoque supponat, esse *intrinsecè malum*; quod etiam probant rationes priùs à nobis adductæ. 2. In quantum significat, aliquam probabilitatè inesse sententiæ contrariæ; cum tamen totus duellorum usus à *Trid. detestabilis* appelletur, inventù Diaboli, & uterq; à *Trid.* excommunicetur tam *Provocans*, quàm *acceptans*, cum tamen bene sciverint Patres, comuniter non posse sine ignominia existimato apud nobiles timore duellum oblatum recusari.

Quare patienter toleranda est, inquit *n. 172.*, ignominia illa quæcunque sit, quæ ex ea oritur, quòd velis observare Legem Dei; quâ prohibetur occisio privata sinè necessitate defensionis; sicut si ignominiam incurreres propter observantiam Præcepti circa castitatem, vel aliquod aliud; implenda est enim Lex etiam cum ignominia, quæ etiam cum observatione aliarum Legum sæpe est conjuncta, ut ait Illsung *ur. 4. disp. 3. n. 70.*

Demonstrabit quoque sequens §. revera non esse jacturam honoris detrectare duellum oblatum. Interim.

VIII. Litem hanc plenè diremit Alexander VII. dum hanc Propositionem, quæ numero 2. est, damnavit : *vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Cujus prohibitionis rebus publicis saluberrima æquitas, quæ omnino Juri Naturali conformis est, constat ex dictis. Sed

IX. Opponitur 1. ad res temporales tuendas licitum est bellum : ergò à fortiori licitum erit viro equestri acceptare monomachiam ad tuendum honorem, cum honor sit in ordine superiori ad res temporales. 2. *Invasor honoris*, sicut etiam rerum temporalium, potest interfici cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut dicemus nos in sequentibus : sed provocans ad duellum est veluti invasor honoris, qui aliter defendi non potest, quàm illud acceptando : ergò &c. 3. Vir equestris invasus non tenetur fugere, si sine ignominia fugere non potest, sed potest se tueri etiam cum occisione invasoris : ergò etiam potest acceptare duellum ad notam timiditatis declinandam. 4. In Religione Divi Jacobi, approbata à sede Apostolica, Candidatus iurare debet, se nunquam recusasse duellum : ergò licitum est viro equestri illud acceptare; aliàs candidatus potius esset ab eâ Religione repellendus, quàm admittendus ex hoc capite, quòd consenserit in monomachiam.

X. &c. Ad 1. N. conf. & suppositum, quòd accepans duellum *tueatur honorem*; non enim *invaditur*, sed *invitatur*; neque est nota timiditatis non comparere, nisi apud paucos Diaboli asseclas, & vulgares homines; apud cordatos reputatur potius insipiens, & suæ, ac alienæ vitæ prodigus : adeoque talis *verum honorem* contemnit, dum *umbram honoris* aucupatur. Dominicus Viva *ad cit. Propositionem prohibitam.* Sed etsi suppositum argumenti staret, negatur tamen consequentia; quia auctoritas gerendi ex legitimis causis bellum à Deo concessa est ijs, qui superiorem & Judicem non recognoscunt, ut dicitur parte sequente, ubi de bellis agemus; at verò hominibus privatis non est concessa auctoritas se mutua cæde conficiendi; quare hi Legem Dei etiam cum ignominia servare debent.

XI. &c. ad 2. Negando assumptum, quòd provocatus sit *invasor*, non enim aggreditur, sed invitât ad pugnam, cui provocatus responde-



dere potest; se paratum esse, non fugâ, sed justa defensione se tueri adversus quemcunque, qui se aggrediatur; duellum verò se non acceptare ob reverentiam Divinæ, humanæque Legis.

XII. &c. Ad 3. Eòdem modò; nam quia fuga apud cordatos est ignominiosa, ideo non tenetur fugere, si *invaditur*; at non est ignominiosum apud Cordatos recusare duellum ob reverentiam Divinæ, & humanæ Legis, sed tantum *apud vulgares, & improbos*; & etiamsi hoc quoque esset, tamen resistentiam *contra aggressorem Lex Divina permittit*, duellum ex condicto verò non *permittit*.

XIII. Respondent ad 4. citatus Viva, & Wiestner de cler. pugn. in duell. n. 10. ex Mendo, in Religione D. Jacobi solùm exigi, quòd candidatus duellum non recusaverit *ex timiditate, fugiendo* provocantem; non verò quòd non recusaverit illud, *ne Deum offenderet*: unde hic admittitur, ille ab ea Religione repellitur.

XIV. Majorem difficultatem patitur sequens casus, quem contigisse scio. Cajus obscurò genere natus, sed officiò bellicò nobilis, ad quod suâ virtute eluctatus fuerat; è Nobilissima quadam familia Germaniæ uxorem duxerat; nescio quâ occasione dein idè Cajus ab alio quodam magnæ Nobilitatis Officiali bellico, sed officiò bellicò haud multum supra Cajum eminente arundine ignominiosè est percussus; Nobilitatem invaloris reveritus nullâ usùs est defensione, & resistentia Cajus: vulgatur res in exercitum, Officiales reliqui contra eum protestantur, negant, cum eo stare milites velle, qui timidus alterius percussioni parè ferè dignitatis militaris non restiterit, eum ceu imbellem è castris exesse jubent; Princeps Imperij, in cuius cohorte centurionem agebat, ab eo imploratus, reponit, se ipsum non remove ab officio, cæterum cogere officiales, & milites aliorum Principum se non posse, ut cum ipso stent in armis, eumque tolerant, ipse sibi prospiciat; frustra omnia; aggressor interim à Rheno in Hungariam cum sua turma vocatus: remedium recuperandi officium supererat nullum, nisi monomachia cum offensore. Quid Juris? an totam vitam, officio jam expers, agere inter rucolas cogetur Cajus, atque redigi in statum antiquæ fortunæ, unde ad hanc dignitatem tanto conatu eluctatus fuerat, perpetua cum paupertate luctaturus, prædia enim nulla, census nullos habebat

unicè ex officio suo militari se, uxoremque nobilem sustentans? An uxor Nobilis stematis inter rusticas jam foeminas marcidò frustò panis, vestitu detritò, & vulgari sit contenta? difficilis eventus, in quo tamen Cajum inter ruculas cum uxore sua in pago degentem ipsum conspexi officiò suo militari orbatum.

XV. Ad hunc difficilem casum notanda doctrina, quam tradit Paulus Laym. L. 3. tr. 3. parte 3. c. 3. n. 3. quâ censet 1. licet ordinariè provocatus ad duellarem pugnam non possit eam acceptare, *ne ignavia, aut timiditatis notam apud alios incurrat*, tamen, si in rarissimo casu eo loco res sita sit, ut miles in exercitu, vir equestris in aula regia, officio, dignitate, Ducis, aut Principis favore ob ignaviæ suspicionem excidere debeat, nisi provocanti se sistat, non audet damnare eum, qui meræ defensionis gratia paruerit. Censet 2. idem sentiendum, si ad pugnandum lacescens alterum crebra convitia, & contumelias adjiciat, quâ ille molestitia, & subeundo dedecore aliter liberare se non potest, nisi armis congrediatur; dummodo spes sit contra injustum adversarium prevalendi, alioquin illicitum erit certo mortis periculo se exponere ad vitandum dedecus; quod non ex hominis delicto, sed ex vulgi sinistra opinione provenit, majus enim bonum est vita, quàm honor.

XVI. Hanc utramque Laymanni doctrinâ levi brachio vult excutere Viva ad propositionem 2. Alexandri VII. n. 10. per argumentum ex ipso Laymanno desumptum, quòd non liceat mortis periculo se exponere ad evitandû dedecus, quod ex vulgi sinistra opinione procedit; verum hæc ratio non procedit in priori casu, ubi non de honore duntaxat agitur, sed de amittendo officio, dignitate, favore Principis, quæ sunt alicui necessaria ad vivendum conformiter suo statui.

XVII. Quare quoad hoc Laymanni doctrina non videtur improbabilis, si provocatus aliter officium suum retinere non possit, & cum intentione solius moderaminis inculpatae tutelæ se sistat, & spes sit victoriæ, ut se non obijciat certo periculo mortis; nam gravius sentiunt homines carere in perpetuum his rebus, quàm semel se periculo incerto vitæ pro earum defensione obijcere.

Neque videtur hæc doctrina damnata per allegatam propositionem 2. Alexandri VII. ut pote cum tali casu non agatur solùm ad removendam *timiditatis notam*, sed ad *retinendum officium*, dignitatem &c., quàm injustè pro-

vocans

Vocans per hominum sinistra opinionem aufert:

Neque etiam talis *defensio*, utpote rerum suarum est contra Jus Naturæ; & salutem rei-publicæ, ut constat ex dictis, sed naturæ Juris conforme est, ut quilibet possit se, suæque ab injustis aggressoribus tueri.

XVIII. Magis difficilis est 2. pars doctrinæ Laymannianæ ob allatam propositionem damnatam, & alias postea referendas, quæ tamen cum sint *strictæ interpretationis*, an nihilominus illis salvis ea doctrina subsistere possit, judicet prudens lector.

XIX. Jam ad calum num. 14. propositum & 1. Potuisset ille se incontinenti defendere contra aggressorem arundine se percutientem, & quidem etiam cum occisione ipsius, si hæc tanquam unicum medium necessaria fuisset ad hunc finem.

2. Probabiliter potuisset quoque Cajus acceptare duellum, si fuisset provocatus ab altero, non quidem ne alias *timiditatis notam incurrat*, sed ne officium, & dignitatem suam perdat, si aliter retinere eam non potuit, quia hoc casu ea acceptatio potius est prælatio *malis moris mali*, quam *involatio ad malum*; cum per eam non eligatur periculum mortis absolute, sed periculum *certum* alterius gravissimi mali declinandi commutatur in periculum *incertum* mortis.

XX. An verò potuerit Cajus aggressorem jam absentem provocare ad monomachiam, ut recuperaret suum officium, dubia difficultas est: certè Princeps supremus militiæ suæ auctoritate debuisset ipsum officio sine monomachia restituere, si ad eum appellasset, & nisi is monomachias tanquam minus malum ad impedienda majora mala tolerare debuerit. Sed his omnibus deficientibus videtur ad huc probabile, quod etiam potuerit *provocare*, siquidem provocatio fuerit unicum medium necessarium recuperandi officium suum. Quia ad propellendam gravem jacturam in rebus temporalibus (quæ aliter propelli non potest) duelli tam acceptationem, quam oblationem licitam esse tenet Lessk. *L. 2. cap. 9. n. 49.* Wiestner de *Cler. pug. in Duell. n. 5.* allegans plures, qui docuerunt post propositionem prohibita Alexandri VII. Ratio: quia periculum *certum* jacturæ, officij sui sic commutasset in periculum *incertum* mortis, vel vulnerum, neque ad recuperandum duntaxat honorem egisset, sed ad recuperandam rem suam (officium suum): sibi per injustam alterius aggressionem ademptam; quemadmodum igitur quis potest in-

vasorem rei suæ aggredi etiam ex intervallo, si aliter rem suam recuperare non possit, ubi v. g. Judicium nullum constitutum est, aut Judex suo officio non fungitur; ita & Cajus potuit petere satisfactionem ab aggressore, quæ est unicum medium ad recuperandum officium; alias contra eum pugnaturus ad illud recuperandum ordinando suam pugnam unice ad hunc finem; non verò ad vindictam ut propter eam honoretur ab hominibus.

## §. II.

### An honor sit pugnare Monomachia?

1. *Monomachia pugnare probrum est. n. 2.*
2. *Monomachi non fortes, sed imbelles se ostendant; & in quo fortitudo consistat. n. 3.*
3. *Pædiorem mortem obeunt, quam patibularij. n. 4.*
4. *Dereßanda levitas pugnandi duello. n. 5.*
5. *Lata virorum excelsi animi est mansuetudo. n. 6.*
6. *Exempla, & rationes. n. 7. & seqq.*
7. *Vix est vitium tam turpe, in quo perverfi non gloriarentur. n. 13.*
8. *Insania insaniam est, si monomachis prostratis ab altero mavult mori, quam vitium se fateri, & vitam ab eo perere. n. 19.*

**N**obilitati ferè omni, præsertim adolescentioribus (inquit Masenius in *sua viri curiositate cap. 16.*) perniciofa illa hæret opinio, quod generosi animi sit vindicare fortiter sibi illatas, quantumvis solò verbò, injurias. Hinc non facile sine gladio incedunt parati ad levissimum quemque adversantium insultum ferrò decernere, vitamque aut alienam, aut suam profundere, non solliciti, quò anima post infelicem ultionis successura mi-gratura sit.

Ex hac sinistra opinione, ut prius insinuatum, ferè hodie monomachias descendunt omnes, dum putant sibi laudem fortitudinis resultare, si ad monomachias convolent; hinc accepta injurià ab aliquo, qui ejusdem conditionis sit, nec ad faciem hominum pertineas (nam de talibus sustuario se ulciscendos putant) indecorum, & gradu Nobilitatis indignum autumant, vel *injuriam condonare* nullat per alterum præmissa veniæ petitione, aut satisfactione; vel injuriæ irrogatæ *vindictam per Magistratum & potestatem publicam querere*; sed ipsi sibi Judices facti adversarium ad pugnam provocant, contestantes, ut, si honestum se esse, & haberi velit, certo loco, ac tempore se listat, rationem facti redditurus, vel deprecaturus injuriam, vel sanguine suo expiaturus. Illicitum esse monomachiam honoris ergò

discipere, priori §. dictum est; jam confutanda falsa, hæc persuasio.

II. Q. 1. An honor sit pugnare monomachia, & proprio Marte querere vindictam? & Nequaquam honor, sed probrum est. Loquimur de *vero honore*; si enim honor esset, ex fortitudine is ortum haberet (id enim animi propositum est huiusmodi monomachophilis; *fortes se*, volunt ostendere; & non *in belles*) at verò *fortitudo* *is* hæc nequaquam est, sed *temeritas*, quæ non ex virtute *magnanimitatis*, sed ex *profecti animi* *visitate* proficitur, qui sui impotens instar imbellium foeminarum effertur. Neque laudem ullam meretur apud prudentem hominem, sed reprehensionem; id quod & veteres Philosophi agnoverunt, dum dicere conueverunt. *Puilli animi esse contumeliam ferre non posse*. Grotius *L. 2. cap. 1. §. 10. Puilli hominis, & miseri est, repetere mordentem, ut mures, & formica*, inquit Seneca *l. 3. de irac. 34. apud Masen. cit.* Qui verò secus Judicant infirmi plerumque Judicij, mirabilis genij, & profligatoris vitæ sunt homines, qui *bonum, & honestum in re mala, & surpi* collocant, & *fortes* audire affectant, dum *temeritate* tument, atque impetu impotentis, & imbellis animi feruntur instar ferarum.

III. Etenim non ille fortis est, qui audacter se in pericula conjicit; & *irâ, vindictâ, dolore, vel alia passione* sui impotens in illa agitur belluarum more; certè si hoc fortium esset, & rabidæ feræ, & furiosi, insanique homines laudè fortitudinis præ omnibus reportarent. rectè Lactantius *lib. 6. apud Knipschilt de Nobilitate L. 3. cap. 3. n. 98. fortitudo*, inquit, *si nulla necessitate cogente, aut non pro causa iusta periculum subit, in temeritatem conuertitur*. Fortitudo laudem non meretur, nisi cum iustitia sit conjuncta. *Novella. 69. pr.* fortis verè est, qui pericula non quærit, sed suppositâ periculi adeundi causâ ex prudentiæ præscripto non declinat periculum, malens vitâ, si res ferat, quàm honestatis, & iustitiæ amore cedere: fortis is est, qui circa magna pericula, sed ut homo, ex rationis ductu, non *ut bestia ex passionis impetu*, intrepidus, impavidus, inconcussusque persistit; qui adit pericula, sed ea, quæ sunt honesta, in quibus potest aliquid verâ laude dignû præstare pro patriâ, bono publico, proximive utilitate; qui adit pericula cum consilio, & ratione, hoc est, modo, tempore, & loco, quo, & quando oportet, omnia agens honestatis causâ, non explendæ cujusdam stolidæ passionis gratiâ, ut ex *Acle. 3. Esus. cap. 7. & 8.*

habet cit. Knipschilt. ex quibus cæcus sit, qui non videat, duellantes nostri ævi, dum fortitudinem per monomachias quærunt, apud omnes rem ex æquo ponderantes sui probrum quærere. Mollium enim, inconsultorumque homuncionum est, passionibus, instar bestiarum, agitari; nec rationi, quæ hominem regere debet, locum concedere; quarum passionum undecim numerant Scriptores his versiculis comprehensas:

Tristor, amo, cupio, deleor, abominor, odi,

Despero, irascor, timeo, multum audeo, sperno.

Quæ passiones nisi ratione regantur, juxta illud *Gen. 4. v. 7. Sub te erit appetitus, & tu dominaberis illius.* totum hominem pessundant, ut jam non vivat *ut homo*, cujus est secundum rationem vivere, sed *ut bestia vivunt*, quæ ratione carentes *phantasiâ duntaxat*, & passionibus aguntur.

Leviculi ingenij, & superbi, summè autem imprudentis indicium est, tam ingentia subire incommoda, ut de exili persæpe injuriâ, malo verbo, contumeliæ ultio quærat, & quod *cum laude* sustineri posset, *cum ignominia* vindicetur. Atque, quod caput est imprudentiæ, summa temeritate suam, & inimici animam æternæ calamitati ob fumum honoris phantastici, qui revera honor non est, objicere!

IV. Longè foediorem obeunt mortem ejusmodi perduelles patibulariis. Graphicè Raynaudus *n. 194. feræ duæ*, inquit, humanis corporibus circumamictæ, & humanâ speciem ementitæ altera alterius mortem exquirunt, eo crudelius obventurâ, quàm iis, qui ob atrociam crimina aguntur in furcam: quia patibulariis hæc ad mortem Christianè, & ut homines decet, obeundam, non pauca suppetunt subsidia; neque enim desunt, qui cohortentur ad piè moriendum, qui compatiuntur, & sortem defleant; & ij ipsi, qui supplicium inferunt, dolentes, ac iusta necessitate adacti, inferunt, ut sit iustitiæ locus, & crimina arceantur; id, quod reum, si mentis impos non sit, admodum lenit, & ad mortem patienter, ac sedatè excipiendam admodum animat. In monomachia verò omnia è contra ad inhumanitatem, & feritatem spectare video: abest, qui morientem juvet, ac soletur, insultat, victor pro libidine, ac æstu efferatæ mentis, omnia victo ad desperationem composita, conscientia urget, in statu est lethiferæ noxæ, quia contra divinas, humanasque leges se temerè in id periculum conjecit, nec dubium, quin Sathan irarum antea incensor, & divi-

næ misericordiz non minus, quam illatz injuriæ amplificator, ut ad pugnam, & dedecoris absterfionem pertraheret, tunc è contra justam Vindictis Numinis iram, & criminis admissi atrocitatem pœnitendique impotentiam, quantum valet, exaggeret, ut ferè certum videatur, ex eo pugnz, & mortis illatz modo æternam totius hominis perniciem, atque exitium consequi. ita Raynaudus.

V. Unde si quæ levitas detestanda est, si quod scelus execrabile mortalibus, illa est in primis duellantium perversitas; æquumque foret, ut hujusmodi homines tam suæ, quam alienæ vitæ, ac salutis prodigi ex humano consorcio tanquam brutæ quædam bestiz omnibus cavendæ proscriberentur, infamique notâ ceu latrones publici omnibus vitandi signarentur, cum non mitius illis sint metuendi. Masen. *loc. cit.* Certè, pergit cit. Auctor, quantumvis nobilitate generis, & celebrata in bello fortitudine excellant, indigni sunt, qui aliis regendis præfiantur, cum in se ipsis efferrata iræ impetum regere nesciant.

VI. E contra præcipua virorum excelsi animi, atque Principum laus est mansuetudo animi, atque clementia, quâ impetum iræ, & furem vindictæ regere possunt, & in officio continere, cujus rei varia magnorum virorû paradigmata refert cit. Masen.

VII. Cajus Julius Cæsar interceptum literarum fasciculum ad Pompejem, quò conjuratio contra se continebatur, ignibus tradidit, tantum ne conjuratos agnosceret, Ciceroni Marcello, aliisque Pompeij partes manifestè secutis vitam largitus est, & ejus in Pompejû clementia longè plus laudis tulit, quam victoria, quâ Pompejum superavit, ipsamque victoriam hac ratione vicisse M. Tullius ipsi gratulatur in oratione pro Marcello.

VIII. Mutium Scævola Romanæ nobilitatis virum (refert. cit. AuG,) & Porfenam, Hetruscorum Regem, si quis auditione percepit, utrumque Jure admirabitur. Hic difficili obsidione urbem prelerat: Scævola, ut cives redempturus vitam suam extremo discrimini objiceret, solus in hostilia castra penetrans ad Regis caput feriendum, quem immolantem ad aras, cum frustrato ictu petiisset, aberrantem dexteram fofo, cui Rex adstabat, imposuit, exurique cum omnium stupore passus est. Quæ res ipsum quoque Porfenam tenuit, ulcionisque cupiditatem in admiratione Romanæ virtutis convertit; nam *revertere, inquit, ad suos Muti, & eis refer, te,*

*cum vitam meam petieris, à me vitâ donatum.* In quo certamine illustrior Regis clementia, quam Scævolæ fortitudo exiit.

IX. Magnus ille Theodosius Imperator, quod semel iratus, præcepsque ob præfecti sui necem Thessalonicam igni ferroque devastasset, semper doluit, temploque à D. Ambrosio exclusus paruit, ac supplex veniam deprecatus statuit, ne capitales sententiæ ante trigessimam diem executioni mandarentur; id quod Antiochiæ rebeli, cum uxoris Placillæ Statuam evertisset, saluti fuit: postquam Eremitæ voce Imperator monitus fuisset: *propter unam mulieris exanimum imaginem non tot Dei viros perdendas videri.* ex quo Athendodori Magistri, quod ipsinet adolescenti in irâ præcipiti monitum dederat, volvere coepit; *ut, priusquam iratus quidquam statueret alphabetû graecorum à capite recitatum præmitteret.*

X. Rudolphi Austriaci præstantissimi Herois, atque Imperatoris quanta mansuetudo cum inter jaculatores de peritia ad metam certaturos, rudis quispiam imperitè sagittam in eum convertisset, ideoque gravius decumbenti suaderet non nemo, dexteram ut sagittario tolleret, respondit: *ante vitam id factum opportunisset; nunc quò modo bono adimetur? similiaque hominem carceribus eximi jussit.*

XI. Hanc veram Principum virtutem, ac generositatem, quotquot magni, excelsique sunt animi viri, ac Heroes imitantur. Lacones à fortitudine inter Græcos celeberrimi Deos inter solemnes preces compellabant, *ut ad ferendas injurias vires largirentur, quod sine hoc beneficio se minimè viros ad magna idoneos futuros crederent.* Hinc proverbio *(partana patientia celebratur.*

XII. Eadem sententia Romanis Heroibus stetit. M. Catoni causas in foro agenti adversabatur Lentulus, cumque illusus eisdem, attractâ pingui salivâ in ejus faciem expuisset, absterfit Cato velut à sudore faciem, dixitque: *affirmabo omnibus, falli eos, Lentule, qui te negant os habere,* tanquam absterfurus in Lentulo maculam hominis indiferti, cui in defensionem os, & eloquentia in foro nulla suppeteret; ita contumeliam ad laudis interpretationem visus convertere.

Erubescant Christiani ad rixas ruentes, quos eorum magister Christus mites, & humiles corde esse jubet. Mansenius.

*Abstinendum vindictâ, inquit, Seneca lib. de Ira, c. 34. apud cit. AuG. nam cum pari contendere anceps est, cum inferiore sordidum est, cum superiore furiosum.*

XIII.

XIII. Sumus fortitudinis generosæ actus, quem homo habere possit, est vincere seipsum, & vindictam, non vinci à vindicta, & in pericula ruere; quia hic actus est, qui facit hominem agere ut homo rationalis est.

XIV. Animo tibi propone Tigrides, Pardos, Pantheras, Leones, & alias feras feroces, videbis eas facere actus summi roboris, & validitatis ad prosternenda animalia sibi inimica; sed non videbis unquam eas vincere semetipsas, sed facient id, quò eos rapit *impetus sui appetitus*, sive *avidus*, sive *iracundus*, sive *impulsus*, sive *crudelis*; qui prædominatur in ipsis.

Fertior est, qui se, quam qui fortissima vincit  
Mœnia, nec virtus altius ire potest.

XV. Vera quidem isthæc omnia fateri necessarium est, cui vel modicè cor ad honestatem sapit. Nihilominus apud homines, qui generosi audire volunt, provocaciones pleræque omnes ad tuendum honorem tendunt: *Dass sinner dem andern ein Charell überhohlet; ihne auffordert auff Leib / und Leben / sich mit ihme emweders zu Fuch / oder Pferd / mit Pistolen / oder dem Degen zu schlagen; oder ein Kugel mit ihme zu wechselfeln /* &c. quas provocaciones aded rigidas, & efficaces nonnulli temerant, ut, si provocatus non compareat vulgò *protestant*, pro *viro timido*, ac *effeminato*, qui à Societatibus Nobilium, à mensis, & compositionibus arcendus sit, habeatur; *der kein Courage, oder Herr habe / und nicht werth sey / dass ein ehrllicher Gesell / oder Cavallier mit ihme essen / oder trincken solle.* Eumque, qui provocatus non comparet, perinde apud Nobiles haberi, atque vasallum cum Domino suo in acie se sistere non audentem; ac Nobilem provocatum, *auff Ehr und Herrkommen / non comparentem, ignominia notari in Germania, & in acie militari stationem cum ipso non servari: Wird für Ehrloß gehalten / und wird in der Schlacht Ordnung nit bey ihm gehalten / sondern muß auß dem Feld reuten /* &c. Nisi per personalem comparitionem prior illa saga postea purgetur, vel virtute deleatur, varij auctores scribunt apud Knipschilt. *n. 45. & 1099.*

XVI. Ad hanc difficultatem responsum jam est; etenim, ut ait Knipschilt *num. 97.* rectè confirmat *lura* pro timido, & effeminato haberi nulla ratione potest, qui hujusmodi provocaciones, & duella detrectat, quæ Juri Divino, & humano adversantur, & sub æternæ salutis dispendio sunt prohibita; non timidus est, qui Dei, & Magistratus, quibus

subjectus est, Leges reveretur, & eorum iram, ac poenam metuit, cum hic timor laudabiliter in *vires fortissimos* cadat, contemptus verò *non nisi in temerarios*; nec timidus est, qui in ea pericula se non conijcit, quæ reprehensionem, non laudem, merentur, *ignominiosum non est, sed gloriosum* Legibus parere. Nulla infamia, neque *luris*; quia detrectando hanc lanienam secundum leges agit; neque *factus*, quia homines graves, cordati, & boni, non infamia, sed laude dignum censent, quò Magistratus, ac Deo obtemperet magis, quam provocantis temeritati, atque insanie; qui stolidi sua provocacione verum honorem contemnit, & umbram honoris falsi aucupatur.

XVII. Nec dicas, hanc mundi esse persuasionem. Nam similiter mundi persuasio est, quò comestationibus, ac delectationibus vacandum, quò ultio de inimicis sumenda, & alia hujusmodi, quæ tamen rectæ rationi, ac Divino, humanoque Juri opponuntur; quare hæc persuasio duntaxat perversorum est; qui vani nominis umbram sequuntur, & Divinæ, humanæque legis sunt contemptores, machinatio dæmonis est conantis hæc viâ homines decipere, & ad se rapere.

XVIII. Equidem edic, quæso te, si vir liberalis, ac splendidus invitaretur vel ad projecenda, vel ad vocanda in summum periculum omnia bona sua, nunquid insipienter operaretur, si annueret ad declinandam notam avaritiæ? certè non; quia etsi à nonnullis corruptæ mentis hominibus ad id, quasi laudabile esset, incitaretur, nemo tamen cordatus propterea notam illi inureret, sed potius laudaret animi constantiam, quâ irrationabiles hujusmodi incitationes repelleret. At verò an prudentiorem existimes eum, qui vitam, & cum vita omnia (omnia enim è vita, ceu fundamento pendent) temerè in extremum periculum conijcit, ea duntaxat ex ratione, quia nonnulli depravata, & mundana cæcitate in vertiginem actæ mentis homines ad id, ceu laudabile foret, incitant? cum è contra idem Judicio ipsius Dei, Judicio omnium Hierarchiarum Angelicarum, Judicio omnium bonorum, & rectè sentientium hominum probosum sit, qui nullam notam propterea inurunt, sed laudant generosi animi constantiam, quâ irrationabiles hujusmodi provocaciones monomachicas repellis.

Nam, ut rectè Grotius *Lib. 2. cap. 1. §. 10.* ait, *honor est opinio de excellentia*: at, qui talem fert injuriam, is *patientem se excellenter* ostendit; atque ideo honorem magis auget, quam minuit.

Neg

Nec refert, si quidam corruptò Judiciò virtutem hanc in probrum confictis nominibus traducant; perverfa enim judicia nec rem, nec æquam rei æftimationem immutant.

XIX. Certè si ad perversorum hominum excæcata judicia velimus attendere, vix est ulla res tam fœda, ullum vitium tam turpe, in quo non quidam perversi honorem quærant, & glorientur; & quidem in rebus profus oppositis: hic gloriatur, & honorem quærit in hoc, quòd sit pacificus, & mansuetus, neminem lædat; & meritò ipse honoratur à bonis, & æftimatur; iste gloriatur in rixis, pugnis, percussionibus, ut æftimetur à turbulentis rixosis sui similibus. Hic honorari vult ob sobrietatem; & meritò ob eam honoratur à probis, & sobriis: iste se jactat, quòd integras vini amphoras exhauriat, se vel alios inebriaverit, ut instar bestiæ, vel trunci nescierint, qui in lectam fuerint reportati. hic honorem quærit ex justitia, quam partibus ex æquo administret, nullis muneribus expugnari se sinat: iste gloriatur, quòd per technas varias hunc, illumve supplantaverit, quòd pingua dona receperit, aut extorserit. Nulla est virtus, quæ coram honesto mundo laudem meretur, quin reperire sit aliquos homines, qui in opposito ipsi vitio gloriantur; etiam iis in rebus, quæ honestas aures offendunt: quot sunt, qui in impudicitis gloriantur, seseque jactant, quòd hanc, illamve virginem, aut matronam seduxerint ad fœdas libidines: in stupris, adulterijs, fornicationibus sunt, qui laudem quærunt.

Quòd si jam corruptorum ejusmodi hominum judicia sequi velimus, & coram ijs honorem quærere, non coram Deo, Angelis, & probis hominibus (honor enim in honorante est) quò tandem, Deum immortalem! res devenient?

XX. Illa verò insania insaniam est, quæ per stolidissimam persuasionem, quasi generosi id animi esset, monomachi sibi persuasum habent, probrum esse, si alter ab altero prostratus victum se fateatur vitam sic retenturus; malunt misera honoris phantastici mancipia à victore confodi, & miserabili nece ad tartara migrare, quàm illi se dedere, & vitam ejus beneficio retinere; uti propè Augustam Vindelicorum contigisse supra memini, ubi sclopis manualibus certatum, cumque alter exoneratis ambobus suis sclopis jaoceret expositus ictibus, atque adversarius peteret, ut victum se fateretur, Responso erat: *ταυτε, σκλις τοδε*. Certè si ullibi, hic se prodit men-

tis in rabiem actæ cæcitas, qua profanum hoc vulgus rixantium, Satanico Oestro percitum speciosam fortitudinis appellationem ex *Decumena temeritate* obtendit; cum tamen mortem excipere ob turpem causam geminata sit turpitudine, & cumulus sceleris, quod admittitur turpi turpis causæ studio, ut propterea fures, & adulteros, qui in scelerum machinatione obtruncantur, neget Aristoteles fortiter pati, quantumvis adversus vitam suam induruerint, & pertinaci rei male concupitæ desiderio vitæ amorem conculcantes moriantur. Ut habet Raynaudus n. 211.

Quare nil aliud produnt ejusmodi miseri humunciones, quàm voluntatem nequitiae, & infelicis stultitiæ plenissimam, quæ vitam pretiosissimam tanto dispendio ineptè prodigunt cum certo corporis, & animæ exitio. Quid stultius, quàm id fateri nolle, quod per se est perspicuum, & luce suâ radiat; nempe se victum esse, cum omnes adstantes ejus rei testes sint. Neque ex fortitudine committit se talis illi periculo, sed ex mera animi pusillanimitate; quia oppressus magnitudine mali, quod impendens prospicit, ei que succumbens, ne cogatur reipsa subire; quod timet, mavult imbellis subjacere alteri malo, licet majori, ejus incurfu videt, illud alterum posse declinare, ut ex Aristotele idem Raynaudus arguit; quem vide sis, si phara de hoc desideras.

### §. III.

#### Media declinandi Monomachiam honore illuso.

1. *Media consulendi honori. n. 1.*
2. *Exemplum n. 2.*
3. *Quid respondendum provocanti, n. 3. & 4.*
4. *An liceat se inebriare ad evitandum duelum vel mortem. n. 5. & seqq.*
5. *Peccant graviter, qui hospites ad se invitatos student inebriare. n. 9.*

Calophonem ponat utilissima Quæstio; qua

1. **Q**uæ sint remedia evitandi monomachias, & consulendi honori suo etiã apud homines mundanos? &c. Hæc adhibenda sunt remedia 1. homines contentiosos, quantum potes, *devita*. 2. Si vitare non satis potes, *neglige*, aut *risu excipe*, vel *joco explode* eorum injurias, ac si tangi te non satis sentires, etiamsi reipsa sentias aculeos tibi penetrare in animam, quod si facias amore Christi te ipsum vincendò, maximi meriti virtutem exerceas.

II. Socrates Comœdiarum publicè in se expectoratos sales in bonam partem accepit, risitq; sicut &, quando ab uxore Xantippe immundâ (cùm ea priùs tumultuante rabie muliebri domum implèsset) è supernis domùs perfunderetur ajens; *non mirum, si post tonitruum sequatur pluvia*, ut ex Seneca refert Masenius supra cit.

Sæpè qui levem injuriam silentio ferre noluerant, gravissimis malis obruti sunt: & parva sæpè Scintilla contempta magnum excitavit incœndium.

Narfeti fortissimo Duci, postquam illustribus victoriis clarus totâ Gothos Italiâ submovisset, Sophia Justinii Imp. Conjux his illudit verbis: *se eumuchum illum* (talís erat) *mox ad solum revocaturam*. non tulit contumeliam dicti Narfes. & ego, reposuit, *saletis illi selam ordiar, quam nec ipsa, nec posteri facitè reserent*; simulque revocatis in Italiam Longobardis, & sua, & aliena cum multorum internecone prodigere maluit; quàm ultionis libidine non frui. *Masenius*.

Rectius Alexander, cui cùm nuntiaretur, quorundam illum convitiis appeti, *regium est*, inquit, *cùm bene feceris, malè audire*. Aliàs dum præsentem, sed non observatum milites in tentorio calumniosè traducerent: *submissiore, ista voce*, inquit, *ne Alexander audiat*.

III. Quòd si provocatus sis, & eludere nulla arte valeas, dic adversario, te, licet duellum ob Divinæ, & Ecclesiasticæ legis reverentiam, atque observantiã non acceptes, eò quòd charior sit tibi Deus, & animæ tuæ salus, quàm corporis, nihilominus, ut fortem virum decet, te neminem, qui ubicunque aggressurus te sit, metuere, sed cuicunque aggressori, inter quos etiam provocator non sit exceptus, ita obviatarum resistendo, ut virum fortem in te experiatur: si ignavi hæc animi esse affectat; responde, experimentum ignaviæ ex *defensione licita* capiendum, desperati hominis, & profligatæ temeritatis esse animam diabolo offerre, tuam tibi non esse tam vilem. Si pergat esse molestus, abrumpe, & discedens adde: eas, licet, ad diabolum, mihi nondum licet esse comitem, nec tam vilis animi, & abjectæ salutis homo sum, meo indignus confortio es: ita hanc declinandæ monomachiaæ formulam Masenius assignat.

IV. Suppetunt innumera alia responsa, quibus ingeniosè eludi provocaciones possunt. *Vir quidam Nobilis Lucrovio oriundus provocatus ad Duellum respondit: à se multis in*

*præiis ostensum fuisse animum imperterritum duellum vero à se recusari præter legem Dei. Quòd responsò ingentem sibi gloriam comparavit;*

*Alius vir nobilis, & fortis in urbe Salamantica, cùm è vita laxiore ad meliorem se frugem recepisset provocatus ad Duellum respondit: ego tempore superiore non recusassem duellum, nunc autem bene nosti, mihi gratiã Dei cura esse ejus legem. quod mirati sunt, & laudaverunt, quot quot receive-runt. Gobat tr. 7. casu 18. in appendice duellari.*

Optimè Italus ille provocatus ad duellum provocanti renuntiare jussit; *si compareo, & pugno*, inquit, *pugno contra bestiam; si non cum pareo, & ille me aggreditur, aggreditur strenum virum, qui etiam contra bestias se sœuat.*

Cajus Marius Imperator exercitûs, cùm ipsum Cneus Pompejus itidem Imperator ad monomachiam provocaret his verbis: *si Magnus es Imperator, ô Mari, descende in certamen*; retudit hunc fastum hisce aliis verbis: *imò tu Pompei, si Magnus Imperator es, coge me vel inuisè decertare.* Aliud Responsum Caij Marij supra retulimus, quò provocanti respondit, si adeò mortis cupidus esset, posse laqueo vitam abrumperè. Sicut & Augustus Antonio provocanti reposuit, aliàs sat multas patere ad interitum vias.

V. Illud hic questionis adhuc esse potest, si quis compellitur ad bibendum largos cyathos, ex quibus videt se inebriandum, an possit eos evacuare, ut evitet duellum? sunt enim quibusdam locis homines quidam adeò barbari, ut nisi æquali cyatho respondeas, provocent ad duellum, vel invadant gladio, ut refert Less. *L. 4. de l. & l. cap. 3. dub. 4. n. 36. Gobat in Quinar. oper. moral. tr. 5. cap. 18. n. 5. allegans Baldellum.* Respondet cit. Lessius, posse tali casu quempiam æqualibus cyathis respondendo se inebriare, loquendo de ebrietate, ut solum dicit privationem usûs rationis ex potu, quæ per se non est peccatum; quia id licitum est causâ medicinæ ad pellendum, vel arcendum morbum; cur non ad evitandam mortem ab alio intentatam?

VI. Quòd si cum Cajetano objicias, non esse hoc medium ordinatum ad evitandum duellum, sicut medicina ad pellendum morbum, adeoque priore casu potum esse imoderatum, posteriori verò esse moderatum. Respondet cit. D. multa licet facere ad vitandam mortem, quæ per se ad hoc non sunt ordinata, sed solum ex malitia alterius, sic licitum est sibi amputare manum jubente tyranno ad mortem evitandam: cur non etiam licitum sit;

fit ad parvum tempus rationis usum lædere, si id necessarium sit ad evitandam mortem, vel duellum, ubi ad mortem, & vulnera pugnatur; etiam si enim homo non habeat dominium membrorum, habet tamen custodiam in ordine ad bonum commune, ut possit disponere de illis prout est necessarium ad salutem totius. Denique privatio rationis hinc non est *intenta*, sed solum *permissa*, quam non tenetur cum tanto suo malo impedire.

VII. Si objiciatur S. Aug. Ser. 232. dicens: *etiam si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris; melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.* Respondet cit. Less. cum loqui, quando quis cogit bibere in contemptum virtutis, ut sobrietatem, & modestiam fugillet; non autem cum id solum facit, quod putet se contemni, aut sibi fieri injuriam, nisi tantundem bibatur, quantum ipse propinavit: vel certe, quando is, qui initio coactus bibit, postea causa delectationis sponte pergit in potando, ut sæpe fieri solet: vel quando facile potest se subducere, ut ad ebrietatem non perveniat; talis enim si inebriatur, non potest excusari. Hæc Lessius; quæ omnia vera videntur in casu, quo quis, nisi bibat, in vita invaditur, aut ad duellum cogitur, occidendus, nisi pugnet. At si tantum ad duellum invitetur, censet Gobat, non posse ita se inebriare; cum enim aliunde teneatur in duello non comparere, non periclitatur ejus vita, sed tantum ejus reputatio, & honor apud improbos mundi amatores læditur; titulus autem honoris, qui pendet, inquit, à phantasticorum, insipientiumque lurconum, & hehionum stulto judicio, atq; opinione, non est tantum bo-

num, ut pro illius conservatione, vel adeptione liceat verum, solidumque usum rationis perdere: & sine dubio ejusmodi honor non est æquiparandus vitæ, sed longè postponendus.

VIII. Quod si verò talis duellum non posset amoliri sine sua magna molestia, v.g. si ad illud non comparendo semper deberet armatus incidere, nesciens, quando ab adversario invadatur &c. crederem, ad ejusmodi molestias evitandas, si aliter evitari nequeant, haud fore illicitum, se periculo ebrietatis exponere bibendo æqualibus haustibus: quia ex tantâ causa non videtur malum, si rationis usus per aliquod tempus sopiatur; quemadmodum quotidie ratio per somnum jacet oppressa, & licet eam ad tempus opprimere causa sanitatis, ut adeò id non videatur ira intrinsecè malum, quin ob tales causas graves liceat.

IX. Illud certum est, peccare mortaliter eos Principes, Comites, aut alios Nobiles, ac Divites Patresfamilias, qui studiosè hospites ad se invitatos quærunt inebriare provocando ad æquales haustus, clanculò substituendo vina fortia, admiscendo vinum adustum, & alia similia adhibendo tantum, ut hospites ebrii reddantur, non curantes quæcunque ebrietate, imò subinde quò majori ebrietate fuerit hospes prostratus, eò major est complacentia. Tales, inquam, certum est peccare graviter, sive dein re ipsa ebrietas cum plena privatione usus rationis sequatur, sive non; & sive sequatur in illis, quos ebrietati destinant, sive non; quia jam consentiunt in malum, & periculum notabile proximi. Sylvester *v. ebrietas q. 2.*

## S E C T I O V.

De

Prohibitione Monomachiae susceptæ ad probationem criminis, vel innocentiae; ubi & de reliquis probationibus vulgaribus.

### §. I.

De Probationibus vulgaribus  
in genere.

1. *Quid sit: & quotuplex purgatio vulgaris.*

I. AD conservandam rerum publicarum tranquillitatem Judicia in medio constituta sunt, quibus lites, & contentiones in-

ter cives ortæ dirimuntur per Judices, qui in medium prolatis utriusque partis rationibus sua auctoritate controversias definiant. Injuriam affectis satisfactionem præstent, crimina puniant, & sceleratos coërceant, ne cives proprio Marte ad arma passim ruentes reipublicæ quietem turbent; ad Judices proin provocare concessum, non ad arma, coram Judicibus ratione concertandum. Verim in hac



hæc ipsa Judicia tam salubriter constituta cum tēpore anteriori ævo variæ exoticæ pseudo-probationes seu purgationes vulgares, ut vocant, irrepserunt à vulgo intrusæ, ut per ignē, ferrum candens, per aquas, per monomachias eventus dubij ultimam probationis manū acciperent, quarum frequentior, & præcipua species erat monomachia, de qua Sectione 1. multa dicta sunt. Has proin vulgares probationes ad trutinam modò revocamus; neque enim reliquas monomachiaæ sorores ab ea separandas duximus; cum qua connexitatem habent. Itaque

II. Q. 1. Quid sit probatio, seu purgatio vulgaris? R. Est probatio criminis, vel innocentia ex superstitiosa observatione vulgi moribus introducta, & à SS. Canonibus reprobata: tum quia inventa fuit *Diabolo fabricante*, ut dicitur *can. Mennam 7. caus. 2. q. 5.* tum quia per eam Deus tentatur. *can. Monomachiam, 22. eadem caus. & q. Et ca. 3. de Purgat. vulg. contra illud Deut. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum:* tum quia per eam veritas non probatur, quia sæpè is, qui in nulla culpa est, & innocens, punitur. *Ca. 2. de Purg. vulg.*

III. Q. 2. Quotuplex sit purgatio vulgaris? R. Apud antiquiores tribus potissimum modis fieri consueverat. 1. Per monomachiam. 2. Per ignem. 3. Per aquam. Martinus Deltius *lib. 4. disquisit. mag. q. 4. sect. 2. & 3.* Theophilus Raynaudus *in hoptotheca contra iustum calumniam, sect. 3. cap. 3. q. 4. & seqq.* alique auctores, quos allegat Aug. Barbosa, & Emanuel Gonzalez *ad c. 3. de Purg. vulg.* Ad tres has species alicubi accesserat quarta per cruentationem cadaveris hominis occisi ad præsentiam occisoris. Singulas has species attingemus, addentes Provocationem ad Divinum tribunal.

## §. II.

### De Purgatione vulgaris Monomachia.

1. *Illicita est Monomachia Judicialis auctoritate Judicis suscepta. n. 1. & seqq.*
2. *Injustæ sunt leges, quæ duellum licita reddere velint. n. 5. & 6.*
3. *Succumbentes in Monomachia iniquè supplicio affecti quasi Divino Judicio victi. n. 7. & seqq.*
4. *Judex in B. V. blasphemus à sene quodam vicium penas promeritas dat. n. 10.*

Q. 1. An licita sit Monomachia Judicialis ad probationem veritatis, vel criminis purgationem auctoritate Judicis susce-

pta? R. Negative, sed ea repugnat Juri Divino, Naturali, Canonico, & Civili. Constat Responsio 1. ex dictis sectione priore; nam militant omnes rationes ex Jure naturali, Canonico, & Civili contra monomachias adductæ. Constat 2. quòd veritatis probationem, & criminis purgationem duellis committere sit tentare Deum, cum sit genus quoddam fortis divinatoria: tentatio autem Dei gravissimum est peccatum, ut patet *ex SS. Lueris Math. 4. v. 7. Dent. 6. v. 16.* Constat 3. quòd Innocentis vita periculo mortis, & injustæ condemnationis exponatur; nam æquè citò contingere potest, ut innocens succumbat, & sic injustè vitâ, aut causâ in dubium deductâ cadat, quàm ut nocens; nec enim Deus promisit, ut suprâ quoque insinuat, quòd justiori causæ ultra vires naturæ velit per miraculum succurrere, sed naturæ suam cursum relinquit, adeoque non re ipsa vincit is, qui justam causam fovet, sed ordinariè is, qui fortior, & dexterior est, armisque exercitator: vixque unquam duo pugiles inveniuntur sic æquales, ut neuter altero sit fortior, vel in totum, vel ex parte, ut alter alterum virtute, majori vigore, ingenio &c. non excedat. Unde

II. Contra hanc monomachiam, utpote quæ magis propriè monomachiaæ nomine venit principaliter sonant SS. Canones, ut *can. Monomachiam, caus. 2. q. 5.* ubi Gl. interlinealis refert, Lotharium cum scire vellet, an Theuperga ipsius uxor adulterium perpetrasset, voluisse duos homines monomachiam committere, ita, ut, si ille, qui Theupergæ partes tueretur, caderet, ipsa planè adulterij convicta censeretur; hocque valde reprehendit Nicolaus Papa in dicto Canone dicens, hanc non esse legitimam rationem probandi crimina (quamvis in Longobardorum constitutionibus habeatur) sed potius nil aliud esse, quàm tentare Deum. Et contra hanc monomachiaæ speciem à fortiori tonant Concilij Trid. & Vicariorum Christi fulmina. Azor *part. 3. lib. 2. cap. 5.* Gonzalez & DD. passim *in titulum de Cler. pugnant in Duell. & titulum de purgat. vulg.*

III. Neque obstant leges, & consuetudines, quæ hanc monomachiam olim tolerabant; nam contra Jus Divinum nulla consuetudo prævalet, nulla præscriptio: & cum præceptum Dei sit; *non occides*, nullus Princeps contra hanc legem licitam monomachiam reddere potest.

IV. Unde etiam non valere statutum, homicidij

omicidij reos à pœna mortis eximens, nec Principem ex potestatis plenitudine homicidii pœnam mortis remittere posse tenet Knipschilt n. 96. ex Carpzovio *Jurisprud. forens. part. 4. const. 9. defin. 5. & 7.*

V. Illud certum est, Leges permittentes monomachias hæcè injustas saltem tunc esse, si eas licitas reddere velint, & non præcisè tolerant aliquas monomachias non auctoritate Principis susceptas, tanquam minus malum ad evitanda majora mala, quemadmodum alicubi meretrices, & Lupanaria tolerantur: nam principum concessiones procedunt solum usque ad aras, non verò ulterius, si ea permittant, quæ Jure Divino naturali prohibita sunt.

VI. Diximus, *injustas saltem tunc esse has Leges, si monomachias licitas reddere velint, & non præcisè permittere tanquam minus malum.* Utrùm autem licitè sic tolerari possint monomachia, non disputamus. Certè ejusmodi tolerantiam lupanarium à sanioribus, & in rebus publicis bene constitutis improbari dicitur. Knipschilt n. 109. cum enim, inquit, fornicationes, & meretriciæ voluptates contra expressam Dei prohibitionem, contraque honos mores fiant, consequens est, neque Lupanaria absque læsione conscientia toleranda, sed omnino exterminanda, quod pluribus relatis probat ex reformatione *Guter Policy zu Augsburg Anno 1530. tit. von leichtfertiger Benwohnung 33. & de Anno 1548. eodem tit. & Policy-Ordnung zu Frankfurt de Anno 1577. tit. 26.* cum hoc quoque remedium magis augeri, quàm minui civitatum delicta carnis experientia testetur, etiamsi ejusmodi Lupanaria sint extra urbem, uti olim Parisiis in ultimis partibus civitatis erant certis locis finita; hodie verò, inquit ex Nicol. à Salis, contagiò per omnia urbis viscera divisò adeò urbs referta ejusmodi mercibus, ut quamvis omnium mercimoniorum genere abundet, hoc tamen etiam redundet. In senatu Veneto cum de collocandis istis in uno loco deliberaretur, ne in locis honestissimis ejusmodi prostibula viferentur, clarissimus Senator Matthæus Bembus sententiam suam dedit, tantam esse meretricum multitudinem, ut unus locus non caperet, sed in duobus concludi oportere: interrogatus, quænam illa loca forent? Respondit facerè dimidiã partem collocari posse *citra Rivusaltum*, alteram dimidiã *trans Rivusaltum*, quæ loca cum totam urbem complectantur, Lepi-

do isto responso omnium Cachinnos excitavit. *cit. auctor ex Menoch. arbitr. Jud. Cas. 535.* Sed hæc Publicistæ disputent, nos ad monomachiam Judicialem revertimur.

VII. Ex dictis liquet, nonnisi iniquè factum ab illis Principibus, qui olim in monomachia succumbentes supplicio affecerunt, quasi Divino Judicio victos, & afflictis afflictiones addidè; ut Theobaldus Comes Campaniæ, qui victum in Duello, sed non occisum exoculari præcepit. Sicut ex S. Bernard *Epist. 39.* refert Raynaudus *de virtut. lect. 3. cap. 3. n. 198.* ubi Scholiastes ex Walsingano addit, Gulielmum Aucensem Comitem Anno 1096 oculis, ac didymis fuisse privatum jussu Gulielmi Nothi Ducis Normannorum, eò quòd in duello succubisset.

Item Janum Caraviolum Subalpinum Proregem edixisse, ut duellum inter gemina pontis interstitia confereretur, & victus in profluentem deijceretur, quæ pœna soli succumbenti, qui miseratione dignior videretur, irrogata innuunt, visum irrogantibus, obtingere victoriam iis tantùm à quibus stat justitia: sed contrarium notum est frequentissimo experimento.

VIII. Permittit enim Deus plerumque in istis duellis innocentes ab eo, à quo accusantur, crimini succumbere, & necari propter alia eorum peccata, ut ait Gonzalez, unde Rhotarius *Rex Lib. 2. Legum Longobard. tit. de monomachia apud cit. Auct. quia incerti sumus,* inquit, *de Iudicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere. Sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum Legem impiam vetare non possumus.*

IX. Nec obstat factum Davidis pugnantis cum Goliath, Nam S. ille inivit monomachiam ex inspiratione Divina, & instinctu prophetico, & ita hoc singulare certamen in Exemplum trahendum non est, ut per illud probari possit, quòd Deus in monomachia manifestum reddat per victoriam, utra pars justam foveat causam *C. 1. & C. fin. de purgatione vulg.*

X. Idem dicendum ad nonnullas alias ejusmodi monomachias, in quibus Deus ob inspirationem suam, aut ob bonam fidem, ac Zelum susceptis subinde juit justam causam. Celebris est illa monomachia inter Judæum, qui imaginem Deiparæ vulneraverat, & Paralyticum quemdam Christianum, de qua Delrius *disquis mag. L. 4. cap. 4. q. 4. lect. 2.* Anno 1326. Guilh. 3. Comite Hannoniæ Vera

pa quidam se finxerat Christianum; ingressus ædem Monasterij Cambronensis, ædus furii blasphemiasin Deiparæ imaginem multas effudit, & (horrendum!) venabulo 4. plagas infixit, unde sanguinis statim rivi manarunt, viderunt Faber Ascarius quidam, & Monachus Laiicus Matthæus Lobbius; Faber ascia findere caput Judæo parabat, sed à Monacho prohibitus: rem igitur detulere ad Abbatem, Abbas ad Comitem: Judæus verò pertinaciter tormenta elusit nihil confessus, sicque est dimissus. Quadriennio post ab Angelo apparente quidam senex nomine Joannes Flander Estinensis, & septennio jam ex paralyti Clinicus jubetur Judæum accusare, & duello provocare: bis monitus senex, Parochi jussu tamen rem adhuc differebat; Tertium illi ipsa virgo illis plagis confauciata se videntem præbuit, & imperat monomachiam: plenus spe, ac fide senex adit Cambronem, cernit in imagine vulnera; accedit Comitem, accusat recutitum, dies pugne dicitur: arma, rudes fustes, & scuta lignea; superant hodie Judæus vasto corpore, & ferox viribus tibiales fascias tintinnabulis cinxerat, & sic senem ridebat. Sed juvit Athletham suum Deus; tam impar commissus, æger sanum, debilis fortem, senex juvenem prostravit; & horrendè blasphemantem convictum, sed non poenitentem comes jussit caudæ equinæ alligatum trahi ad patibulum, & capite deorsum duobus ad latera molossis eum rabidè laniantibus appensum subdito ignis fumo interire. Ita Delrius ex Roberto Houportio. Atque ex his ruunt omnes causæ monomachiz Judicialis *suprà* sect. 1. §. 5. *relata*, quæ coram Judice disceptari, non propriè gladiò dirimi debent.

### §. III.

#### De Purgatione vulgari per ignem.

1. Purgatio per ignem tripliciter fiebat. n. 1.
  2. Ritus huius purgationis. n. 2.
  3. Deus quandoque innocentiam per miraculum contestatur. n. 3.
  4. Exempla. n. 4. & seqq.
- Q**ua ratione fieri consueverit purgatio per ignem? &c. Ea consuevit fieri tripliciter 1. per *prunas ignitas*, quas vel in sinum conijciebant, vel manu ferebant, vel nudis pedibus calcabant. 2. Per *rogum*, in quem accensum ingrediebantur. 3. Per *ferrum candens*, & *ignitum*, per *vomeris*, *lateres*, *chirobecas ardentes*, & ejusmodi instrumenta,

quæ oportebat ad ostendendam innocentiam, & calumniæ objectæ purgationem contestare manibus: siquidem illæsus abiret contractans, aut calcans, innocens reputabatur; sin minùs, nocens habebatur. *sist. Delrius, & Raynaudus.* Hinc & ferrum ignitum *Judæorum* vocatum. Meminere hujus variz Leges Septentrionalium, omnes occupatà à Barbaris Italià; & Gallis latæ. Leges Francicæ, & Longobardicæ jubebant per novem vomeres ignitos homicidij accusatum se purgare.

II. Varij autem erant ritus hujus probationis, solebant ferrum benedicere, & adjurare; cujusmodi ritum refert cit Raynaud. ex formula S. Dunstani, quam pariter recitat Delrius, & Gonzalez n. 5. his verbis: *Incipit adjuratio, inquit, ferri: in simple unum pondus, in tripla tria ferrum æquiparet pondora, & in illa adjuratione non adsint, nisi jeroni, & dicitur Litanis Sacerdos in loco, ubi ferrum accenditur, adjurationem invocando inchoet in hæc verba: Deus Index justus, qui auctor pacis es, & judeas equitatem: te suppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad justam examinationem cujuslibet dubitatis faciendum, benedicere, & sanctificare digneris, ita, ut, si innocens hoc ignitum in manum acceperit, illesus appareat, & si culpabilis, aque veus, justissima sit ad hoc virtus sua in eo cum virtute declarandum: per Christum Dominum &c.* (subdebantur & aliæ duæ ejusmodi orationes) his peractis, aqua benedicta unctis adstantibus dabatur ad degustandum, & aspergebatur per totam domum, atque ferrum proferebatur, quod à culpato coram omnibus debebat accipi, & per mensuram novem pedum portari; dein manus sigillabatur, & sub sigillo servabatur per tres noctes, dein aperiebatur, & siquidem munda esset, Deus gratulabantur; sin autem infantes crudescens in vestigio ferri inveniretur, culpabilis, & immundus reputabatur. Illud, quod de *simple*, & *triplo* dictum, accipiendum est de crimine leviore, & terriore, ad quod *simple*, vel *triplo* probatio esset accommodanda, ut habet Raynaudus. Universim verò in hoc Judicio ferri probatorio non fuit certus numerus vomerum, nec certa species formæ ferri, vel pondus præscriptum, ut habet Delrius *loc. cit. in præd. me sol. 614.*

III. Nec rarò Deus innocentiam per miracula contestatus est ob fidem, qua ejusmodi probationes suscipiebant innocentes. De Monacho quodam pio narrant ex Leontio Del-

Delrius, & Raynaudus, qui ut meretricem Borphyrinam servaret, & Monasterio alicui commendaret, eam secum abduxit, cumque propterea in omnium execrationem, & irrisionem incidisset, iussit eam plurimis ad ferri clavis plenum candentibus Carbonibus, quos accepit, & in sinum infudit, omnibusque audientibus dixit: *Benedictus Dominus, qui olim rubram servavit incensum, is mihi fuerit testis fidelis, quod, quomodo meas vestes non attingis hac, qua est in igne vis arendi, ita nec ego attingerem mulierem toto tempore vite mee.*

IV. Idem Judicium in Gallia subiit B. Briccius, D. Martini in Turonensi sede Successor, cum stupri cum foemina Religiosa commissi argueretur; qui candentes prunas tota detulit urbe illaesus; nec tamen miraculum immunem reddidit à farentibus calumniatoribus, sed Episcopatu deturbatus est. Haraldus etiam Hybernus se magni Regis Norvegiae, qui Hiberniam bello vexaverat, filium probavit, incedens nudis pedibus super ardens prunas.

V. Nec tantum in humano corpore exploratio obtinuit, sed in aliis quoque rebus. Nam Eulalium Monachum fiscella in ignem injecta, & illaesa permanens suspitione criminis liberavit. *Delrius.*

VI. Qui pyram ingressi probandae innocentiae causa, multi reperiantur. Petrus Masiliensis Presbyter suspectus de haeresi Antiochia ipso die pasceves Sacrosanctam Christi Domini Lanceam manu gestans per coarcervatorum late lignorum struem ardentem, mediis que ignes illaesus evasit.

VII. Poppo Danus Presbyter in fidei Christianae probationem vestem prius cera copiosa illevis, eamque indutus in medio populi circo sic se in flammam intulit, donec vestis tota corpori circumfusa in favillas redigeretur intacta à flammis cute. Eò miraculo permoti Dani, duelli purgatione sublata, ignis purgationem introduxerunt. *Delrius loc. cit.* ubi videsis plura; si plura desideras.

VIII. Apud Gentiles quoque ejusmodi purgationes per ignem in usu fuisse ostendunt Raynaudus, & Gonzalez. Putabant enim & hi expiationem per ignem faciendam esse, & apud Romanos dum festa Palilia celebrabantur, cervos foeni, & stipularum ardens saltu traiciebant, & ita puros, immunetque remanere se credebant, ut apud Gonzalez habet Varro *L. 3. de re rustica*, & Ovidius *lib. 4. fastorum canis*:

Moxque per ardens stipulas crepitantis acervos  
Traicias celeri strenua membrà pede.

IX. Similis mos legitur de veteribus Christianis, qui in quibusdam civitatibus compositos ignes in plateis transliebant non solum pueri; sed etiam viri, matresque infantes per flammam transmittentes; quò videbantur sibi purgari, & Dei iram amovere, ut habet cit. Gonzalez, citans Theodoretum relatum à Casaubono, & latine versum à D. Joan Suarez, qui agit de usu apud Christianos accendendi rogos in nocte S. Joannis Baptistae, qui mos exinde originem suam sumpsisse videtur.

X. De probatione per ferrum candens pariter multa extant paradigma, quae videri possunt apud cit. Delrium, Raynaudum, & alios. Nos unum, alterumve duntaxat obiter insinuamus. Et imprimis de S. Chuneconde S. Henrici Imp. conjugae notissima historia, eam suspitionem adulterij (quae cum S. suo Sponso in ipso matrimonio castitatem usque ad mortem servarat) per ferrum purgasse, licet in eo dissentiant historici, an ea pedibus nudis calcaverit vomeres, an verò, quod alij volunt, manibus tulerit, vel an utrumque praestiterit. Pariter Caroli III. Imp. uxor Richarda insimulata adulterij fuit, sed candenti ferro crimen diluit. Emmam quoque Angliae Reginam nudis pedibus per ignitos vomeres ad contestandam pudicitiam ambulasse scribit Polydorus *Anglor. histor. lib. 8.* Alium quemdam, incendij insinulatum, gestato absque laesione ferro candente purgasse accusationem, idem ferrum verò post annum ab alio quoque attrectatum ambussisse ejus manum, & idcirco incendij reum habitum fuisse scribit Krantzius *lib. 8. Kandalia cap. 31.* Illustre quoque ejusmodi miraculum refert Delrius, quod in Japonia Omuræ accidit cum quodam Christiano, qui furti accusatus, cum urgeretur, ut juraret per Deum Chamis, ac se ferro purgaret (nam & Japones Ethnici ex prisco usu attrectatione ferri solent probare innocentiam) is negat, se posse jurare per fallum Deum, sed per verum; consentiunt in hoc Ethnici, ille Crucis signo praemisso ferrum manu constrinxit illaesus. Malabares quoque hanc probationem adhibere, & aliquando Deo attestante veritati innocentes non laedi à ferro candente scribit Fraticiscus Barretus apud Raynaudum.

S. IV.

## §. IV.

## De Purgatione Vulgari per aquam.

1. Purgatio per aquam dupliciter fiebat. n. 1. 2.
2. Usus horum rituum à vulgo introductus, & per Canones est reprobatus. n. 3.
3. Exempla. n. 4. & seqq.
4. Refutatur hæc probatio. n. 7. & seqq.
5. Mos discernendi reliquias veras à falsis. n. 11.
6. Mira probatio per sortes. n. 12.

**L. Q.** Qua ratione fieri consueverit purgatio, seu probatio per aquam? **R.** Ea fieri consuevit dupliciter. 1. Per aquam calidam, ac ferventem, in quam ille, qui innocentem se ostendere volebat, debebat manus, vel brachia immittere, & si combustus inde evaderet, delictum, cuius insimulabatur, perpetrâsse credebatur. 2. Per aquam frigidam, in quam colligatis manibus conjiciebatur, qui sceleris insimulabatur, sique corpus ejus mergeretur, ceu innoxius extrahebatur; sin verò non mergeretur, sed supernataret aquæ, censebatur convictus; eò quòd aqua censeretur eum respuere.

II. Delrius d. l. 4. sect. 4. existimat, eam probationem fieri solitam vel per immersionem Persona, vel per immersionem manus in aquam frigidam, cui Deus vim adurendi æquè tribueret, atque aquæ ferventi; sed hoc rejicit Gonzalez n. 6. & Raynaudus cit. sect. 3. cap. 2. q. 7. n. 8. solebat autem hæc aqua seu frigida, seu calida benedici, & exorcizari, quemadmodum de ferro dictum. Varios ejusmodi Exorcismos videtis apud Delrium lo. cit. quorum duos tantum refert Gonzalez; nos uno contenti sumus, qui in hæc verba sonat: *Exorcizo te creatura aqua in Nomine Dei Patris omnipotentis, & in Nomine IESU Christi filij eius Domini nostri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & omne phantasma Diaboli, ut, si hic homo manum in te missurus est innocens, unde reputatur pietas Dei omnipotentis, liberes eum, & si, quod absit, culpabilis est, & presumptuosè in te manum mittere ausus fuerit, ejusdem omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur, ut omnis homo timeat, & contremiscas Nomen sanctum Gloria Domini nostri, qui vivit, & regnat &c.* reliquos ritus rursum videtis apud Delrium loc. cit.

III. Quorum rituum usum citra Ecclesiæ auctoritatem à vulgo introductum per suos canones Ecclesia postea prohibuit, non propter verba, quæ pleraque erant pia, licet non deessent in his quoque aliqui navi; sed pro-

pter rem; meritò enim Romani Pontifices damnârunt hanc temerariam Dei tentationem: postquam Ecclesiæ damnationem ferè ubiq; abusus iste sublatus fuit post S. Bernardi tempora; diutiùs tam hæserat in quibusdam Germaniæ tribunalibus circa probandum crimen magiæ, & sagas, quibus dexteram manum sinistro pedi, sinistram verò dextero pedi alligabant, sicq; eas in profluentem projiciebant addito fune, quem lictor ad ripam dirigebat, & si submergerentur, extrahebat, de quo genere sagas probandi fusè disputat Delrius lib. 4. cap. 4. q. 5. contra Adolphum Scribonium.

IV. Exempla hujus purgationis per aquam varia extant, ut ex Greg. Turonensi de Hyacintho Diacono Catholico, qui annulum ex aheno ferventis aquæ pleno, nuda manu & brachio extraxit; cùmque postmodum Arianus (de fidei probatione agebatur) quoque injectum rursus annulum levaturus manum in aquam immitteret, fidem suam tuiturus, protinus usque ad ossum internodia omnis caro liquefacta illicò defluxit.

V. Ex actis S. Gangulphi Martyris refertur, quòd, cùm uxor ejus variorum criminum insimularetur, quodam die cum ea deambulans ad fontem nec frigidum adeò, nec immodicè calidum pervenit, ubi uxorem alloquitur: *multa de te facta, & indigna dicuntur, Divina jam providentia, quam nihil latet, certis indiciis declarabit, quid rei subis, in hunc igitur fontem immitte manum, & lapillum extrahere;* illa, quæ juramento asseruerat, falsa de se spargi, incunctanter manum immittit, sed eam eduxit ambulans, & cute nudatam.

VI. In contentione, quæ Ludovico Regi, & Carolo Crasso Patruo intercessit circa regni fines, Ludovicus, ut justitiam suam contestaretur, submisit 10. homines cùm aqua calida, & totidem cum frigida, ac etiam 10. cum ferro candenti jubens eos experiri iudicio adhibitis his mediis ad veritatem patefaciendam, & cum illæsi evasisent, ac nihilominus Carolus pertinax esset in injuriæ irrogatione, ad arma se convertit, felici successu. Raynaudus questiuicula 7. Delrius &c.

VII. Hæc omnia profigantur argumento suprâposito: quia sunt contra sacros Canones, continent tentationem Dei, & sæpe innocentem conjiciunt in summam miseriam; ferrumenim candens, & aqua fervens juxta naturalem constitutionem urere, & aqua frigida injectos ligatis manibus, pedibusque homines, ut natate nequeant, submergere debet;

debet; quod si impediri a Deo petatur, miraculum petitur per tentationem Dei; quibus proin refellendis non immoramur diutius.

VIII. Nec obstant 1. exempla piorum virorum allata, & plura, quæ possunt afferri; nam, ut sæpe dictum, Deus quidem aliquando patrocinator est Innocentiæ, sed tunc, quando ipse speciali instinctu impulit ad usurpationem hujus medij, ut veritas reluceret, & calumnia confunderetur; aut propter bonam fidem innocentis; regulariter verò, & ubi Deus non specialiter permittit, illicitum manet hoc medium.

IX. Non obstat 2. quod *Num. cap. 5.* Deus in antiquo testamento iusserit, ut, si mulier accusata de adulterio illud negasset, nec probare posset, offerret sacrificium Zelotypiæ super altare, & Sacerdos aquas amarissimas in vase fictili execratas maledictione effunderet super eam cum adjecta maledictione, ut, si rea esset, dirumpatur uterus ejus: & si quidem dirumperetur, adultera judicabatur, & in maledictione erat. Nam &c. hæc purgatio ibi à Deo ipso præscripta erat, quam jugi miraculo confirmavit in illo antiqui testamenti statu: at de purgationibus hæc vulgaribus in novo Testamento nihil meminit scriptura: Lex verò illa Dei fuit cæremonialis, qui illum populum specialibus legibus gubernare voluit, quæ leges post mortem Christi expirarunt.

X. Nec obstat 3. *Can. 24. Concil. Mogunt. quod extat apud Gratian, in can. qui Presbyterum 17. q. 4.* ubi habetur: *Si quis Presbyterum occiderit, ei 12. annorum penitentia secundam canones imponatur, ac, si negaverit, si liber est, cum septuaginta duobus juret; si servus, super 12. vomeres ferventes se expuret &c.* Nam respondet Gonzalez *m. 9. ad can. 3. de purg. vulg.* usum purgationis vulgaris per duellum, & ignem olim apud varias nationes receptum in aliquibus Concilijs provincialibus fuisse toleratum, usquedum per Cœlestinum, Innocentium, & Honorium in Titulo de Purgatione vulg. fuerit prohibitum hoc iudicium: atque ita etiam Respondetur ad *can. 1. de Purg. canonica, & alios*, si qui sunt ejusmodi canones. Quod verò anno 1215. vel circiter, Conrad. Marpurgius Inquisitor Apostolicus, & Accusator de hæresi, si negassent, indicio ferri candentis expectabatur, & si amburerentur, eos rogo adju dicabat, id ab eo contra canones factum, ait Delrius *sect. 3.* jam enim Stephanus prohiberat.

XI. Illud olim aliquibus in Ecclesijs moris erat, ut Reliquiæ Sanctorum veræ à falsis per ignem discernentur, sic in Concilio Cæsar-Augustano (provinciali) celebrato *anno 592. tempore Greg. 1.* statutum fuit, ut Reliquiæ, quæ in templis Arianorum, & quibuscunque locis de Ariana Hæresi inventæ, fuerint prolata, à Sacerdotibus, in quorum Ecclesijs reperiuntur, Pontificibus præsentatæ igne probentur, ut tunc legitimæ censerentur, si ab incendio illatæ remanerent. Cui Concilio subscripserunt 14. Episcopi, ut habet Baroni- us *ad annum Christi 592.* (quem Gonzalez citat *ad annum 596.* ubi tamen non invenio Baronium Canonem hunc latè exponentem prout cit. Gonzalez dicit.) Ex quo apparet, quantum sollicitudinem gesserit Ecclesia, quantas cautelas adhibuerit, ut cultus reliquiarum sincerus conservaretur. Cæterum in hac re non video quid vituperabile; nam, cum dubiū esset de Reliquiis, veræne, an falsæ forent, optimè fiebat, ut concremarentur omnes ejusmodi Reliquiæ, nisi quas Deus specialiter illatæ conservare voluisset, quod non erat tentare Deum, seu temerè miraculum petere. Quòd si positivè petiissent P.P. hanc Dei manifestationem, tunc discurrendū hac in parte foret, sicut de probis viris in inspiratione Divinæ signa à Deo petentibus dictum.

XII. Alia quoque de probationibus hujusmodi mira memoriæ prodita sunt per fontes quosdam: sic Artecomij, & Daphnopoly fontē fuisse traditur, in quem si virgo intraret, aqua perlucida manebat; si verò vitata, turbida continuò reddebatur. Similis fons, styx nuncupatus, prope Ephesum fuisse memoratur, in quo sic instituebatur Judicium; si quæ violatæ virginitatis argueretur, ea falsò se accusatam jurabat, jurandumque in Tabella descriptum collo suo alligatum sustinens in fontem (cujus aquæ aliàs vix tibias attingebant) descendere compellebatur; atque si verum jurasset, aqua immota manebat; si minus, intumescibat, atque ad collum usque se attollens tabellam contingebat. prout habent Gonzalez *cap. 3. de purgat. vulg.* & Raynaudus *in Haplothea sect. 3. cap. 2. q. 8.* ubi plura similia refert, ut, quòd alicubi juramentum innocentæ in tabella descriptum projecerint in aquam, quæ supernatabat, si verè jurassent, submergebatur, si pejerassent, quòd itè fontes quidam ocularias dissipaverint ægritudines, & iidem coarguendis furibus, aut depellendæ calumniæ de furto deservierint;

P p

nam

nam quis quis Sacramento raptum negabat, lumina aquis atrectabat, & ubi perjurium non erat, clarius cernebat; ubi verò perfidia erat, cæcitate facinus detegebatur &c.

XIII. De his probationibus certum est, quòd eæ non potuerint referri ad vim aquæ naturalem. Quare aut Deus talia operatus est per se ipsum, vel per angelos bonos in ultionem iniquitatis, & perjuriij detestationem; aut, quòd verisimillimum est, ea omnia Sathanae artificiò sunt peracta, quemadmodum reliquæ superstitiones: passim enim admiscebantur ritus superstitionis: nec solet Deus, inquit Raynaudus, citra benedictionem Ecclesiasticam prodigere (ut ita dicam) miracula operando supra naturam circa elementa: igitur dæmon, ut superstitionem foveret, talia operatus est.

XIV. Idem est, cum de Vestali Virgine, quæ, cum de stupro periclitaretur, cribrum implèssè aquâ de Tiberi, & ad suos Judices, nulla ejus parte stillante portâssè memoratur, & de Claudia itidem Vestali Virgine, quæ ad comprobendam pudicitiam cingulo duxit navim, quam multa millia hominum trahere nequiverant. Gonzalez n. 4.

XV. Illud mirabile, quòd de Celtis, & antiquis Germanis memoratur, cum filios recenter natos Rheno imposuisse commemorantur, ut, si supernatarent, legitimi crederentur, si verò submergerentur, illegitimi, ut allegans Cluverium, Theophylactum, Eustathium, & Gregorium Nazianz. refert Gonzalez. Hinc illud Claudiani:

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.  
Quare Nonius dixit, Rhenum esse velut *Judicem, vindicemque conjugij.*

## §. V.

### De Probatione per Cruentationem cadaveris ad præsentiam occisoris.

1. Ritus hujus purgationis. n. 1.
2. Incertus. n. 2. & 3.

**Q**ua ratione hæc purgatio fieri consueverit? Rædet Besoldus in *Theaur. pract. lit. B. n. 2.* his verbis: *Est, inquit, alicubi in Germania mos, ut vel ad requisitionem amicorum, ac præcipuè propinquorum occisi, vel ex officio Magistratus illi, qui consueti interfuerunt, & de admissio homicidio suspecti sunt, ad mortui cadaver perducantur, & digitos suos vulneribus applicent, verbis utentes conceptis, an sic forte verus ho-*

*micida, si nimirum vulnus tactum sanguinem emittat, manifestari possit.* Quam probationem appellant vulgò *das Haar-Recht.* Ejusmodi casum ad Facultatem Tubingensem allatum von Wertheim aus Francken refert cit. Besold. putatque cruentationem hanc inter indicia ad torturam recenseri debere, sed non sufficere solam.

II. Verum hoc eventum est nimis incertum, quàm ut illi stari tutò possit; cum eadem solemnitate observata subinde sequatur, subinde verò non sequatur manatio sanguinis, ut exemplo sibi notissimo testatur cit. Besold. uti etiam, quòd interdum corpora mortuorum etiam non occisorum Magnatum, Principum &c. cruore manaverint, & multa mala fuerint subsecuta.

III. Nam licet physicè disputando probabile sit, posse naturaliter etiam contingere, ut cadaver ad præsentiam occisoris sanguine fundat; potest enim ea effusio adscribi antipathia, & vehementi odio occisi in occisorem, vi cujus sanguis in ipso rancore ac occisione alteratur, ut possit latens aliqua, & arcana qualitas imprimi corpori cum cadavere permanens tamen, quia hoc est dubium & incertum, num dæmonis ope, ac præstigiis fluxus ille cruoris moveatur, pro indicio ad torturam idoneo non videtur sufficere.

## §. VI.

### De Provocatione ad Tribunal Divinum.

1. Tripliciter fit provocatio ad tribunal divinum. n. 1, 2.
2. Licet provocare ad tribunal, si fiat sine tentatione Dei. n. 3. & seqq.
3. Cause judicij universalis. n. 7.
4. Quando licita, & illicita provocatio ad Deum. n. 8. & seqq.
5. Propositiones damnatae. n. 10. & 11.
6. Periculose sunt hæc provocationes præsertim in articulo mortis. 12. & seqq.
7. Exempla. n. 16. & seqq.
8. Qui injustè provocantur, ut Judices, qui justam sententiam tulerunt, non habent, quod metuant. n. 21. & seqq.

**I**Diximus hætenus, monomachias, & certamina singularia permissa non esse, sed in causis controversis auxilium à Judicij esse quærendum: quia autem haud raro contingit, ut vel iniquitate Judicis, vel malitiâ, fraudibusque adversarij, aut aliorum læsus à consequendo Jure suo impediatur, hinc sæpè

sæpè fit, ut, qui injuriâ affectos se ab aliis putant, & nullum hominum auxilium superesse cernunt, ad Deum confugiant ad ipsius tribunal provocantes.

II. Q. 1. Qua ratione fiat ejusmodi appellatio, seu citatio ad divinum tribunal? R. Ea fit tripliciter 1. nullo addito certo tempore, intra quod citatus compareat coram Judice Deo, sic Sara dixit Abrahæ: *Judicet Dominus inter me, & te Gen. 16. v. 5.* & David ad Saul: *Judicet Dominus inter me, & te; & misericordetur mihi Dominus ex se. 1. Reg. 24. v. 13.* 2. Addito certo tempore, intra quod citatus compareat coram Judice Deo. e.g. intra anni circulum, sicut B. Eustachius Agrestium hæreticum convicia jacentem in S. Columbanum jam mortuum, invitavit ad Divinum Judicium: aut intra octiduum vel intra dies 40. &c. cujusmodi exempla postea referemus. 3. Citando ad Judicium Divinum exercendum in *valle Josaphat* (in das Thal Josaphat laden) quod apud Germanos haud infrequens est.

III. Q. 2. An licitum sit provocare ad Divinum Tribunal? R. Provocatio ad Divinum Judicium per se non est illicita, si fiat debito fine, & modo per eum, qui injuriâ, & calumniâ oppressus omni humano præsidio ad se tendendum, & purgandum est destitutus. Delrius. *Disquis Mag. Lib. 4. cap. 4. q. 4. sect. 1.* Theophylus Raynaudus in *Hopotheca contra istum calumniam sect. 3. cap. 1. questiuicula. 8.* allegans Cantipratanum *Lib. 2. apum cap. 35. & alios. Gobat in Theologia experimentalis tract. 11. casu 23. n. 981.* & probant Exempla allata. *n. 2. Equidem cum res indifferens sit, inquit Delrius, & finis bonus, puto esse actum meritorium.* Raynaudus verò: *Neq. sanè aliud, inquit, revera est, quam appreciatio, ut Deus aliquo providentia sua, aut justitia vindicativa opere aperiat latentem veritatem; & oppressam innocentiam vindicet, ac revelet; quæ in re nihil apparet visiosum, aut dedecens pietatem:* Cum enim licitum sit appellare ad Judicem competentem, Deus autem utique sit Judex competens, per se loquendo non est illicitum ad ipsum provocare, quando alius æquus Judex haberi in terris non potest, ut arguit Gobat.

IV. Hæc tamen uti, si ritè accipiantur, vera esse existimem, ita cautè videntur dicenda, ne tentatio Dei interveniat, & petatur miraculum, ubi Deus nullum promissit; nam etiam in innocenter oppressis ordinariè relinquit divina providentia suum rebus naturalibus cursum; si igitur quis ita injuriatus

citaret injuriantem ad Dei tribunal, quasi ob suam hanc citationem Deus deberet certò innocentiam manifestare in hoc mundo, etiam ultra ordinarium naturæ cursum v.g. alterum ad præstitutam diem tollendò ex hac vita, & ad se vocando ad reddendam rationem, non video, quomodo id sine tentatione Dei fieri queat, nisi speciali instinctu Dei fiat, prout sæpius factum Exempla dein referenda monstrabunt.

V. Quòd si verò injuriatus appellet ad Dei tribunal, non petendo miraculum, ut absolute Deus ultra naturæ cursum instituat Judicium, & veritatem manifestet adhuc in hoc mundo; sed imploret auxilium justissimi Numinis, ut succurrat innocenti (modos autem succurrendi infinitos habet ejus sapientia, & mundi gubernandi providentia) ita tamen, ut adhuc sit resignatus in voluntatem Divinam, etiamsi Deus hoc Judicium differat in alteram vitam, & vallem Josaphat, licita erit provocatio, si debito fine, & modo fiat, eo proportionaliter modo, quo de juramento, quod est invocatio Dei in testem veritatis latentis, docent auctores, quòd per illud jurans cupiat quidem, Deum id, quod jurat, testari, sed si, & quando illi placuerit, sive in hac vita, sive in altera, ne, si absolute vellet, ut Deus in hac vita id per miraculum manifestet, sit tentatio Dei.

VI. Cujus ratio est; quia Deus hunc mundum gubernat non *pro hoc præsentis statu hujus sæculi, sed pro statu futuro æternitatis*, ut in omnem æternitatem puniat justissimis poenis, qui in statu vitæ fuerunt malefactores & æternis remuneretur braviis eos, qui viam hujus sæculi bene cucurrerunt.

VII. Atque hæc potissima ratio asseritur, cur præter Judicium particulare, quo quilibet statim à morte sua, & quam primùm anima à corpore separatur, judicatur, ut recipiat, *prout gessit in corpore suo*, tamen Deus instituturus sit Judicium illud universale in valle Josaphat: quia namque sæpe innocentes opprimuntur, & oppressi moriuntur etiam post mortem infames ob calumnias, & fraudes iniquorum; & vicissim persæpè scelerati hypocriti scelera obtegentes cum gloria apud homines è vita migrant, & honorificentissimè sepeliuntur, ac post mortem gloriosi sunt apud homines, qui per scelera triumpharunt & mortem, & vitam (Exemplum sit unus Alexander M.) ideo Decretoria illa Judicij universalis dies est destinata, ut uni-

verso



verso, quotquot in mundo vixerunt, hominū generi fiat palam, mundum justissimè à Deo fuisse gubernatum, dum ij, qui amore Dei iniquitates perpessi sunt, æterni regni coronā redimiti, ij verò, qui iniquè injurias intulerunt, æternū infames pœnis acerbissimis multatati comparebunt: etenim non desunt, qui videntes, iustos multa mala injustè pati, & iniquo affluere bonis temporalibus, scandalizentur, aut etiam Blasphemè conquerantur, Deum aut ista non videre, aut non curare, aut non rectè mundum gubernare. Ex dictis

VIII. Resolvuntur hæc 1. Illicita est provocatio ad Divinum tribunal, si fiat ex odio, aut vindictæ cupiditate. 2. Si fiat ex impatientia, vel ex ira. 3. Si fiat ex desperatione. 4. Si fiat ex vanitate, aut alia vitiosa affectione. 5. Si fiat tunc, quando justitia per æquum Judicem in his terris obtineri potest. Responsio est per se clara; quia odium, & vindictam propria auctoritate susceptam, impatientiam, iram, desperationem, & quamcunque aliam vanitatem, & vitiosam affectionem averfatur Deus: & quando justitia aliter obtineri potest, superfluum est appellare ad Judicem superiorem.

IX. Licita vero est 1. Si fiat præcisè ex hoc fine, ut innocentia injuriati appareat. 2. Si fiat, ne familia gravetur infamiâ. 3. Si fiat, ut mundus liberetur tali injusto homine injuriante, ne & alios invadat, sed ut respiciat, & terrore percussus agat pœnitentiam ad suam, & aliorum salutem desinens ab injusta oppressione miserorum, ut habet Deltius loc. cit. & Raynaudus. cit. sect. 3. cap. 1. quaestiuicula 7. & 8. & probat q. 7. ex universali Doctrinâ Sancti Th. & aliorum, qui tenent ob hæc motiva licere calumniatori optare mortem, non quatenus Calumnianti mala est, sed ipsi, vel aliis bona.

X. Sed hîc cavendum, ne incidas in sequentes Propositiones ab Innoc. XI. damnatas, nempe 13. quæ ita sonat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod emolumentum temporale.* Et 14. quæ ita sonat: *licitum est absolutò desiderio cupere mortem patris, non quidem, ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum pinguis ei obventura est hereditas.* Et 15. *licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex heredita-*

*te consecutas.* In quas propositiones inquit Cardenas n. 21. & seqq. iis salvis licitum adhuc post eas esse desiderare mortem proximo *ad evitandum aliquod ingens malum etiam temporale impendens, secus si sit malum impendens leve, aut si ob bonum, quod quis concupiscit, optat mortem, ut, ob hæreditatem acceptam &c.* Illung 11, 3. disp. un. n. 92. ait, quod non liceat in hisce gaudere de existentia mortis, sed solum de effectu inde secuto.

XI. Quid quid sit de hoc, certè hæc damnationes nihil videntur officere Responsioni nostræ, ubi ad Deum Judicem refugitur ab oppresso gravibus injurijs, ad quas amolendas æquus Judex, & auxilium in humanis haberi nequit.

XII. Instituere autem ejusmodi citationē (præsertim in articulo mortis) plerumq; est illicitū; quia cōmuniter gignit grave scandalū, præsertim si injuria illata non sit valde atrox.

XIII. Hinc rectè resolvit cit. Gobat num. 975. & 982. hunc casum: Gracchus Laccetus injurijs à duobus, in articulo mortis constitutus iis condonare noluit, nisi coram se, antequam animam efflaret, comparituri essent; sicque mortuus est: resolvit, inquam, hunc Gracchum graviter deliquisse: & potuisse per sententiam Domini ordinarij privari sacrâ sepulturâ, si constaret animam exhalasse in hoc malo proposito, quia peccavit 1. peccato gravis scandali, si injuria fuit vulgaris, aut gravis quidem, sed aliâ viâ emendanda, per sententiam scilicet Judicis 2. peccavit graviter (abstrahendo à scandalo) si noluit aliter condonare inimicis, quàm si coram illo comparerent, cum alia ratione illi satisfieri potuisset. Hæc de provocatore.

XIV. Hinc rectè monet Deltius, periculosum esse hominibus non compertæ sanctitatis has citationes, quarum aliquas postea referemus imitari: quia facilè amor proprius fallit, & persuadet, nos injurias perpessos, cum non simus; & adhuc facilius se immiscet latens aliqua gloriolæ, vel vindictæ, vel alterius perturbationis animi nebula, ut veritatē non videamus. Qui verò scienter aliquem injustè vocat ad tribunal divinum, non est dubium, quin gravissimè peccet.

XV. Si quæras, quī possit quispiam ad divinum tribunal vocare adversarium, cum Christus *Matth. 18. vers. ultim.* sub interminatione æternæ damnationis præcipiat, ut unusquisque remittat ex corde proximo suo? Respondet cit. Gobat, dum jubemur offensas

fas remittere, non præcipitur plus, quàm ut non retineamus odium, ac rancorem in proximum ob injuriam illatam, & ob hanc ipsam injuriam non negemus ipsi illa officia charitatis, quæ tenemur aliis exhibere, nec aliqua negemus in meram vindictam: igitur non tenemur remittere actionem injuriarum coram competente Judice, qui Deus est.

XVI. Exempla hujus rei suppetunt varia, ut videre est apud Justum Liplium in *monitiis politicis lib. 2. cap. 12.* Martinum Delrium *Disquisit. Mag. l. 4. cap. 4. q. 4. sect. 1.* Theophil. Raynaud. in *Hoplotheca sect. 3. cap. 1. quæstioncula 8.* ex quibus aliqua placet apponere.

Burchardus Episcopus Halberstadiensis inquam diu litem cum Abbate Meginhero Herveldensi fovit super decimis Saxonix, quas Episcopus Monachis ereptum, sibi vindicatum manu magis, quàm jurè ibat. Neque spes erat, aut ratio valenti adversario resistendi: cum Abbas, paucis ante mortem diebus, Comitem Palatinum Fridericum ad se vocat, & extrema hæc mandata ferre Episcopo rogat: *Se quidem lise imparem, lege meliorem cedere, atque etiam visâ cedere, sed Deum Iudicem futurum, ad quem appellares, paravent igitur se ambo, ut causam in tribunali Divino discernent, ubi gratiâ, & potentiâ speretis, sola justitia posses, polleretque.* Nec diu post Abbas febrî obiit, statimque & Episcopus, cum equum conscendere vellet, ut fulmine ictus concidit, desinitque in vocibus, *abripse se ad Divinum Tribunal sibi Iudicandum.*

XVII. Ferdinandus IV. Hispanix Rex in judicando præceps duos fratres de occulta cæde suspectos, neque testibus, aut aliis probationibus convictos, neque crimen in vinculis fassos de rupe alta præcipites dari jussit. Cum id fit, vociferantur: *innocentes se mori; & quoniam Regis aures justissima defensionis abstrusæ essent, sese igitur ad summum Iudicem provocare, & Regi diem dicere ab isto (qui sibi ultimus esset) trigesimum.* Dicta non valuerunt, sententia tenuit, sed & ipsorum vadatio; nam trigesimo post die levi morbo tentatus in lecto repertus est exanimatus in ipso ætatis flore, annos natus 24. Liplius.

XVIII. In vicina Germanix Gothia memorabile accidit illud Joannis Tursonis, qui quemdam capite plecti jusserat: is genibus ignixus, *en morior, inquit, injustè, teque voco hæc hora ad tribunal Dei, ut respondeas, cur me condemnes innocentem. Vix autem miser carnificis manum obruncatus fueras; cum etiam Iudex de equo cecidit exanimis.*

XIX. Monasterium D. Jacobi apud Leodium quidam adolescens Consobrinus Majoris Præpositi intraverat, quod ut audivit Præpositus, indignè tulit, & mox forti militum manu intrat Cœnobium, rapit Juvenem, & nudatum habitu sancto, sæculari induit. Abbas ab Episcopo auxilium petit; sed cum Episcopus eum non audiret, sed potiùs duris verbis impeteret; Abbas flexis genibus cum moderamine verborum dixit: *Iudicem contra te, ô Præpositè, in terra habere non possum, & ideo contra te Deum summum Iudicem interpello, ut intra 40. dies uterque nostrum compareat coram illo, sententiam pro meritis accepturus.* Ad hæc cachinnatus Præsul risit hominem cum suis, & repulit exprobratum. Quid plura? quadragesimo die circa nonam mortuus est Abbas, pro eo solemniter cum pulsaretur, sedens in balneo Præpositus quæsitivè à circumstantibus, quid hoc esset? cumque audiret, Abbatem D. Jacobi modò esse defunctum, & pro eo pulsationem fieri tam solemnem; statim recordatus, quadragesimum diem esse, consternatus animo dixit suis: *cito videte quid faciam, mortuus ego sum, comparere me hodie summi Iudicis aspectibus oportebit.* Nec mora, post hæc verba cum balneo egredi festinaret, in adstantium manibus cum diro ejulatu, & vocibus exspiravit. Delrius.

XX. Quidam prætor Flandrix à Reo citatus ad Divinum tribunal intra octiduum, cum læso reo post lusum pilæ inter confabulandum diceret, effluere octavum diem à citatione, setamen adhuc incolumem superesse; vix ea prolocutus subito correptus morbo ante plenè exactum diem illum octavum, stupentibus omnibus, mortem oppetiit. Raynaud. plurà apud citt. Auctores reperies. Quin in hismet partibus ab hominum memoria ejusmodi tragœdia contigisse fertur, quâ innocenter oppetens non nemo ad Divinum tribunal adversam partem citavit effectu secuto.

*Discite iustitiam moniti, & non temnere Divos.* Certè tragœdias hæc terrere deberent omnes iniquos, & temerarios Judices, qui ita facti sunt, ut neminem super terram timeant, sed obsurdescant ad clamorem pauperum. Hæc de Provocatione. Jam

XXI. Q. 3. Quid de Provocato, metuendane hæc illi, an ceu bruta fulmina spernenda? R. I. Si quis *injustè provocatus est*, & sibi bene conscius, non habet, quod metuat; nec enim contra innocentem Deus tuetur Provocatozem; quæ res exponi debet simplicibus; &

rectis corde, qui sæpe ex tenera conscientia aliorum in se vindictas, & minas sibi imputant sinistrè, & metuunt fulmina, quæ alios stravère; ejusmodi anxietates passim occupare simplices, & optimas animas comperitum habent confessarij, quæ sibi metuunt, dum adversarius non condonat (licet ipsæ ex animo remittant offensam sibi irrogatam) aut ad vallem Josaphat citat, aut rem supra animam ipsorum conjicit, ajens: *Joh gibts dir auff dein brinnende Seel/ 2c.* Quæ ridet prudens mens conscia recti. Etenim, si merito possides, & conscientia te non redarguit, nihil est, cur Divinum Judicem metuas, qui conscientiam tuam Judicat, sicut ea se habet, & non sicut alter fulminat, aut eam odit.

XXII. Hinc securi omnino sunt Judices, si justè judicârunt, & sententiam justè latam exequuntur; nihil obstantibus qualibuscunq; vociferationibus reorum, Divinum tribunal inclamantium; sed, siquidem justè judicatum esse constet, neque dubium sit de rectitudine sententiæ, aut facti, propter quod ad Dei tribunal citantur, merito hujusmodi citationem contemnunt; quia aliàs ansa daretur effugiendi pœnas, & imunitatis scelerum; justo enim Judici præmium à Deo, cujus vice fungitur, non supplicium est expectandum.

XXIII. Sciebat hoc, inquit Delrius ex Jovio loco cit. Magnus ille imperator militum Gundizalvus Ferdinandus de Corduba, qui cum Tarentum obsidens maleficum quemdam, seditiosumq; militè ad supplicium duci jussisset, illèque multum reluctatus se iniquissimè damnari vociferaretur, ac Gonzalvum ad dicendam causam ad Dei tribunal magna voce citaret: *vade, inquit Gonzalvus, festinèque confisus optimo Iudici, & causam instrue; nam ibi pro me aderit, qui opportunè Respondeat Alphonsus frater, qui nuper ex Serra Vermegia in Cæsum contendit: tum enim Gonzalvo nuntiatum fuerat, fratrem à mauris circumventum dignè*

forti, pioque duce mortem oppetiisse; sic ille meritò nebulonem injustè provocantem contempsit.

XXIV. §. 2. Si verò provocatus ad Dei tribunal malè sibi est conscius, meritò timet ejusmodi provocationem, & malè sibi consult, si non conetur injuriam provocanti illatâ, aut inferendam amoliri; Responso patet ex allatis tragicis exemplis, quibus ne & in te paradigma adjungatur, meritò est ipsi timendum; & si Deus non eum puniat in hac vita, atque innocentiam alterius vindicet, certè eò severiùs vindicabit in altera.

XXV. Hinc per Delrium malè facit Judex, si hujusmodi citationem contemnit, quando aliquam animi perturbationem sentit, quæ ad damnandum reum vel movit omnino, vel ad citiùs damnandum movit; vel etiam non usque ad eò certa est sententiæ justitia, quin supersint contrarij probabiles metus; rectè autem tali casu facit, si diligentius iterum omnia momenta, & quæcunque ad rei indaginè pertinent, examinet, & perpendat; & reum interim in custodia servet, ut vel retractetur prior sententia, vel majore consilio confirmetur: quia Judices non possunt satis circumspectè procedere in re tanti momenti: quod patet ex exemplo Ferdinandi IV. Hispaniæ Regis, & aliis supra relatis: quibus Colophonem addat Meinvercus Paderbornensis Episcopus, quem gravi contumelia Carbensis quidam Monachus affecerat; cui Episcopus redditurum Altissimo facti rationem prædixit. Monachus flocci pendens risit Episcopum; sed ecce moritur Antistes, & nihil mali sentiens antea Monachus quoque in ipsa hora mortis Episcopi expiravit. Delrius. P. Drexelius verò in suo Tribunali Lib. 2. cap. 3. producit in Scenam 24. hujusmodi citationes effectum suum consecutas; at non nisi respectu illorum, qui malè sibi erant conscij, & injurij in citantes, ut habet Gobat loc. cit. n. 976.

## SECTION VI.

DE

### Pœnis Monomachiae.

#### §. I.

#### De Pœnis Juris Naturæ, & Canonici in monomachiam.

1. Pœna jure Divino naturali decreta, n. 1.  
2. Juro Canonico, & in quos. n. 2. 3.

Diximus duella prohiberi Jure Civili Canonico, & Divino naturali. Dubium jam oritur de pœnis contra monomachiam statutis, de quibus

I. Q. 1. Quæ pœnæ in monomachiam sint decreta Jure Divino naturali? §. Infernales

les cruciatus in æternum, si quidem in hoc statu obeant. Tantò impendiò stat fumus honoris! Responsio constat ex dictis; quia sub gravi culpa, cui æterna pœna ab auctore Naturæ decreta est, vetita sunt hæc certamina, exceptis iis, de quibus postea dicemus esse licita, quæ Monomachiaè propriè non sunt, sed defensiones.

II. Q. 2. Quæ pœnæ in monomachiam sint decretæ Jure Canonico, & qui eas incurrant? Pro Responsione Notandum, in monomachia solere reperiri quinque genera personarum. 1. Principes, Reges, Imperatores, vel alios homines duella concedentes in terris sibi subjectis. 2. Pugnantes. 3. Patrinos eorum. 4. Eos, qui consulunt, vel aliquo modo favent. 5. Spectatores, qui ad spectaculum concurrunt. Hòc notatò

III. R. 1. Omnes prædictæ personæ sunt excommunicatæ. 2. Domini in terris suis concedentes facultatem ad monomachiam privantur Jurisdictione terræ illius, in qua concedunt facultatem ad monomachiam, si eam jurisdictionem ab Ecclesia habent: quod si sit feudum, privantur eo, ita, ut redeat feudum ad Dominum suum directum. 3. Pugnantes, & eorum patrini notantur infamiâ. 4. Incurrunt privationem omnium bonorum, & pœnam homicidij, hoc est, debent puniri ut homicidæ, licèt non sit secuta mors. 5. Morientes in Monomachia privantur Ecclesiasticâ sepulturâ. Concil. Trid. *Sess. 25, cap. 19.* Azor *parte 3. lib. 2. cap. 7.* & constat responsio ex §. 3. Sect. 3. ; ubi textus statuentes ejusmodi pœnas legi possunt, ex quibus pœnis excommunicatio incurritur *ipso facto*: cæteræ verò pœnæ incurri debent per sententiam Judicis; Quæ pœnæ, ut ibidem dictum, incurruntur per Monomachiam tam Judicalem, quàm extrajudicalem, tam publicam, quàm privatam, quæ etiam absque Patrini, & aliis usitatis cæremoniis suscipitur, & sinè literis provocatoris.

IV. Non verò incurruntur ijs certaminibus, quæ licèt suscipiuntur cum moderamine inculpatæ tutelæ pro defensione, de quibus postea. Neque in rixis, quæ non fiunt ex conditio cum prævia assignatione temporis, & determinatione loci: quia non sunt Duella propriè dicta. ut sect. 1. §. 1. dictum. Pœnæ enim strictæ interpretationis sunt. Quoad personas, quæ ejusmodi pœnas incurrant, juvat eas singulatim proponere. Itaque sit

## §. II.

## De Dominis territorialibus concedentibus in suo territorio monomachias.

1. *Permittens Monomachiam tantum ad impedienda majora mala pœnas Jure Canonico statutas non incurrit. n. 1.*
2. *Neque, qui duobus infidelibus aut Judæis concedit locum. n. 2.*
3. *Concedens impunitatem post admissum crimen incurrit. n. 4.*
4. *Princeps tenetur adhibere media ad tollendam monomachiam. n. 5. 6. 7.*
5. *An Princeps duobus ad mortem damnatis possit indicere duellum? n. 9. & seqq.*

L. Q. 1. Qui Principes, & Domini territoriales pœnas Jure Canonico in monomachos statutas incurrant, vel non incurrant? R. 1. Licèt Princeps vel Dominus territorialis peccet *præbendo duellis assensum*, & ea concedendo, non tamen peccat ea duntaxat *permittendo* tanquam minus malum ad majora mala impedienda Azor. Sanchez. quemadmodum de permissione Lupanarium loquuntur passim DD. Nam Concil. Trid. non loquitur de hac *permissione* eam damnando, sed de *concessione*, & *licentia data* ad duellandum. Sanch.

II. R. 2. Eas non incurrit Princeps Christianus, qui duobus infidelibus e. g. *duobus turcis* aut *duobus Judæis* concedit in suo territorio locum duelli, licèt utique graviter peccet rem jure naturæ prohibitam concedendo, ratio: quia Conc. Trid. expressè dicit: *inter Christianos* Sanch. n. 29. ubi secus censet, si *Christiano* pugnaturus cum *infideli* locum duelli concedat; quia sic jam concedit locum *duello Christiani*, & *motus proprius Clementis VIII.* inter personas sub ea excommunicatione comprehensas numerat militem Christianum ob privatas inimicitias duellum cum contrariæ factionis milite ineuntem.

III. R. 3. Econtra prædictas pœnas incurrunt non solum Imperatores, Reges, & locorum Domini; *sed etiam Magistratus, Præsides, locum tenentes, Duces militum, & Capitanei in castris, vel extra ea in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitiis adversariorum monomachiam quocunque casu prohibito permittentes.* ut loquitur *constitutio Clementis VIII.*

IV. R. Eisdem pœnas, prædictæ personæ incurrunt, si *post admissum crimen* (duelli) veniam, & impunitatem concedunt, & non pu-

non puniunt monomachos, uti mox subjungit *cit. constitutio.*

V. Certissimum autem est, inquit Gobat *experientiarum Theologicarum. tr. 7. n. 573. in appendice duellari. 2.* Principem quemlibet sub pœnâ æternæ mortis obligari adhibere remedia necessaria ad extirpanda, & minuenda crimina hæc gravissima, & reipublicæ nocentissima; & nisi ea adhibeat media, esse incapacem absolutionis Sacramentalis: quia ex una parte ingentia mala oriuntur ex duellis; ex altera verò parte ea vix possunt emendari, nisi sententia mortis in monomachos decernatur, & indispensabili Lege executioni mandetur.

VI. Cùm quidam Rex Gallix hominem quemdã morti addixisset objiciendo, esse jam tertium homicidium, quod ipse patrasset; *agnosce mi Domine*, replicavit, *sum reus tantum unius, tu duorum; nec enim perpetrasset secundum, & tertium, si tu me, ut merebar, post primum jussisses capite plecti.* Joachimus Burgerus in suis *observationibus Politico-Militaribus* apud Gobat *lo. cit. v. disputabile factum ad finem* merito insinuans, jure imputari Principi omnia duella, quæ commissa non fuissent, si Princeps usus fuisset severitate.

VII. Hinc gravissimã noxã se obstrinxit Princeps ille, de quo *cit. Gobat appendice duellari 1.* meminit, qui detestando in oculis Dei (quidquid in contrarium judicet pseudo-politica cæcitas) exemplò subditum æquo generoso donabat, quòd ab alio levi convitio petitus mox ad duellum provocasset; alterum verò recusantem ob hujusmodi nugas vitam utriusque periculo objicere, baculo percutiebat velut imbellem foeminam: in quo factò duplex grave peccatum continetur. Primum, quia suo dono excitavit & illum, cui dedit, & aulicos suos, & alios ad duella non acceptanda duntaxat, sed etiam offerenda, pessimum præbens exemplum ac scandalum ad rem illicitam, quam morte provocantis potius è reipublica eliminare oportuisset. 2. Quia illum, qui recusavit, exposuit ludibrio aliorum, cùm revera fuerit hic laude dignus, alter probro in quem quadrabat illud ex *Dasiobodio: Non est dignus equò, cui carior est equus aquò.*

VIII. Equidem quid funestius esse possit, quàm homines adigere, ut æternam animæ jacturam temerè exponant tam levi discrimini? quid exitius illa consuetudine, qua inferiores milites nolint parere superiori, qui vel non paruit provocanti ad duellum, vel non provocavit eum, à quo fuit probro affectus?

IX. Q. 2. An Princeps vel reipublica duobus reis ad mortem damnatis possit mutuam duellum indicere, ut se mutuò occidant?

Videtur esse licitum, quia hoc aliud non est, quàm constituere, ut alter sit minister justitiæ ad occidendum alterum, & cùm uterque sit reus mortis, videtur, quòd uterque pugnam licitè acceptet. Item, quia reus mortis justè potest damnari, ut fame pereat: ergò etiam, ut pugnet cum altero. Sed

X. R. 1. Licet secundum se, & speculativè remæstimando talis indictio duelli à Principe facta non videatur aliena à jure naturali, maximè si ei, qui præverit, vita condonetur: attamen ob adjunctas circumstantias non vacat periculo scandali, quare neque expediens, neque licitum est Principi ejusmodi duellum ipsis indicere, & utrique dare facultatem se tuendi contra alterum, & resistendi alteri. *Lay. L. 3. tr. 3. parte. 3. cap. 5. n. 1. Azor parte 3. Lib. 2. cap. 5. q. 7.* quòd si id fiat spectaculi causã, planè crudelitatem sapit.

XI. R. 2. Datã verò à Principe vel reipublica prædicta facultate, uterque licitè acceptat duellum, & alter alterum occidit, si non faciat ex odio, sed tantum Reipublicæ Zelo; quia uterque constituitur à Judice tanquam minister justitiæ ad occidendum alterum; tum propriæ vitæ salvandæ causã *cit. DD.* Licet enim Judex peccet, per hoc tamen non tollitur ipsi Jurisdictio, seu potestas constituendi hunc, vel illum ministrum justitiæ; adeoque licet hic *modus utendi auctoritate sua* non sit licitus Judici, auctoritas tamen ejusdem quoad substantiam legitima est.

XII. Quòd si verò tu solus condemnatus es ad mortem, & Judex tibi offerat duellum adversus accusatorem tuum, vel alium, censes Palao *tr. 6. disp. 5. punct. 7. n. 12.* te non posse illud acceptare, nisi fortè ille, cùm quo duellum ineundum est, sit etiam dignus condemnatione, & ea in duellum commutetur, vel ille te aggrediatur.

### §. III.

#### De ipsis Pugnantibus.

1. *Quinam pugnantes eximantur pœnis. n. 1. & seqq.*
2. *Lepida Monachicum Heretico concertatio. n. 2.*
3. *An pœna incurrantur per provocationem, licet non sequatur monomachia. n. 6.*

I. Q. Qui pugnantes pœnas à Jure Canonico in monomachiam statutas incur-

currant, vel non incurrant? **R.** 1. Eas non incurrant, qui in navi, vel in caupona subito exortâ rixâ, eam continuantes è navi egrediuntur in continentem, aut è caupona in plateam, ibiq; digladiantur sine prævia provocatione, destinatione temporis, & loci.

**II.** **R.** 2. Neque eas incurrant sceminæ, aut viri pugnis (licet ex condicto) se contudentes cum evulsione capillorum, sine armis ad occidendum, & graviter vulnerandum aptis. Lepida duorum concertatio fuit, quam refert Masenius in sua usuli curiositate cap. 16. n. 10 & Paciuchelli Fonti. Consolat. de tolerand. verber. Hæreticus Monachum obiâ habuit, eiq; per contemptum colaphum infregit, indignanti Monacho, & quorsum ista spectarent, interroganti? *mi bone Frater, reponit hæreticus, Scripturam ignorare videris, quæ percutienti unâ quaxillam movet præbere & alteram: en, ait Monachus, habes alteram, nec segnis ille palmaré ictum priori addit. Tum verò Frater, ut erat viribus haud inferior, vibrato haud impigrè brachio reponit accepta, subjungitque: & te Scripturam scisse oportuit; quæ ait; quâ mensurâ mensi fueritis, eadem remittetur vobis: itâ mutuis collisi pugnis, cum superior evassisset Monachus, tertiusque diremptor accurreret, sine, inquit, Frater, sine, progrediamur; nam Sacram Scripturam invicem exponimus: res in risum versa, & hæreticus cum plena satisfactione mensuræ redditæ domum revertit, ac nescivi, inquit, tantam vim sacra interpretandi habere Monachos.*

**III.** **R.** 3. Nec eas pœnas incurrant, qui pugnant in Torneamentis illis, quæ non tendunt ad graves vulnerationes, & mortès; uti neque illi, qui communem pugillatum, in aliquibus urbibus germaniæ consuetum, das gemeine Fechten / exercent acinacibus brevibus ligneis, mit Düsacken / aut pugionibus præfixo in cuspide ferréo globulo, mit Rapiert / ne quis alterû graviter possit lædere, sed dexteritatem tantûm, atque artem ostendere, & presentibus gratum spectaculum exhibere, licet subinde per accidens vulnus sequi possit. Clericòs verò etiam hæc spectacula spectare indecens videtur.

**IV.** **R.** 4. Eas non incurrant milites, qui auctoritate Ducis cum militibus hostilibus ex condicto congregiuntur ex causa publica, & casibus, quibus ea certamina licere postea dicemus, nempe pro conservacione exercitûs, aut quando bellum publicum resolvitur in duellum ad imponendum armis finem. Se-

cus in casibus illicitis, ut, quando vel ipsimet propria auctoritate, vel auctoritate Ducis duellant, aut inter se, aut cum militibus hostilibus ad ostentationem virium, captandam vanam gloriam &c. Nam ob has causas Dux non potest dare ipsis potestatem monomachia pugnandi ad mutuâ cædem, & vulnera.

**V.** Tandem has pœnas non incurrant omnes, qui certant tali pugnâ, quæ monomachia propriè non est, de qua re dictum Sect. 1. §. 1., aut quæ illicita non est.

**VI.** **Q.** 2. An etiâ dictæ pœnæ incurrantur per Provocationem ad monomachiam, si ea non sequatur? **Hurtadus** apud **Dianam**, & **la Croix Lib. 3. n. 849.** censent, eas etiam post motum proprium **Clementis VIII.** non incurri. Sed citata Bulla **Clementis** expressè statuit §. 6. quòd per Provocationes, seu per chartam, seu per relationem internuncij, seu aliter, sive expressè, sive implicite factas incurrantur à Provocatore, ut, si quis militari consuetudine quærit, quâ mente, aut quo sensu quidpiâ alter dixerit ad eum effectum, ut dicat, eum mentiri, & sic ad duellum deveniatur. Item si **Cajus** iratus dicat **Titio: exi mecum in plateam, volo parum tecum loqui,** & **Titius** moraliter certus sit, se evocari ad pugnam; tunc si **Titius** exeat, uterque incurrit dictas pœnas; quia est tacita Provocatio, & acceptatio; nisi rixa jam priùs sit coepta ante exitum, & continuata juxta dicta §. 1. Non tamen tenetur **Titius** ideo manere domi, si negotia postulent eum exire; imò etiam statim exire potest, si credat probabiliter fore, ut **Cajus** blandis verbis placetur. **La Croix n. 851.** Idem censet **Lugo** apud *cit. D. n. 850.* si **Cajus** sic scribat **Titio: Desidero à te audire explicationem, & sensum verborum, quæ heri contra meum honorem dixisti, ad hoc autem audiendum te cras expectabo horâ primâ in prato suburbano; si dein uterque veniat, & pugnet.**

#### §. IV.

#### De Patrini, Consulentiibus, Faventibus, Spectatoribus.

1. Quinam ex Patrini incurrant pœnas? n. 1.
2. An Consulentes, scribes literas Provocatorias, aut referentes, vel ministrantes arma? n. 2.
3. De Spectatoribus. n. 6. 7. 8.

**Q.** 1. Qui Patrini incurrant, vel non incurrant has pœnas? **R.** 1. Eas non incurrant, qui ex instituto comitantur quidè ad duellum aggredientes, sed causâ illius impediendi.

R r

*diendi*. Sanch. n. 31. 2. Incurrunt verò illi socij, sive patrini sint, sive alij, qui *causâ juven- di* comitantur, quamvis non sit ventum ad pugnam, quando conati sunt efficere, ut pugnaretur, vel saltem, si poterant, non impedi- verunt ipsi, sed maluissent pugnam conferi. Quos omnes Greg. XIII. *in sua Bulla* excom- municavit, etiam si ad pugnam ventum non sit, quando per ipsos non stetit, quò minùs veniretur. *cit. Sanch.*

II. Q. 2. Qui consulentes incurrant has pœnas, vel non incurrant? R. 1. Non in- currit is, qui revocavit consilium, quantum potuit, licet secutum sit duellum. 2. Neque incurrit ille, qui narrat aliquid, ex quo prævi- det aliquos se provocaturos ad duellum, nisi per hoc vellet incitare: sicut neque illi, qui audiunt, vel legunt scripta, quibus aliqui se provocant. 3. Incurrit autem, qui literas provocatorias scribit, vel eas defert, ut constat ex *cit. §. 6. Constit. Clem. VIII.* Item qui commodat amico sua arma, si per hoc pro- moveat, & alter acceptis his armis magis ex- citetur ad pugnandum; secus si aliàs nihil- ominus æquè citò, & audacter pugnasset, per hæc arma autem tantum pugnet securius, & fiat victor, quo casu, inquit La Croix ex Dia- na, non est peccatum, nec incurritur ulla pœ- na, quia talis non facit, ut duellept, sed tan- tum ut amicus minore periculo duellet, in quo nihil est mali.

III. Q. 3. Qui Spectatores incurrant, vel non incurrant has pœnas? R. 1. Non in- currunt, qui illuc transeuntes aspiciunt obi- ter duellum; quia non sunt propriè specta- tores; atque ità Greg. XIII. *in sua Bulla* addit: *ex composito Spectatores*. Sanch. n. 31. & Cle- mens VIII. *in sua Bulla* addit: *de industria Spe- ctatores*. 2. Neque incurrunt illi transeun- tes, qui subsistunt quidem, sed ad dirimendū duellum; quia id opus virtutis est, imò sub præcepto, si dirimere commodè possunt. *cit. Sanch.* 3. Neque qui ex occulto, v.g. per rim- pam, aut retro rotulas vitreas è domo duellū aspiciunt; quia Spectatores non sunt, nisi qui se in publico exhibent, & sua præsentia con- spiciuâ actui adsunt. La Croix. Quod omni- no verum est, quando ipsi duellantes de tali inspectione nil sciunt, ut per hos inspectores nihil moveantur ad duellum perficiendum. Aliàs si duellantes scirent hos inspectores, vi- deretur res non satis certa, quia per hoc ad pu- gnam accenduntur, ut erubescerent non des- sistant.

IV. Dum Dilingæ in studiis versabar, duo studiosi ità se provocavere ad determinatum locum, ad quem soli egressi, cum nemo spe- ctator adesset, alter convertus ad adversariū: *Frater, inquit, nemo nos conspicit, parcamus ira, & in amicitiam redeamus, remque totam silentio involvamus*: dictum, factum, datis dextris a- mici redeunt domum; quòd si quem specta- torem scivissent, sanctè asseveravit alter, se ci- tius mortem fuisse appetiturum, quàm sine pugna rediturum. Quare saltem tales spe- ctatores clancularij, si id notum sit duelli candidatis, peccant mortiferè. Unde pro- babile quidem est, quòd Diana, & Tamb. do- cent, illos omnes spectatores non incurrere has pœnas, quorum præsentia scitur non mo- vere duellantes; at rarus erit casus, si conspi- cui, aut monomachis conscii, spectent.

V. Putat tamen Filliucius *tr. 15. n. 114.* & Tamb. apud La Croix *L. 3. n. 858.* eos solos aspicientes incurrere has pœnas, qui adsunt animum, vel auctoritatem dantes duellanti- bus, vel ex condicito tanquam testes, aut Ju- dices, seu arbitri: quòd hoc videantur signi- ficare verba in *Bulla Greg. XIII. ex composito spe- ctatores*, & in *Bulla Clem. VIII. §. 7. Socij de in- dustria spectatores*.

VI. Neque Tandem eas pœnas incurrit, qui accessit animo aspiciendi, si actus duelli proximus non sit secutus; quia re ipsa non fuit spectator, nisi, ut priùs ex Sanctio insinua- tum, conatus esset efficere, ut pugnaretur, vel saltem non impedivisset, dum poterat &c. eadem cum proportione dicenda de fautori- bus mopomachorum.

VII. Germani, & alij populi Septentriona- les videntur Laym. *L. 3. tr. 30. part. 3. cap. 5. n. 40* à censura excusari, si ex condicito descendant ad duellum privatum, certo quidem loco, ac tempore, nulla tamen alia solemnitate adhi- bita; seu ex ignorantia, seu quòd Conc. Trid. tantum loquatur de duellis publicis, ac cum solemnitate institui solitis: constitutiones autem *Greg. XIII. & Clem. VIII.* quæ conciliū ad duella etiam *privata* extendunt, secundum hunc sensum promulgatae, & in usum dedu- ctæ non sint.

VIII. Verum licet ignorantia Excommuni- cationis excuset ab excommunicatione, quæ non nisi in contumaces fertur, Sanch. *L. 9. matr. disp. 32. n. 13.* & licet desuetudo legem possit abrogare; promulgatio tamen in legi- bus Ecclesiasticis sufficit, ut sit Romæ facta, ad hoc, ut ejusmodi leges obligent per totum Chri.

Christianum orbem, & omnes Christi Fideles, qui tales leges, & earum promulgationem Romæ factam resciverint, uti Canonistæ tradunt in *iii. de Constitutionibus*; adeoque defectus promulgationis non excusaret illos septentrionales, qui ex Libris, vel doctrina aliorum poenas harum Bullarum ad duella privata extensas sciunt; nisi eos ignorantia, aut quòd in usum deductæ non sint, excuset. Præsertim cum Clemens VIII. in sua Constitutione, quæ incipit, *Illius vices ann. 1592.* expressè statuat, ut ea post publicationem Romæ factam eos, qui in urbe sunt post triduum, qui verò extra eam, & citra montes, post duos menses, ultra montes verò post quatuor menses omnes, quos concernit, perinde ardeat, & afficiat, ac si eorum cuilibet personaliter intimata fuissent.

## §. V.

## De Absolutione Monomachorum.

1. Mendicantes possunt absolvere duellantes duello privato. n. 1. 2.
2. In articulo mortis quilibet Sacerdos. n. 3.
3. Factum prudens Parochi. n. 5.

**Q** I. Quis possit absolvere Duellantes?  
 R. Duellantes Duello privato sine chartellis, testibus, & patrinis apud Septentrionales possunt absolvere Confessarij ordinum mendicantium, licet etiam apud Septentrionales incurreretur excommunicatio Papæ reservata: quemadmodum possunt per sua privilegia absolvere ab aliis casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, ut habet Laym. *loc. cit.* Gobat in *Theolog. pract. tr. 7. n. 573.* allegans Dianam *part. 5. tr. 14. resol. 103.*, qui dicit Patres Soc. Jesu posse extra Italiam vi suorum privilegiorum absolvere duellantes duello privato; nec dubitat, quin id possit Episcopus, quando duellum est occultum, & nondum ad forum externum contentiosum deductum per citationes, aut delationem Juridicam. Et saltem in Germania nostra Superiore, inquit cit. Gobat, *mendicantes absolvunt sine scrupulo. Congrediuntur Ingolstadij per sepe Studiosi Academici duello proprie dicto privato, non tamen recurrunt vel ad Sedem Apostolicam, vel Episcopalem.*

II. Licet verò Gobat loquatur de duellis privatis tantum, quæ quidem fiunt condicto loco, & tempore, sed sine missis chartellis provocatoriis; sine testibus, patrinis, & aliis solemnitatibus: Tamen Laymannus loco citato Universaliter tenet, quòd Confessarij mendicantiū per privilegia sua possint absol-

vere duellantes, atq; eorum socios, aut fautores, sicut ab aliis casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis ex declaratione Clementis 8. de qua testatur Paulus Comitulus *Lib. 6. Moral. q. 17.* Valerius Reginaldus in *praxi volum. poster. Lib. 21. n. 83.* Vincentius Filliucius *Tom. 1. tr. 15. de censuris in particulari C. 5. n. 106.* quòd privilegiati in casu duelli post constitutionem Clementis VIII. quæ incipit: *Illius vices*, absolvere possint, sicut ante eam poterant, exceptis tamen confessariis tam Regularibus, quàm secularibus in Italia extra urbem degentibus, quibus à casibus tum Sedi Apostolicæ, tum ordinariis locorum reservatis absolvendi potestas denegata est per *Decretum Congreg. Cardinalium ex mandato Clementis VIII. editum apud Marantam in summa Bullariis. ver. casus reservatus fol. 199.* Laymann. His ad stipulantur Dicast. *de iust. L. 2. t. 1. d. 10. num. 238.* Bonagratia *v. absolutio. Loth. 1. 6. art. 7.* Tamburin *de confess. L. 3. C. 7. n. 15.* apud La Croix *L. 3. parte 1. n. 861.* Busenbaum *L. 7. C. 1. dub. 5.*

III. Porrò monomachum graviter vulneratum, & in articulo mortis constitutum quilibet parochus, vel alius confessarius absolvere potest: quia in articulo mortis cessat omnis reservatio, neque ullam censuram incurrit, qui ad duellum accedit, ut confessionem audiat, sicut neque Chirurgus, qui accedit, ut vulnerato medeatur La Croix *n. 858.*

IV. Consultius tamen faciet Sacerdos, qui scit, alicubi duellum fore comittendum, si in loco secreto haud procul à stadio se contineat, & abscondat, ut, quando unus è monomachis, aut uterque eorum ceciderit, graviterque fuerit vulneratus, statim è latebris accurrat.

V. Qua in re laudatissimè egit ille R. D. Parochus alicujus pagi prope Augustam Vindelicorum. Condictum erat duellum solemne inter duos viros equestri ordinis in campo adjacente suo pago; fratrem alter monomachus habebat Canonicum Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ; qui de anima monomachorum, maximè fratris sollicitus clam accedit Parochum pagi, ei denuntiat horam, quæ duellum sit committendum, rogat, ut paratus esset ad succurrendum, si forsàn quispiam è monomachis gravi vulnere ad extremum articulum deduceretur. Quid ad hæc Parochus? generosò animò respondet, potius irret Canonicus, utrumque dehortetur, utriusque denuntiet, excommunicatos esse, neque dignos,



dignos, qui sacerdotem nanciscantur in extrema necessitate, in quam se ita temerè conijcerent; se suam operam non spondere excommunicatis, perirent, si perire vellent. Interim clam ædituum suum in campanarum turri collocat, unde duellum conspici poterat, cum jussu, ut, quàmprimum aliquem ex monomachis ex equo dejectum ab adversario cerneret (equites enim manualibus sclopis congregiebantur) signum sibi daret; qui interim sacra synaxi instructus expectabat in loco opportuno, unde ad stadium excursus patebat. Interea in stadio comparent cum patrinis, & testibus duellantes, atque alter in pugna utrumq; jam sclopum in adversarium exonerayerat, aberrante temper globo: cumq; dein inermis adversarium suis adhuc oneratis sclopetis instructum per varias ambages declinaret, equo delapsus est; jacenti adest adversarius, &, cum nequaquam vitam ille deprecaretur, sed interrogatus responderet: *trajicias*, tamen generosè condonavit vitam, exoneratò in aëra sclopò. Hæc dum geruntur, ecce accurrit festinans per campum Parochus; signum enim ædituus è turri dederat; dumque stadio, ubi pugnatum fuerat, proximè imminet, duo monomachi (alter interim iterum equum conscenderat) datis dextris subdunt equis calcaria, & effusis habenis ad urbem revertuntur cum suis patrinis, ac testibus: revertitur & Parochus ad sua, magnam laudem, & Zeli sui, & prudentiæ promeritus.

## §. VI.

### De pœna privationis sepulturæ.

3. *Quis, & quando duellans privetur sepulturâ. n. 1. & seqq.*

**Q.** Qui incurrant pœnam privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, vel non incurrant? *R.* 1. Eam non incurrunt, qui per rixam, aut aliam pugnam, quæ propriè duellum non est, congregiuntur. 2. Incurrunt verò illi, qui duello propriè dicto etiam privato sinè patrinis, & socijs congregiuntur. 3. Quòd si tamen duellans non moriatur in stadio, seu loco conflictûs, sed extra illud, non privatur sepulturâ Ecclesiasticâ, licèt moriatur eodem die ex vulnere in conflictu accepto; quia *Con. Trid. cit. sess. 25. cap. 19. de reform. dicit; si in ipso consuetu decesserint, perpetuò careant sepulturâ Ecclesiasticâ; neque ex Bullis alijs evincitur contrarium; adeoque lo-*

locus est receptæ Doctrinæ, pœnas non esse extendendas. Ludovicus Engel *L. 3. decretal. tit. de sepulturis n. 21.* Thom. Tamburin. *in Explicat Decalogi L. 6. cap. 1. §. 3. n. 13.* Imò si post conflictum in eodem loco confiteatur, ibique moriatur, censent La Croix *n. 864.* Tamb. *loc. cit.* non privandum Sacrà sepulturâ; quòd, quando tempus intercedit à vulnere ad confessionem, non dicatur mori *in ipso conflictu*, sed post illum.

II. Nec obstat Rituale Pauli V. quod in rubrica præfixa ordinationi de exequiis ait: *morientibus in duello deneganda est sepultura Ecclesiastica, etiamsi signa penitentiae dederint.* Nam respondet cit. Tambur: minus est dare penitentia signa, quàm Sacramentaliter confiteri, & cum in articulo mortis quilibet Sacerdos habeat potestatem absolvendi à qualibet Excommunicatione, prædictus sic absolutus non decedit cum Excommunicatione. Imò si talis duellans in loco conflictûs moriens signa contritionis dederit, sed ex defectu Sacerdotis confessionem non fecerit, putat tamen Portell. *in Responson. n. or. 1. 1. p. 3. C. 16.* apud La Croix *n. 864.*, posse sepeliri loco sacro, si aliquod tempus à conflictu intercesserit; quia etiam hic elicit contritionem moraliter *p. s. conflictum, non in conflictu.*

III. Quòd si duellum non sit notorium, non poterit Parochus in illo defunctum privare sepulturâ, sed rem debet ad Episcopum, seu ad ejus Generalem Vicarium deferre; quia publicæ pœnæ solùm vitijs publicis sunt infligendæ, ut ex S. Th. *opusc. 73. C. 21.* inquit La Croix *loc. cit. n. 863.* & ex Bonacina, ac Joan. Sancio refert Barbosa *in Collectan. Doct. in Conc. Trid. cit. sess. 25. cap. 19. de reform. n. 20. ad finem;* ubi ex eodem advertit, in aliquibus Provinciis fortè illas constitutiones, quantum ad duella privata, esse consuetudine abrogatas quoad hunc effectum negandi sepulturam.

IV. Cæteroque, qui in dicto conflictu sinè his signis morientem sepeliunt, graviter peccant, non tamen ita sepelientes incurrunt Excommunicationem, ut ex Hurtado apud Dianam *parte 5. tr. 3. ref. 99.* Bannio, & Castrop. habet Tamburin. *loc. cit.*

## §. VII.

### De pœnis Juris Civilis in monomachiam.

1. *Quenam pœna statuta in monomachos lege civili? n. 1. & seqq.*

2. Grao

2. *Graviter vulnerans, aut solim provocans quas penas incurrat?* n. 4.

3. *Particularis poene, & Exempla. n. 6. & seqq.*

**I. Q.** Quae poenae in monomachiam sint decretæ Jure Civili? Pro Responsione Not. discrimen esse faciendum, inter Provocantem, & Provocatum. Hoc notato

**℞. I.** *Quoad Provocantem*, si ex provocatione nullum damnū sequatur, quia provocatus ad pugnam comparere non vult, sed judiciō vult contra provocantem agere, saltem provocator poenā extraordinariā pro arbitrio Judicis puniendus venit, puta poenā carceris, vel pecuniariā, ut habet Berlichius *part. 4. conclus. pract. conclus. 16. n. 11.* Knipschilt de *Nobilitate Lib. 2. cap. 3. n. 112.* cum pluribus, quos allegant, *arg. L. 1. ff. ad L. Corn. de Sicar. & L. 1. C. eodem & §. 1. de publicis iudicijs*, ubi poenā ordinariā Legis Corneliae puniri jubentur, qui falsum testimonium ferunt, aut venena parant, aut cum telo ambulant hominis occidendi causā. Neque enim exitus in delictis spectatur, sed voluntas *L. Divus eodem titulo*, quatenus tamen aliquo modo in actum transijt, ne obstet *L. cogitationis ff. de penis. Zoës. in pandectas tit. 8. Lib. 48. ad Leg. Cornel. de sicarijs. n. 4.*

**II.** Poena autem per *L. Corneliam* statuta fuit aquae, & ignis interdictio in cujus locum fuit surrogata deportatio, & bonorum ademptio *L. 3. §. pen. ff. de sicar.* postea verò placuit Capite puniri hoc crimen, nisi honestiore loco positi fuerint rei, quam ut poenam Legis sustineant; humiliores enim bestijs solebant subijci, altiores verò deportari in Insulam *d. §. pen.*

**III.** Quam poenam in casu, quò quis habuit animum, & propositum occidendi, imponi posse extra dubium est, inquit, Berlichius *loc. cit.* igitur cum provocans ad duellū paret viam ad occisionem cum voluntate occidendi, & graviter vulnerandi alterum, si non *penā capitis* (cum non constet an provocans habuerit verè animum occidendi, vel tantum vulnerandi, & Marte apertò velit congregari, non clanculo occidere in statu sicarij) saltem *penā extraordinariā* puniendus venit. Quod secundum *citt. Knipschilt, & Berlichium* procedit, etiamsi provocatio absque verbis contumeliosis facta fuerit, cum provocatio omni Jure prohibita sit, ut ex antecedentibus constat, atque ita meritò provocator ob solam etiam provocationem puniatur, & quidem severe, ut pestis hæc, quantum fieri potest, eliminetur e Rebuspub-

licis. Idem juxta *citt. Auctores* procedit, etiamsi provocatus verbis, vel factis provocationi causam præbuerit; quia propterea non debet quis adversarium ad pugnam provocare, & se ipsum ulcisci, sed contra eum viâ Juris experiri debet. Et hæc poena ob solam provocationem imponitur, unde is, qui aliquem verbis contumeliosis provocaverit, vel aliter injuriam intulerit, nihilominus præter poenam provocationis, etiam alia poenâ injuriatum vel criminali, vel civili, prout actio instituta fuerit, puniri potest, ut probat Berlichius *n. 15.*

**IV.** **℞. 2.** Si verò provocans provocatū occiderit in duello, poena ordinaria homicidij locum habet. *cit. Knipschilt. n. 117.* plures referens. Nec occisor defensionem prætere potest, si auctor rixæ fuerit: *Carpzov. apud cis. Auctorem.*

**V.** Quòd si verò provocans provocatum gaviter vulneret, vel mutilet, ordinariā quoque poenâ eum puniendum censet *cit. Berlich. n. 16. & Obrecht. apud Knipschilt n. 114.* quoniam animum occidendi habuisse præsumitur, & procul dubio provocatum occidisset, nisi alij se interposuissent; ipse tamen Knipschilt de eo dubitat, quòd hodie (ex generali consuetudine omnium locorum) conatus, etiamsi ad proximum actum pervenerit, nisi delictò ipsò perpetrato, ordinariā poenâ non puniatur.

**VI.** **℞. 3.** *Quoad provocatum*: in primis provocatus venire non debet, nec potest, sed debet viam Juris eligere, nec per hoc ullam ignominiam sibi contrahit: *Berlich loc. cit. n. 10.* & patet ex supra dictis *sect. 4.* Quòd si provocatus compareat, & provocantem occidat, ipsū poenâ ordinariā homicidij puniendus; si verò vulneret poenâ extraordinariā censent quidā apud Knipschilt, quibus alij contrarij sunt. Ut Berlichius, qui *conclus. 17. n. 9.* cum aliis censet, quòd provocatus non in toto, sed quantum excessit, puniatur; adeoque poenâ tantum extraordinariā carceris, Relegationis, vel pecuniariā arbitriō Judicis.

**VII.** Quidquid sit de Jure communi, meritò varij Principes suis in regnis, ac territoriis varias poenas in monomachos statuerunt saluberrimè omninò; neque salvâ suâ conscientiam monomachiam impunitam sinere possunt, ut supra dictum est.

Refert Gobat *tr. 7. cas. 18.* hanc pragmaticam amplissimorum Imperialium Legatorum Plenipotentiariorum Sanctionem: *Quod si*

insuper res devenerit non modo ad actuale duellū, certamen, glandium ejaculationem, sed etiam secuta sit occisio, eo casu ordinaria pœna homicidij adversus interfectorem sine discrimine inter provocantem, & provocatum, offendentem, & offensum absque respectu personarum, status & propinquorum judicari, & immediatè executioni mandari; nec adversus hoc iudicium ulli appellationi, intercessioni locus: certantibus autem, qui in duello occubuerint, sepultura nec in aede sacra, nec in Cœmeterio concedi debet. Optandum foret, ut tam salubriter constituta executioni ritè darentur.

VIII. Ad occurrendum ejusmodi provocantium, & provocatorum libidini salubre strategema invenit Nobilis, & Genetosus D. Joannes Langius, Regius Thurini præfectus, qui invicem provocantes, & pervicaces super ponte solos includebat usque ad noctem, nemine conspiciente, & sic adempta spe vilissimæ illius, & popularis gloriolæ desierunt milites, alioquin incorrigibiles se se ad tale inglorium duellum provocare. Ut habet *cit. Berlich. n. 9.*

IX. Laudatissimus Belgarum Princeps de Chimay adhibuit hoc remedium, quod refert Masenius in utili curiositate *cap. 16.* duo Nobiles ex Aula Ephebi mutuis inflammatis odiis duellandi facultatem urgenser postcebant; concessit denique; ut se, ac Nobilitate præsentè in descripta statione decurrerent. Ubi convenerunt, tum, ut fieri solet, exploratis Princeps armis, vestibisque; has quidem rectius superiori corporis parte deponi assensit, ut pateret, quò locò vulnus defigeretur, quod cum præstitissent, gladios exhiberi præcepit, quibus acceptis, sibi dixit suppetere aptiores: mox ex tenacibus virgultis, in aqua ad flexibilem habilitatem maceratis, offerri jussit aptas tergoribus laniandis virgas, quas licet indignanter refugerent, Principis tamen graviora interminantis correptione territi, admiserunt denique, tantoque in tergum mutuū ardore grassati sunt, aliis, aliisque virgarum ad satietatem suppeditis, ut tota demum discissis cute ridiculum aulæ spectaculum fuerint.

X. Melphitanus Princeps nullum ad seditiones militum, & cædes coercendas remedium aptius esse ducebat, quàm monomachiam Imperatoris auctoritate, & concessione decerni, eâ tamen lege, ut victus à victore necaretur, & in profluentem sine sepultura mergeretur, constituto ad certamina subeun-

da loco publico, quem flumen undique cingebat; cum enim sublata spe fugæ, & auxiliij vel vincendum, vel cum infamia sempiterna moriendum esset, milites modestè deinceps, ac temperanter societatem, & amicitiam inter se coluerunt. Knipschilt *loc. cit. n. 111.* quod tamen apud eundem perniciosam cautelam vocat Tuschus *pract. conclus. lit. D. conclus. 805. n. 19.*

## §. VIII.

Frequentius in monomachia occumbunt Provocatores.

I. *Exemplis ostenditur, succumbere Provocatores. n. 1. 2. 3.*

I. Sicut autem humanæ Leges mitius habent provocatum, peius provocatorem, ita & divina vindicta frequentius in provocatores animadvertit; qui plerumque solent occumbere, ac temeritatis suæ poenas luere, ut *n. 80.* probat Knipschilt exemplò Romanorum Nobilem, Marcellorum, Torquatorum, & Corviorum, qui provocatores suos summa laude vicerunt, & interemerunt; Scipionis Africanus, qui itidem provocatorem singularem certamine interfecit; Petri Surtæ qui septendecim vicibus ex provocatione coronam reportavit.

II. Mirabile est, quod refert P. Gobat *Theolog. pract. tr. 7. casu 18. n. 574.* Vir militaris, cæterà probus provocatus ob levissimam causam ad singulare certamen, ut illud declinaret, dixit denique provocanti: *se necesse est parere sibi, pergamus ad cœmeterium, malo enim in sacro, quàm profano loco occumbere.* Ubi ventum ad cœmeterium, ostendit suo hosti calvarias mortuorum, sandapilam, ligonem vespillonum, &: *En Frater, inquit, locum, quo alteruter nostrum nisi desistas à tua insania, tumulabitur corpore, animâ ad infernum descensurâ,* sperans hac ratione mitigationem extrinæ illius dementiæ sed surdo (etiam postquam, communi operâ effoderunt tumulum) cecinit, & secundo congressu, ut erat pugil dexterimus, peremit obstinatum, devotumque stygi caput.

III. Notum in vicina Arturiæ Provincia omnibus fuit, inquit Raynaudus *de virtut. & vit. Lib. 5. sect. 3. cap. 3. n. 197.* quod ante non multos annos contigit. Juvenis ætate, ac viribus ferox veterano Nobili, suborta nescio qua simultate, pugnam condidit certo lo-

co.

co. Nemini dubius videbatur pugnae exitus, quod veteranus, praeter aetatis admodum protractae impedimentum, podagra vehementissimam conflictaretur, & pessime affectis toto corpore nervis (quod est anterioris sive laboris, sive intemperantiae solenne stipendium) vivum potius cadaver, quam duello aptus appareret: obfirmate tamen provocationem a juvene adhibitam admisit, & cum filij, qui ei plures erant, Provocatori aetate, & viribus pares suffici in parentis locum urgerent, tenuit eam, quam causabatur, maculam gloriae suae aspergere, quasi de parva pugnando anteriori aetate gloria aliquid decessurum foret, si annosus, & morbis fractus

pugnam cum valente refugeret. Venitur itaque ad pugnae locum: senex cum equum conscendere per se ipsum non posset (equites enim pugnaturi erant) alienis manibus equo impositus certamen inivit, educendo ensi prope impar. Quid plura? juvenis, sive quod adversarium despiciens negligentius ageret, sive quod antiquam ejus virtutem sero recognoscens pavorem inde, ac perturbationem conciperet, aut (quod referre illud malim) iusto Dei iudicio circumventus a capulari fene paulo post confossus dignum temeritatis, & provocationis suae supplicium tulit; duellum enim frequentius in ipsum sui parentem saevit.

## S E C T I O VII.

### De aliis Certaminibus particularibus.

**P**raeter monomachiam proprie dictam, quae suscipitur ex condicto inter personas privatas ex causa privata ad occisionem, & gravia vulnera, dantur alia varia privata certamina, quae ob varias causas suscipiuntur, quas sect. 1. §. 4. retulimus, nempe 1. ob utilitatem publicam. 2. Ob defensionem vitae. 3. Ob defensionem honoris. 4. Ob ostentationem. 5. Ob vindictam. De his certaminibus, quae etiam monomachiae in sensu latiore dicuntur, modo agendum.

#### S. I.

#### De Certamine singulari ob causam publicae utilitatis.

1. *Licitum est suscipere certamen ex causa boni communis, si adhibentur debita cautela. n. 1. 2.*
2. *Privatis tamen non licet, nisi necessitas reipublice petat, cui aliter succurri non potest. n. 3.*
3. *Licitum est bellum in monomachiam resolvere. n. 4. & seqq.*
5. *Dux exercitus cum Duce hostili aut etiam miles cum milite hostili potest suscipere pugnam singularem pro bono publico auctoritate sui Ducis. n. 7. 8.*
5. *Quid dicendum, si solius spectaculi, aut voluptatis causa certamen ab hoste offertur. n. 9. & 10.*

**I. Q.** An licitum sit suscipere certamen ex causa boni communis, & publicae utilitatis? **R.** Licitum est ejusmodi certamen suscipere, quando illud est medium necessarium ad avertendum aliquod grave malum Reipublicae, vel bono communi impendens, aut ad procurandum aliquod magnum bonum Reipublicae, ac bono communi debitum. Ratio est: quia quodvis membrum tenetur magis curare publicam salutem totius corporis, seu communitalis, quam suam salutem

privatam temporalem: potestque, & quibusdam casibus etiam debet, vitam, & corpus suum exponere discrimini pro conservanda Republica, cujus Membrum est: ergo quando bonum publicum requirit ejusmodi pugnam singularem, a Deo illa permessa est.

II. Duo tamen requiruntur. 1., ut suscipiatur cum debita intentione, ex amore scilicet Boni communis, nec intercurrent alij pravi effectus odij, rancoris, vindictae erga con-perduellem, cum quo pugnat, qui utiq; pugnam illicitam redderet. 2., ut suscipiatur auctoritate Magistratus, vel Principis, qui Superiorem non recognoscit, & bella gerere potest; aut ab ipsomet supremo ejusmodi Principe, qui Reipublicae praest, quemadmodum exemplo S. Wenceslai, & aliorum vidimus supra Sect. 1. §. 4. Cujus ratio est: quia si Magistratus, vel Princeps supremus potest (si necessarium sit ad Reipublicae incolumitatem) bellum gerere, & plures pluribus opponere ad certamen publicum, ubi ad mortem, & vulnera pugnatur; poterit etiam certamen singulare instituere, si id necessarium sit ad Reipublicae incolumitatem, ut vel ipse pugnet pro bono Reipublicae, cui praest, vel alium privatum civem, aut militem opponat civi,

civi, aut militi hostili; hoc ipso enim, quod Deus Principi tradiderit, curam Reipublicæ tutandæ, concessit etiam media, quæ ad eam tutandam sunt necessària, hinc gladius ipsi concessus.

III. Iphis Membris privatis verò hoc propria auctoritate promiscuè non est permisum, cum Magistratùs, & Principis sit dijudicare, an hoc medium sit necessàrium ad incolumitatem reipublicæ, vel an ea alio medio meliùs, & tutiùs conservari possit. Si tamen certò constaret, injustum Reipublicæ damnum impendere, vel esse irrogatum, quod aliter arceri non possit, & civis à suo Principe, vel Magistratu auctoritatem, ac consensum habere non possit; e. g. quia metu hostium absens est, nec potest conveniri, quod omne commercium cum subditis hostis injustus interruperit, videtur quod tunc ejusmodi civis possit per se amore Reipublicæ talem pugnam privatam suscipere, si hoc medio Reipublicæ possit subvenire, & periculum sit in mora, nec aliud suppetat remedium. Hujusmodi non quidem pugna ex condicto, sed occasione Mathathias *lib. 1. Machab. cap. 2.* zelatus est Legem Dei, & trucidavit Judæum, qui idolis victimas jussu Antiochi Regis immolabat. Virum quoque, quem Antiochus Rex miserat, qui cogebat immolare, occidit, & artem idololatricam destruxit; unde nata varia prælia, quæ Judæi pro incolumitate sua, & legibus patriis gesserunt feliciter contra Antiochum. Ex his

IV. Resolvitur, licitum esse bellum publicum in monomachiam resolvere, inito inter utramque partem pacto, ut causa aliàs per prælium decidenda duobus aut paucis utrinque pugnantibus committatur decidenda, ita, ut, è cujus parte victoria steterit inter monomachos, ea pars causam lucratam habeat. Sanch. *L. 2. Moral. cap. 39. n. 16.* Nam, ut dictum, si fas est ex debita causâ per bellum publicum decertare, & exercitum exercitui opponere, etiam fas erit legionem legioni, vel cohortem cohorti, vel è cohorte aliquot milites aliquot militibus, vel unum militem uni militi opponere; neque enim est, cur centenis milibus liceat pugnare contra centena millia, & non etiam liceat pugnare decem milibus contra decem millia, aut uni mille contra unum mille, aut centum militibus contra centum milites, aut decem contra decem, aut duobus contra duos, aut uni contra unum; si hac viâ sine profusione tam

multi sanguinis lis dirimi queat; satius namque est perire paucos, quam multos, & cum eventus belli sit dubius, hac ratione liberantur subditi à devastationibus Regionum, incendiis, rapinis, stupris, cædibus, exactionibus, & aliis innumeris malis, quibus subditi involvuntur per bella. Quæ causa sanctissimum Regem Wenceslaum permovit, ut se ad duellum offerret.

V. Vult quidem P. Sanchez *loc. cit.* eo duntaxat casu hoc certamen licere, quando Princeps bellum justum gerens videt, se viribus destitutum ad bellum publicum, & fore, ut eo indicto succumbat; tunc enim, inquit, prudenter agit transferens ruinam ferè certâ in victoriæ spem, at Theophylus Raynaudus *lib. 5. sect. 3. cap. 7. de Virtut. n. 189.* in contrarium hæc scribit: Exemplò Wenceslai, inquit, manifestè revinci videntur, qui negant, licere duellum inire ad parcendû multitudini, nisi is, qui eo eventu duellum offert, vel admittit, agnoscat se in bello pleno fore debiliorem; ita, ut duellum habiturum duntaxat sit *rationem defensionis prudenter sic instituta*, ne succumbatur invasioni potentioris, hoc, inquam, refelli videtur ex facto Regis Sanctissimi, qui, cum non esset vicino Principe debilior, possetque plena dimicatione, ac integro bello causam suam agere, ex mansuetudine tamen Christiana, ut humano sanguini parceretur, ita se gessit, & Deus ejus animum, ac pietatem approbavit.

VI. Nec dicas, approbatam tantum fuisse S. viri bonam voluntatem, etiam si materialiter erraverit; nam, ut cit. Auctor addit, ex natura rei illa reductio belli pleni ad paucorum duellum, ut sanguini humano parcatur, est honestissima, nullius enim virtutis honestas inde violatur, aut periclitatur. Non *charitatis*, ut per se patet: non *justitia* erga suos, sive erga rempublicam, cujus tanquam caput est, qui bellum ad duellum restringit; si modo non minuatur ideo spes victoriæ, nec minus certus evadat ex ea reductione prosper belli exitus, ut, quando æquales utrinque acies aliàs essent committendæ; cum enim varij sint bellorum eventus, si utrinque æquales stent exercitus, non apparet, quâ ratione duellum in hoc casu incertius sit bello pleno, si utrinque pares viribus, & arte sint decertaturi; aut quo ex capite jus reipublicæ violaturus sit, qui bellum plenum, ex quo aliàs ingens strages hominum consequeretur, ita restringit; ideoque non innoxius duntaxat, sed

sed & summa laude dignus videtur, qui eam restrictione adhibet in praedicto eventu; quod fecit sanctissimus Rex Wenceslaus. Ita Raynaud. allegans Lyranum, & Suarez, ac adducens complura exempla.

VII. Pari ratione Dux exercitus cum Duce hostili, aut miles cum milite hostili ex auctoritate, & permisso sui Ducis potest suscipere pugnam singularem pro bono publico conservandi exercitus, ut scilicet alacritas crescat sui exercitus, & terror hostili exercitui incutiatur, si ad hunc finem necessaria sit haec pugna. Bonac. de Censur. disp. 2. p. 11. n. 11. Tamburin. Decalog. lib. 6. cap. 1. §. 3. n. 9. Lay. lib. 3. tract. 3. parte 3. cap. 5. & alij.

VIII. Sic de Othone, qui Vicecomitum Mediolanensium decora plantavit, scribit ex Jovio cit. Raynaudus eum, Gothofredo Hierosolymas expugnante, Volucem Saracenum Ducem medio in campo ad singulare certamen fortissimum quemque Christianorum provocantem adisse, stravisseque, & de confosso hoste reportasse spoliolum opimum auratam nimirum viperam inexpressis spiris minaciter a Cono cassidis erectam, & puerum passis manibus devorantem, quod illi gentilitium deinceps insigne fuit.

IX. Nequaquam vero licita est ejusmodi monomachia inter milites utriusque factionis, quando ea non adhibetur ad hunc finem, sed spectaculi, & voluptatis causa, vel ad robur militum ostentandum, etiam si ex consensu ducum ineatur, ut supra dictum est; non enim justa causa est vitam, & corpus ob tam vanum finem periculo objicere; neque Duces ad id licentiam dare possunt: & sicut ob has solas causas bellum suscipere non licet, sic nec monomachiam. Quare vix videtur excusabilis pugna singularis inter Hispanos, & Gallos, Ducibus D. de Breauté, & Gerhar-do Abrami, de qua Suprà sect. 1. §. 4.

X. Quod si hostes solius spectaculi, & voluntatis causa id certamen offerrent, tamen censet Sanch. n. 18. licitum esse illud acceptare, non quidem ob eum finem, sed ad debilitandas hostium vires, & fragendum eorum animos, experiendo militum contrariae factionis robur, ex quo non exiguus victoriae comparandae fructus speretur, & ne hostes, si certamen ab ipsis oblatum recusaretur, animosiores reddantur existimando, praeter timore alteram partem non acceptare.

XI. Q. 2. An ex causa Boni publici non tantum licitum sit acceptare pugnam singularem,

sed etiam eam offerre? R. Videtur, quod liceat etiam offerre, si boni communis Salus interpretatur; ratio enim eadem esse videtur; nam si licet indicere bellum publicum ob Reipublicae, & boni communis incolumitatem, licebit etiam Bellum resolvere in Duellum, illud offerendo alteri parti, ut parcatur sanguini, quem admodum S. Wenceslaus obtulit. Sanchez. loc. cit. n. 16. in fine. Quia id non est adversarios injuste pugnatos inducere ad malum, sed eos a majori malo (ut est bellum injustum) avertere ad minus malum, nempe ad monomachiam, quam injuste suscipiunt.

Eodem fere modo proportionaliter discurrendum de alijs casibus, quibus certamen singulare tanquam medium necessarium ad defensionem bonum publici suscipitur, ut contra incendiarios, praedones (si aliter amoveri periculum non possit) sicut enim militi auctoritate sui Ducis licet pugnare contra hostes, ita ministro Judicis licet pugnare adversus latrones. &c.

## §. II.

### De Certamine singulari ob causam Defensionis vitae.

1. Licitum est certamen singulare, quando est medium necessarium ad defensionem vitae contra injustum aggressorem. n. 1. 2. 3.
2. Excipitur tamen unus Casus. n. 4. §.
3. Quid moderamen inculpatae tutelae? n. 6.
4. Quando invasus teneatur occidere injustum aggressorem? n. 7. & seqq.
5. An directe liceat intendere mortem injusti aggressoris. n. 11.
6. Quis injustus aggressor? n. 12. & seqq.
7. Licitum est prevenire, quando quis parat occidere vel per se vel per sicarium. n. 13. & seqq.
8. Quando injuste invasus fugere teneatur? n. 18. & seqq.

1. Q. I. An; & quomodo licitum sit certamen singulare ab causam defendendi vitam? R. Licitum est tunc, quando est medium necessarium ad defensionem vitae, & Corporis contra injustum aggressorem; nam sicut Deus reipublicae fecit potestatem occidendi illos, qui eidem noxii sunt, & quidem ita, ut eos possit invadere positive; ita cuilibet privato homini fecit potestatem occidendi injustum sui aggressorem, quando ab hoc fuerit invasus, & ejus occisio fuerit medium necessarium ad sui defensionem, ut, si quis ab alio occidendus esset, aut graviter vulnerandus, nisi se defendat, licebit se defendere etiam

am occidendo in vasorem, si occisio sit necessaria ad servandam vitam propriam, vel integritatem membrorum. Communis D.D. ratio est 1. Quia aliàs nimium multiplicarentur homicidia injusta, nec posset aliquis contra iniquos aggressores esse securus. 2. Sequeretur quod bella semper esset ex utraq; parte injusta, quia non tantum illa pars ageret injuste, quæ alteram iniquè invadit, sed etiam altera, quæ se contra iniquè invadentem defenderet. 3. Quia ut in *cap. si verò alicujus, 3. de sent. excom.* dicitur, *vim vi repellere, omnes leges, omni-âque jura permittunt*:

II. Et hoc procedit contra quamcunque vim, sive *materialiter injustam*, qualis e. g. ab amente inferitur, sive *formaliter injustam*, ita, ut quilibet possit occidere quemlibet aggressorem, sive *formaliter*, sive *materialiter injustum*, etiam filius patrem, laicus Clericum sine omni metu Excommunicationis, subditus superiorem, servus Dominum.

III. Duo tamen requiruntur. 1. Ut occisio illa sit necessaria ad servandam vitam propriam, aut membrorum. 2. Ut servetur moderamen inculpatæ tutelæ. Illung *tr. 4. disp. 3. n. 67. & Communis DD.* quia secundum ordinem charitatis quisque propriam vitam præferre potest alienæ. Layman. *l. 3. tr. 3. part. 3. cap. 3.* Dummodo agatur de bono *privato* tantum, non etiam de *publico*. Nam

IV. Unum casum excipiunt Molina *de 1. & 1. tr. 3. disp. 14.*, Lay. *loc. cit.* Illung. Less. Sotus, &c. si in vasor foret persona valde necessaria bono Communi, cujus vita multum interest reipublicæ, & ex cujus morte magna in rempublicam mala redundarent; aggressus verò esset persona non magnoperè necessaria reipublicæ, e. g. si Aggressor esset Princeps, Dux, Rex, ex quo salus Reipublicæ, & Religionis Catholicæ plurimum penderet; quo sublato bella civilia ob successionem, aut alia gravia mala impenderent &c. hoc casu deberet Invasus potius pati mortem, quam eam in sui defensionem inferre Invasori: & quidem, ut vult Molina, sub peccato mortali, quia lege charitatis tenetur præferre tantum commune bonum propriæ vitæ.

V. Hoc locum habet in casu, quo Invasus prudenter judicat, se esse in statu gratiæ coram Deo, ita ut cum vita temporalis non perdat vitam æternam; quod si verò in statu peccati mortalis se esse sciret in vasus, non videtur obligari ad subeundam mortem, ut patet vitæ in vasoris injusti cum qualicunque

spe, quod post lethale vulnus adhuc esset eliciturus perfectam contritionem; cum enim hoc incertissimum sit, & sæpe difficillimum, ac moraliter impossibile foret, non deberet idem tam manifesto mortis æternæ periculo se exponere: videturque id repugnare recto ordini Charitatis, juxta quem *temporale bonum Reipublica* non debet præferri salutis propriæ animæ.

VI. Q. 2. in quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ? R. In eo, ut non inferatur alteri majus damnum, quam requiratur ad sui defensionem, sed fiat id solum, quod necessarium est ad proprium periculum evitandum. Laym. *loc. cit. n. 1.* cum Abb. *in c. olim. 1. de restit. spoliat. & c. significasti 2. de homicid.* ubi boni viri arbitrio relinquit, in quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ (*ein rechtmäßige Nothwehr*) si videlicet aliquis consideratis circumstantiis loci, temporis, personarum &c. contra aggressorem, vel insidiatorem modo faciliore, benigniore se defendere non posse rationabiliter existimat, quam ita ipsi resistendo præveniendo.

VII. Q. 3. An in vasus teneatur occidere injustum in vasorem? R. 1. Quando in vasus esset persona, cujus vita multum Reipublicæ vel in temporalibus, vel spiritualibus referret, teneretur sub reatu culpæ lethalis occidere aggressorem, si occisio sit medium necessarium ad servandam vitam propriam: quia agitur de bono communi permagno, in cujus præjudiciū non potest sine culpa lethali non conservare suam vitam per medium licitum (quale est per occisionem aggressoris vim vi repellere) neque censenda est ei facta à Deo facultas, ut vitam suam in damnum Reipublicæ sibi ab alio auferri sinat. Nec obstat, quod in vasor damnificetur per hanc occisionem; quia sua culpa se in id damnum conjecit.

VIII. Idem censet Molina *tr. 3. disp. 14.* si ex ipsius morte sequeretur maximum detrimentum familiæ, ut uxori, ac filiis, quos alere tenetur. quamvis enim cedere possit *Juri suo* permittendo se ab aggressore interfici, ut mox dicemus, ne aggressor damnum mortis æternæ, vel temporalis incurreret; non tamen potest cedere *Juri suorum*, quibus vita ipsius est necessaria, & quibus alimenta, educationem, ac protectionem debet, quæ à vita ipsius pendent.

IX. R. 2. Quando in vasus, & in vasor sunt pares, aut certè ex morte in vasi non sequitur reipublicæ majus detrimentum, neque vita ipsius

ipsius uxori, ac filijs est valde necessaria, tunc invasus potest vel occidere aggressorem, vel eum non occidere, sed permittere se ab illo occidi; ne is (qui eo ipso, quod injuste aggrediatur, in statu peccati mortalis est) incurrat æternam mortem, vel etiam ne incurrat mortem temporalem; essetque is egregiæ charitatis actus: quia ut cit. Molina arguit, pro vita æterna, & etiam corporali fas est periculo exponere vitam propriam corporalem; etenim licet Domini non simus vitæ nostræ, sed custodes, atque administratores; Deus tamen, qui illam nobis concessit, quique Dominium illius retinet, non censetur nobis denegasse facultatem illius ad tam egregium virtutis actum, ac meriti nostri bonum. Idem docet exemplum Christi, qui, cum se posset defendere, mortem pro generis humani salute subivit, & Apostolos misit tanquam oves in medio luporum, & nobis acclamat: *ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillam, prabe illi & alteram. Matth. 5.* Ita Molina, Lugo, aliique contra Abulensem, qui contendit hominē injuste ab altero invasum non tantum posse, sed etiā teneri invasorem occidere, si aliter vitā contra eum tueri non possit.

X. Nec obstat 1. quod ordo charitatis exigat, ut vitam propriam præferamus alienæ. 2. Quod Jure naturali quisque teneatur vitam servare per media licita, cujusmodi est occisio aggressoris. Nam R. Molina ad 1. in charitatis ordine quædam esse præcepta, ut proximo in extrema necessitate constituto subvenire nostris bonis, & saluti illius spirituali, etiam cum periculo propria vite corporalis, quando ita necessarium est ad ipsius salutem spiritualem, & similia; quædam verò esse tantum in illo ordine permissa, ut pati mortem temporalem ex virtute, & charitate Dei, ac proximi, ne proximus incurrat mortem, præsertim æternam. R. Ad 2. id verum esse, quando conservatio propriæ vitæ non intermittitur ex charitate Dei, & proximi cum longè majore bono proprio virtutis, quod resultat ex actu, quo ex amore Dei in tantum bonum proximi vita propria negligitur.

Si quis verò sine detrimento vitæ aggressoris posset vitam propriam conservare, tunc, nisi aliud postulet causa fidei, ac religionis, teneatur illam conservare; alioqui prodigus, ac contemptor plus justo esset vitæ suæ sine emolumento aliquo, ad quod Deus facultatem non concessit. cit. Molina.

XI. Quæstio hinc apud Theologos est, an quis ad justam sui defensionem possit occidere injustum aggressorem etiam directe, hoc est, ita, ut etiam invasoris mortem intendat; an verò solum indirecte, non intendendo illius mortem sed tantum sui defensionem, mortem autem permittendo, seu non curando, quod sui defensio conjuncta sit cum alterius morte? S. Th. 2. 2. q. 64. art. 7., & eum exponens. Cajetanus negant, posse directe, sed indirecte, quod Cajetanus declarat Exemplo Medici, qui adhibens medicinam utilem ad sanitatē, ex qua prævidet, secururam debilitatem ægri, non debet intendere debilitatem, sed solum sanitatem, ita qui se tuendo alterum occidit, debeat intendere actum, quod alterum interemit, non verò illius mortem. Contrarium cum Soto, Navarro, Covaruvia tenet cit. Molina Disp. 11. n. 4. Item Less. Lugo. Haun, & communis aliorum, quod, qui intendere potest licite finem, possit etiam intendere medium ad eum finem necessarium, quale medium ad defensionem sui in allato casu est mors invasoris, quæ mala non est, neque contra 5. Præceptum Decalogi in casu, quo ea tanquam medium, quod suā malitiā invasor fecit ad hunc finem necessarium, assumitur ad nostram vitam conservandam; licet ea non possit intendi tanquam finis. Sed hanc disputationem alii excutiendam relinquimus, quæ metaphysicationem dicit Molina loc. cit. & ad aliud non servire, quam ad moralem doctrinam turbandam, ad erroneas in materia satis lubrica conscientias gignendas, lethalesque peccati scrupulos minimè necessarios illis iniiciendos, qui justè, ac licite se defendunt. Paritas Medici non urget, quia debilitatio ægri non est medium per quod curatur sanitas, sed evacuatio humoris noxii, quæ quia fieri non potest, quin simul debilitetur æger, permittitur ea debilitatio, non intenditur, nec eligitur. At verò mors invasoris non est solum Connexa cum alio medio, quod intenditur, & eligitur tanquam medium ad dictum finem.

Hoc tamen verum est, si invasus possit se, vitamque suam satis tueri per vulnera, aut amputationem membri invasoris, non potest adhibere occisionem ipsius ad se defendendū, quia sic non servatur moderamen inculpatæ tutelæ; non enim eo casu occisio est medium ad hunc finem necessarium.

XII. Q. 4. Quis censetur injustus invasor? Respondetur ille, qui est actualis aggressor occidere volens: hunc invasus potest præ-

veni-



venire: Laymannus *L. 3. tit. 3. parte. 3. cap. 3.*

Resolvuntur hæc. 1. Quando alter nec *motus* est aliquid ad necem tibi inferendam, nec *decrevit* eam tibi inferre, non potest haberi pro invasore, etiamsi ex conjecturis humano modo certis conjectare possis, illam tibi mortem machinaturum, aut decreturum esse, quando paulo post edoctus fuerit de aliqua offensa à te ipsi irrogata: quis in tali casu revera adhuc est innocens. Unde non nisi Tyrannicè (inquit Card. de Lugo, *de 1. & 1. disp. 20. sect. 7. n. 256.*) fecerunt aliqui Principes, qui leguntur tentasse occidere infantes, quos ex oraculis, vel prædictionibus noverunt Regnum usurpaturos; offensa enim futura, dum causa nullo modo posita est, non dat jus te defendendi ab eo, qui nihil adhuc contra te machinatur.

XIII. 2. Ut quis habeatur pro invasore non sufficit *mera suspicio*, esto vehemens sit, quod ab altero *decreta sit* occisio tui, aut quod jam de facto tibi insidietur; sed interim, dum res est dubia, nefas est occidere eum, de quo est ea suspicio; hæc enim suspicio non debet prevalere Juri certo, quod alter habet in tuam vitam; aliàs nimij fierent abusus, & nimium multiplicarentur homicidia. Si quis tamen aliquid faceret, unde infallibiliter mors timeretur, aut accederet eo modo, ut sinistra intentio de eo posset rationabiliter præsumi, censet Molina *disp. 12.* posse eum admoneri, ut desistat ab ea re facienda, aut ne accedat, significando illi, justè timeri de illo sinistram intentionem, quod si admonitus desistere non vellet, neque sufficientem redderet rationem, quæ satisfaceret, ac pacatos animos timentium redderet, periculumque esset aliter non evadendi mortem, posse tunc interfici tanquam Injustum aggressorem, sibi que imputare debere culpam, quod non destiterit, neque reddiderit sufficientem rationem, quæ animos pacaret; neque enim *expectandum esse*, ut prius interficiat, sed providendum de justa cautione, ac defensione, ne damnum, quod timetur, eveniat. Hæc Molina, quæ cautè dicenda sunt, ne quæpiam proprium Judicium passione decipiat, ut credat, subesse justam occisionis causam, quæ forsitan non subest. Si verò certò constaret, alterum actualiter insidiari vitæ tuæ, & querere occisionem te occidendi; si insidias alia ratione evadere non posses, mortemque declinare, fas erit eum occidendo antevertere, sed usò graviore scandalo, aliòve incommodo, ut habet Laym.

*loc. cit.*

XIV. 3. Non requiritur, ut alter jam *inceptis te ledere*, quod ut certum tenet Lugo *n. 157.* nam defensio non est in ordine *ad offensam factam*, sed *ad impediendam futuram, ne fiat*: quare si jam præparaverit arma, vel quid aliud fecerit ad exequendum suum decretum te occidendi, jam inceptis te invadere, ut possis eum habere pro aggressore, & te defendere, atque si rationabilissimè judices, te mortem evasurum non esse, nisi eum prior occideris, facies id titulo justæ defensionis, sicut Rex sciens alium Regem adornasse classem, vel præparare exercitum, ut eum invadat, potest prævenire, ut ejus conatum impediat; quia jam adversarius incipit offendere, dum contra eum necessaria disponit, ut lædat. Ita Lugo.

XV. Q. 5. An, quando aliquis *nondum quidem aggreditur* homicidium injustum, aggredi tamen, ac exequi illud *decrevit*, opportunitatem expectans, fas sit illum occidere, antequam aggrediatur, & quamvis adhuc nihil fecerit? Respondet Molina *disp. 12. n. 2.* cum Covaruv. Lessius *L. 2. C. 9. dub. 8. n. 45.* cum Corduba, fas esse interficere eum, qui nos interficere decrevit; quando aliter non patet via evadendi mortem, & grave mortis periculum, quod nequitia illius ex eo decreto nobis imminet; sive, qui id ita decrevit, dicendus jam aggressor sit, sive non, id enim quæstio est de vocabulo. n. g. est mulier, cujus maritus decrevit occidere illam hac nocte, consciaque est mulier hujus propoliti mariti, neque via occurrit, quæ manus ejus effugiat clausâ undique domo; fas tunc erit ei mulieri venenum in cibum, aut potum illi mittere, quo eum interficiat, aut accepto gladio, quem maritus sub cervicali ad eam occidendam abscondit, maritum eo interficere. Ratio est: quia, ut inquit Less. etsi actu nondum invadat, parat tamen invadere, & ita illam tenet conclusam, & obsessam, ut aliter evadere nequeat; & unicuique Jure naturali id licet efficere, quod alterius nequitia medium est effectum necessarium ad suæ propriæ vitæ conservationem; sive dein ille, qui *decrevit* prius occidere, *ob suum decretum occidendi* sit aggressor dicendus, sive non; quia non ideo fas est occidere *injustum aggressorem*, quia *aggressor dicitur*, sed quia aggressionem *vitam aggressi* injustè constituit in discrimine, ita ut nulla alia pateat via eam salvandi, nisi per occisionem illius; estque eadem ratio in hoc casu, quæ est in altero, quo aggressor actu incipit invadere, stringendo e. g. ferrum; in utroque

roque enim casu ob alterius malitiam occisio ejusdem facta est remedium omnino necessarium ad evadendam mortem. In æstimatione morali quoque talis per *decretum* efficax alium occidendi jam censetur illum invasisse; quia, ut Lugo *cit. sect. 7. n. 159.* discurrit, jam posuit Imperium totius executionis subsequentis, quod est principium occisionis, quæ alteri inferenda est. Aliter censet, si actus, seu affectus ille internus non fuit *decretum efficax*, sed tantum *desiderium* occidendi, quo, quia non apparet nunc factibile, nihil decernitur.

XVI. Neque aggressor duntaxat, vel insidiator vitæ, sed qui vis alius etiã innocens occidi potest per accidens, si obstaculum vitæ servandæ alicui præbet v.g. dormiens in via jacens, qui necessariò proculcandus sit à fugientibus hostem. *Lay. Cajet. Corduba &c.*

XVII. Q. 6. Quid dicendum, quando scis, aliquem statuere te occidere per sicarium, vel famulum ex insidiis? Respondet Cardinalis de Lugo *cit. sect. 7. n. 161.* & eo teste Bannes, aliique Recentiores, si aliter insidias effugere non possis, nisi illum, qui per assassinos te vult delere, interfici cures, licitum esse prævenire in eo casu, monendum tamen aliquoties insidiatorem illum, ut à struendis tibi insidiis desistat, si monitus non desistat, pro invasore haberi posse; cum parùm referat, utrum te invadat per se, vel per alios: quod saltem procedit, si periculum est *præsens*, ut, si actu alter mandet, vel suadeat famulo, ut te occidat: si verò periculū nondum sit *præsens*, ut, si conjuraverit in tuam necem, & jam cum sicariis egerit, major est difficultas: sed videtur eadem ratio, si nulla alia supersit via evadendi, non enim teneris te perpetuò intrà domum concludere, vel in exteris Regionibus concedere. Hic tamen modus Lessio in praxi non probatur ob periculum abusûs, & quòd perrarū sit, ut nō suppetat alia ratio evadendi.

XVIII. Q. 7. An injustè invasus, si fugere potest, teneatur fugere, an verò omisâ fugâ possit se defendere occidendò invasorem? *Et. 1.* Si invasus sit talis persona, ut fuga illi esset valde ignominiosa, prout plerumque est viro equestris ordinis, militi, &c. non tenetur fugere, sed potest se defendere, & invasorem occidere, ut habet Communis DD. sententia apud *Lay. cit. l. 3. tr. 3. part. 3. cap. 3. n. 2.* Ratio est: quia talis non agit contra moderamen inculpatæ tutelæ; nam contra illud ille duntaxat facit, qui, cum aliter commodè posset evitare periculum istud, tamen occi-

dit, vel percutit aggressorem; at in nostro casu non potest invasus commodè evadere periculum, sed cum maximo suo detrimento: sicut autem ad parcendum vitæ aggressoris injusti non tenetur quis jacturam facere suæ vitæ, ita in ejusdem gratiam non tenetur subire aliud magnum detrimentum, quale esset gravis ignominia. Limitat tamen Lugo *sect. 8. n. 168.* hanc Doctrinam; nisi invasus dederit ipse causam injustam gravem invasioni; ut, quando verbis contumeliosis irritavit invasorem ad invasionem, aut cum uxore ejus repertus fuit, aut ei alapam dedit; tunc enim si postea invasus possit evadere fugiendo, non poterit licitè occidere invasorem: quia, cum dederit causam injustam huic invasori, tenetur ex justitia refarcire damna, & curare etiam cum suo incommodo, ne suâ causâ invasori grave damnum eveniat, quale esset ejus occisio; accedit, quòd, ut *Suar. tom. 5. de censur. disp. 46. sect. 1. n. 12.* advertit, ex fuga in ijs casibus nulla rationabilis, aut exigua sit infamia.

XIX. *Et. 2.* Si invasus sit talis persona, ut fuga illi non esset graviter dedecorosa, tenetur fugere, si non ex justitia, saltem ex charitate; nam occisio invasoris non est tali personæ medium necessarium ad sui defensionem; quia fugiendò & vitam, & honorem servare potest; cum fuga, ut ponitur, non sit ei graviter ignominiosa, qualis esse non solet, si invasus sit homo *infima Sortis*, aut *Clericus*, aut *Religiosus*, quibus laudi potiùs, quàm dedecori datur, quòd armis non utantur ad se defendendum, quorum usum non profitentur; non enim illorum laus est in armis, & audacia, sed in pietate, & exercitio virtutum, Charitatis, humilitatis, & patientiæ &c. Idem censet Lugo regulariter de alijs etiam sæcularibus, & laicis literarum professoribus, advocatis, medicis, Regijs Consiliarijs, & similibus, quibus armorum usus, aut professio non est. Idem quoque dicendum de hominè ignoto, & peregrino, vel si fuga noctu fiat, nec possit resciri in die, in his enim Casibus nulla sequitur infamia. *Filliucius tr. 20. cap. 5. n. 133.*

XX. Hæc tamen *regulariter* dicuntur. Si verò in aliquo casu etiam Clerico, vel alicui alij ex relatis personis fuga ignominiosa esset, censet *cit. Lugo*, non teneri eo casu fugere, quòd regula illa universaliter sit vera, neminem, quicumque ille sit, teneri fugere, quando absque gravi damno fugere non potest: &

Uu

idea

ideo clericus eo casu non fugiens, sed se defendens non incurrit irregularitatem juxta Filliucium *tr. 20. cap. 5. n. 133.* Quod si verò tam Ecclesiasticus, quam secularis, quem fugere oporteret, non fugiat, sed aggressori resistat, sui que defendendi causâ eundem mutilet, vel occidat, non obligatur ad damni compensationem, neque in foro externo, neque in foro interno, incurrit tamen irregularitatem. *Suar. tam. 5. de censuris. disput. 46. sect. 1. n. 5. & 6. Lugo disp. 10. sect. 8. n. 44. Lay. loc. cit. n. 2. & Communis DD.* Ratio est; quia aggressori propriè non infert injuriam, cum is ultro se in hoc periculum conjiciat, & quantum in ipso est, potestatem facit in vaso se defendendi.

XXI. Contra hæc tenus propositam doctrinam opponitur: *Salus æterna* proximi præferenda est *saluti temporali* vitæ propriæ: igitur si in vasor sit in peccato mortali (prout est per ipsam injustam aggressionem) & in vasus in statu gratiæ, ordo charitatis petit, ut patiatur in vasus potius mortem temporalem, quam aggressori inferat simul & mortem temporalem in corpore, & mortem æternam in anima. *R.* Argumentum non habet locum, quando in arbitrio, & potestate ipsius in vasoris est se liberare ab utraque morte desistendo ab inferenda injuria; ordo enim charitatis tantum petit, ut procuremus salutem æternam proximi, quando is nostro auxilio ad eam consequendam extremè indiget; non autem indiget in casu nostro; cum ipse saluti suæ consulere possit, si modò ab injuria interenda desistere vellet.

XXII. Quid si quispiam sibi bene conscius, & in gratiâ constitutus invaditur ab ebrio, vel phrænético, de quo certò scit, illum esse in statu peccati gravis? Respondet Card. de Lugo. *cit. disp. 10. n. 143.* talem in vasorem non posse licitè occidi; quia is non potest sibi consulere, & subvenire in illa extrema necessitate perdendæ suæ animæ; nisi in vasus vitam exponat pro ejus remedio. Hic tamen casus rarissimus erit, ut constat, illum esse in statu peccati, ob quod in æternum damnandus sit.

### §. III.

#### De Certamine singulari ob causam defensionis rerum suarum.

1. Licitum est certamen singulare ex causa bonorum externorum, quando illud est medium necessari-

um ad defensionem rerum magni momenti. n.

1. & seqq.

2. Quantum valor requiratur, ut censeantur bona magni momenti. Referuntur sententiæ auctorum. n. 6. 7.

3. Regulariter non potest occidi in vasor pro Conservatione unius aurei. n. 8.

4. Non tamen semper id est illicitum. n. 9. & seqq.

5. Cur potius furem nocturnum occidere liceat, quam diurnum. n. 13. 14.

I. Q. I. An licitum sit certamen singulare ex causa defensionis bonorum externorum? *R.* Etiam hoc casu licitum est, quando illud est medium necessarium ad defensionem rerum magni momenti contra injustum aggressorem. Ità Molina *tr. 3. disp. 16.* Lugo *disp. 10. Less. l. 2. cap. 9. dub. 11.* Lay. *l. 1. p. 3. C. 3.* Illung. *tr. 4. disp. 3. n. 68.* & Communis DD. sententia asserens, fas esse pro defensione bonorum externorum interficere injustum aggressorem, qui illa vult diripere, quidquid reclamet Hugo Grotius *de iure belli l. 2. cap. 1. §. 13.* contra omnes ferme Theologos, & Jctos, ut ipse fatetur. Ratio est primò; quia si pro defensione bonorum suorum illicitum esset interficere aggressorem injustum, aut contra eum certare ad mortem, & vulnera, iniqui audaciores fierent ad diripiendos justos, miseræque ea in parte foret conditio justorum; daretur occasio furibus, & latronibus spoliandi viros robustos, & probos, nihilque ab illis foret tutum, si defensio necessaria non posset obijci; quod in maximum detrimentum cederet boni Communis: igitur Lex, & auctor naturæ censeatur hanc defensionem permittere ad absterrendos iniquos ab invadendis aliorum bonis: si autem permilla est hæc defensio, permilla etiam est certamen contra in vasorem ad ejus mortem, & vulnera, sine quo non potest esse defensio.

II. Ratio est 2. quia licitum est prælium non solum defensivum, sed etiam offensivum pro bonis externis, ut Communis Rerum-publicarum usus testatur, & dicemus in sequentibus: ergo licitum est pro defensione bonorum occidere in vasorem.

Nec dicas, hoc argumentum probare nimium, nempe, quòd liceret etiam privatis occidere non solum pro retinendis, sed etiam pro recuperandis bonis externis olim ablatis ut in bellis, quod dici non potest; multa enim licent auctoritate publica, qualis in bello intervenit, quæ non licent auctoritate privata. *R.* Id planè non sequitur; idè enim in bello licet

licet pugnare pro bonis ablati, quia bellum gerentes non recognoscunt superiorem Iudicem, adeoque per Iudicium ea bona acquiri non possunt, at privati habent suos Iudices.

III. Ratio est 3. quia permittunt SS. Canones; nam principium illud, quod vim vi repellere liceat, Pontifex in ca. *Delictio de sentent. excomm. in 6.* applicat etiam ad bonorum externorum defensionem, aiens: *cum omnes leges, omniaque iura vim vi repellere, cunctisque se se defendere permittant, licuit utique ipsi Decano (si praedictus Ballivus eum bonis suis mundanis injuriosè spoliare vel ea violenter occupare praesumpserit) contra illius violentiam, injuriamque seueri. Et in ea interfecisti 2. de homicidio; si autem sine odij meditatione te tuaque liberando hujusmodi Diaboli membra (de fure, & latrone loquitur) interfecisti, si aliquid jejulare volueris, bonum est tibi, & elemosynas fac largiter.* Ubi Pontifex indicat, non esse necessariam poenitentiam, ac proinde hoc licitum fuisse; hortatur tamen ad eleemosynas ad cautelam, nè fortè modum excesserit.

Nec dicas, capitulum loqui, quando occisio necessaria est copulative ad defendendum bona externa unicum propria persona. Nam respondent Molina, & Lugo: verba illa, *te tuaque liberando*, intelligenda sunt disiunctivè, id est, *vel tua*; aliàs non sufficeret *sola necessitas liberandi tuam personam*, nisi simul adesset *necessitas liberandi tua bona*, quod utique falsum est; quia injustum aggressorem vitæ occidere potes, quin concurrat simul *defensio rerum externarum*; quia verò in eventu, de quo ibi pontifex fuerat consultus, defendendo *res externas* simul necesse erat propriam personam defendere, eo modo fuit locutus.

IV. Ratio est 4. Quia permittunt LL. civiles, ut *L. furem n. ad L. Cornel. de sicariis*, & *L. itaque si servus 4. n. ad L. Aquiliam*.

V. Duo tamen requiruntur, ut ejusmodi certatio occisiva ad defensionem bonorum sit licita, 1. ut hoc sit *necessarium medium ad defensionem bonorum suorum*, nec sit probabilis spes ea aliter recuperandi (e. g. per viam Iudicij) aut certè non nisi cum magna difficultate, magnisque sumptibus, & dispendiis, aut dubium sit de recuperatione; aliter fas non est invasorem pro bonorum conservatione occidere, vel graviter vulnerare. Card. de Lugo. *n. 177. 2.* Ut sint bona *magni momenti*, non enim *pro quacunque re*, e. g. pro nummo argenteo licet perimere hominem. Sed circa hæc exurgit quæstio, qua

VI. Q. 2. Quantus valor requiratur, ut censeantur bona *magni momenti*, ob quorum defensionem liceat invasorem occidere? *Re. 1.* Variæ sunt opiniones Doctorum, ut videre est apud Card. de Lugo *n. 178.* Vasquez dicit, debere rem esse tanti momenti, ut *notabile damnum* Domino sequatur ex ejus amissione. Sotus, & Molina requirunt, ut res valeat plus, *quàm 3. 4. vel 5. Ducata*, ubi advertit Lugo, tempore Soti quinque Ducata propter pecuniæ raritatem æstimata pluris fuisse, quàm decem suo tempore; rerum enim pretia propter majorem pecuniæ abundantiam plus, quàm duplo in Hispania crevisse, ut adeò minùs bene eos Auctores secutus sit Bonacina *Disp. 2. de restit. q. ult. sect. 1. punct. 10. n. 1.* asserens suo tempore, quod illi de priori ævo, rem exigui momenti esse in hoc casu, quando est valoris trium, quatuor, vel quinque nummorum aureorum.

VII. *Re. 2.* Non videtur dari posse certa Regula determinans, quantus valor respectu omnium requiratur, ut res censeatur magni momenti, sed Iudicio prudentum in quolibet casu particulari id determinandum erit attentis circumstantiis. Inter alias autem circumstantias præcipuè attendendum erit ad personam, cujus bona invaduntur, sicut enim ad hoc, ut *peccetur graviter per furtum*, requiritur major quantitas respectu divitis, quàm pauperis; ita ad hoc ut *drues invasus* possit se defendendo occidere invasorem, requiritur major summa, quàm ut *pauper invasus* se possit ita defendere, qui detrimentum etiam minus ob majorem indigentiam graviùs sentit.

VIII. *Re. 3.* Regulariter non potest occidi invalor pro conservatione unius aurei. Responsio est ex Propositione 31. ab Innoc. XI. damnata, quæ ita sonat: *regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*; quæ damnatio eò tendit, ut declaret, esse scandalum asserere, licitum esse occidere furem pro defensione *res exigui valoris*. Cardenas in *Crisi ad Propositiones ab Innoc. XI. damnatas*. Propositiones autem à SS. Pontificibus damnatæ, ut supra insinuatum, stringunt omnes Baptizatos, sicut alij Pontificij Canones, etiam illos heterodoxos; qui ejusmodi Canones non admittunt, sed rident; quia revera per baptismum subjecti sunt Ecclesiæ, & ejus præceptis tenentur, licet non faciant, quod facere tenentur, sed contemnant; siquidem, ut sæpè dictum, ridere, & contemnere Jura, non est Juris. Sed ex hac propositione

IX. Q.

IX. Q. 3. An semper sit illicitum se contra inuasorem rei, quæ valet aureum, defendere cum inuasoris occisione? *R. Non semper, sed regulariter*; ita enim sonat prohibitio, quæ cum sit in materia prohibitoria contra libertatem, quæ cuilibet competit ad defendendum se, & sua, strictæ interpretationis est, nec debet ultra propria verba extendi. Hinc

X. Resolvitur 1. Si fur per invasionem intendit alicui pauperi artifici auferre Instrumentum artis, quod valet unum aureum, imò minus e. g. argenteum, ipse artifex autem non possit comparare, vel invenire aliud instrumentum simile, adeoque ut ablato instrumento necesse sit artificem cessare ab opere, atque aded cessare sustentationem suam, & suorum; poterit hoc casu uti quacunque defensione pro suo instrumento cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut habet Cardenas: quia potest contingere, ut ratione necessitatis unus aureus, vel res minoris pretij æquivalet multis aureis; quod fit in hoc casu, cum non debeat attendi ad valorem aurei in se, sed ad detrimentum, quod ex ablatione rei resultat, quanti illud attentis circumstantiis æstimandum sit.

Neque ex hac doctrina sequitur, quod, quotiescunque ablatio, & invasio rei alienæ est peccatum mortale, hoc ipso concessum sit pro ea re conservanda inuasorem occidere; quia non omne, quod sufficit, ut quis possit alterum obligare sub gravi, ne aliquam rem sibi auferat, hoc ipso id sufficit, ut pro illius defensione possit auferenti eripere vitam; hinc in sententia, quæ ait esse peccatum grave auferre aureum etiam diviti, non sequitur, quod dives pro conservatione aurei possit occidere inuasorem.

XI. Resolvitur 2. Quando res valoris unius Ducati auferretur per vim cum resistentia Domini, aut custodis rei, nec inuasor monitus vellet desistere à violentia, possit contra inuasorem pugnari, isque occidi cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut cum Doctoribus à se citatis habet Lugo. *de I. & I. disp. 10. n. 178.* quia præter rem talis etiam invadit honorem, & cum ablatione rei alienæ concurrat rapina, & violentia, qua Domino resistenti res per vim auferitur, quo casu minor quantitas ad defensionem inculpatam sufficit, quam in simplici furto.

Nec hoc videtur contra prohibitionem propositionis 31. ab Innoc. XI. damnatæ; cum ea prohibitio loquatur de fure, quod is regulariter occidi non possit ob aureum, non verò de raptore, cum sit strictæ interpretatio-

nis; quare merito, ut loquitur cit. Cardinalis, defendere te potes adversus ingentem illam injuriam, & contumeliam, quæ per violentiam infertur. Et in hoc casu locutus est Molina *de I. & I. tr. 3. disp. 16. n. 7.* ajens: *quando quis injustè aggredetur usurpare rem etiam valoris unius aurei, vel minoris adhuc valoris resistenti Domino, vel Custode illius, certè neque ad culpam, neque ad pœnam auctorem condemnare, qui illam defendendo interficeret cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum aggressorem.* Quam Molinæ sententiam immerito Fagnanus in *canonim itaris 5. de constit. n. 335.* inter opiniones falsas, temerarias, & scandalosas refert sine probatione, prout ostendit Cardenas in *Crisi Theologica de probabilitate opinionum tract. 1. disp. 57. cap. 3. art. 5.* allegans 42. Doctores pro hac sententia, inter quos agmen claudit Suar. *de censur. disp. 46. sect. 2.* Et in *Crisi Theologica propositionum ab Innoc. XI. damnatarum ad cit. propositionem 31.* ubi ostendit, hanc sententiam per eam propositionem non prohiberi.

XII. Optimè verò quadrare hic videtur distinctio inter personas, quibus vis infertur; si enim persona sit valde honorata, gravius multò læditur ejus honor per talem violentiã, quam si sit plebeia, unde etiam facilius illi, quam huic tali casu licita erit defensio cum occisione inuasoris.

XIII. Cæterum si contingat, ut persona etiam plebeia pro uno e. g. aureo se defendat, inuasor violentus autem & ipse defensores impetat, poterit aliquando occidi jam non præcisè tanquam inuasor *honorum fortuna, sed etiam vita*, e. g. si homo, præcipuè nobilis, (qui casus est Cardenæ) portet in manibus rem unius aurei, & fur intentet eam rapere de manibus, potest is rem defendere opponendo gladium, quod si fur desistat, non licet eum percutere; si verò & ille educat gladium contra defensores rei, jam non est inuasor *solius res, & honoris*; sed etiam *vita*, quare poterit se alter defendere defensione occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ.

XIV. Dices I. in *S. Script. exodi 22.* dicitur, non fore reum sanguinis, qui furem nocturnum occiderit, sed qui diurnum, quod dicitur, quia nocturnus præsumitur venire ad occidendum, diurnus minimè: ergo furem, qui solum nititur res auferre, & non aggreditur vitam nostram, non licet occidere. *R.* non ideo tantum permittitur occisio furis nocturni, quia præsumitur venire ad occidendum,

dum, sed potissimum ideo, quod ea, qua noctu surripiuntur ordinariè non possint recuperari fure ignoto; ea verò, quæ surripiuntur interdium, plerumque possunt. Less. lib. 2. cap. 9. dub. 11. n. 66. addens: Hinc qui furem diurnum non se telo defendentem interficeret, non excusaretur ab homicidio *in foro externo, in foro interno excusaretur*, si non erat spes probabilis recuperandi, vel, si recuperatio non erat certa, sed dubia; quia non tenetur res suas perdere, aut probabili periculo exponere, ut fur salvus sit.

XIV. Dices 2. in *L. furem, n. ad L. Cornel. de sicariis &c.* dicitur: si quis furem nocturnum occiderit, ita de reum impunitè feret, si parcere ei sine periculo suo non potuit; per quam legem recessum est à *L. 12. Tabb.* quæ furem nocturnum simpliciter occidi permittit, si cum clamore hoc testificaretur: ergo si quis furi sine suæ vitæ periculo parcere potest, non potest eum ob defensionem rerum necare.

R. N. conf. nam tò *sine periculo suo* intelligitur, *sine periculo suarum rerum aut sui corporis &c.* Gothofred *in cit. L.* Intellige semper, si servetur moderamen inculpatæ tutelæ, & res aliter servari non possint; quod præsumitur, si sit occisio furis nocturni; unde *Lex 12. Tabb.* exigebat, ut is, qui furem deprehendisset, cum clamore id testificaretur, nimirum, ut, si fieri posset, concursus illuc fieret magistratum, aut vicinorum ad ferendum auxilium, per quod si res servari possent, non permittebat occisionem furis: quia verò talis concursus interdium facilius haberi potest ad fugandum furem, quàm noctu, ideo non ita præsumitur, quòd res non potuerint aliter servari, aut recuperari, quàm occisione furis.

#### S. IV.

### De Certamine pro recuperatione rerum suarum.

1. Quando & quomodo licitum sit certamen pro recuperatione rerum suarum. n. 1. & seqq.
2. Quando spoliatus dicatur in continenti recuperare, & non ex intervallo? n. 5. & seqq.

I. Q. I. An non tantum liceat occidere invasorem rerum, ne illas auferat, sed etiam, ut recuperes eas, postquam jam sunt ablatæ? R. 1. Si recuperatio fiat *in continenti*, & res aliter recuperari non possit, licebit. e. g. si fur cum equo tuo fugiat, & tu aliter hunc recuperare non possis, nisi sclopo exo-

serato illum occidas, potes occidere; si à te monitus non velit inhibere cursum, & equum dimittere, ut habet Communis; quia invasio durare censetur, donec invasor sit in tuto, & pacificè rem ablatam possideat, aliàs defensio rerum magna ex parte inutilis foret, si statim re accepta fures essent securi, & dominus non posset amplius impedire, ne cum ea abirent. Card. de Lugo. Less. qui cit. *l. 2. dub. 11. n. 71.* censet, non esse contra justitiam, si furem procul fugientem conficias, quando etiam res est iudicio recuperabilis, quòd quisque jus habeat *defendendæ suæ possessionis, etiam coactis*; quam retines, quamdiu furem habes in conspectu, unde potes eam tueri, erit tamen contra Charitatem, quæ postulat, ut cum quàm minimo malo proximi rem tuam salves.

II. R. 2. Post inchoatam à fure pacificam rei ablatæ possessionem recuperatio petenda est à Iudice, & viâ Juris coram illo est agendum. Quòd si Iudex non fungatur suo officio, censent Lessius, Illsung, & alij probabiliter, posse rem etiam è Domo illius per vim eripi, & vim resistentis vi repelli. Idem cum Valquio probat de Lugo *cit. disp. 10. n. 181. & seqq.* Si enim, inquit, licet propellere injuriam, quæ quis actu rem aufert, & eam in domum suam asportat, cur id non licebit, quando rem tuam recuperare contendis, & ille impedit? nam licet tunc non sit *invasor persona*, manet tamen *invasor rei*, quamdiu illam injustè detinet.

Quod confirmatur etiam ex eo; quia si res tua sit adhuc in potestate furis, & tu eam inventâ accurris ad eam recuperandam, fur verò cum ea fugiat, potes illum occidere fugientem, sicut quando prius accepit: ergò etiam si tuam rem domi habet, potes ad eam accurrere, & si alter ab ea recuperanda te impediatur, eum armis impetere, ac sub moderamine inculpatæ tutelæ occidere.

III. Duo tamen requiruntur, ut huic doctrinæ locus sit. 1. Ut res tua *in specie existat*; non verò procedit, quando persona ipsa, quæ tibi aliquid debet, cogenda est, ut solvat. 2. Ut aliud remedium recuperandi rem per viam Juridicam non suppetat, nec major perturbatio sit timenda; nam si res Juridicè recuperari possit, vis à privato adhibenda non est, sicut neque, quando exinde perturbatio in Republica timenda est.

IV. Si objiciuntur leges illæ, quibus univèrsim puniuntur, qui non *in continenti*, sed

ex intervallo rem suam à possessore per vim propria auctoritate auferunt. Respondent cirt. DD. Leges illas supponere, quòd suppetat aliud remedium (sicet ordinariè suppetit) & præsumere, quòd Judex faciat officium suum; secus autem, si nullum suppetat remedium Juridicum. e. g. invenisti res tuas apud injustum Possessorem intra frutices, vel sylvam, qui jam jam extra regni terminos exire cum re tua volebat, ablata profusus omni spe recuperandi; quòd si ea de causa, quia violenter impediēbaris accipere res tuas, cum occidisses, ut vim vi repelleres, credo, inquit Lugo, quòd nec etiam in foro externo ullam pœniam subires; quia leges de illo casu irregulari non loquuntur.

V. Q. 2. Quando spoliatus dicatur in continenti recuperare, & non ex intervallo? R. Ad arbitrio prudentis viri pensandum est, spectata qualitate rei, quâ quis spoliatur, aut de quâ quis expulsus est, qualitate loci, Potentiâ & expellens, & expulsi, aliisque circumstantiis: si enim facile possit res recuperari, & invalor expelli, censetur recuperatio in continenti facta tunc, quando, priusquam ad alios actus extraneos, qui ad rem non pertinent, progressum sit, sive nullo ejusmodi actu extraneo interposito, spoliatus statim aggreditur vim vi repellere. Si verò invalor non possit facile expelli, nec res facile recuperari, tunc dicitur in continenti, & non ex intervallo facta recuperatio, quando spoliatus saltem statim incipit parare media ad vim vi repellendam necessaria, etiam si multum temporis, spectata causæ gravitate, interea intercesserit. Sic si cui per vim, & raptinam equus auferatur, aut ille ædibus suis ejiciatur, tunc, quando is statim, cum potuerit, se defendit raptorem persequendo, ejiciens resistendo &c. in continenti fit defensio. quamprimum verò spoliatus desistit ab attentata persecutione raptoris, & resistentiâ ipsi faciendâ, tunc ille Possessionem etiam civilem amittit, ut postea non possit amplius vi, sed Judicis agere. Si quis verò clam ingressus sit in alienum fundum, vel Domum Domini, aut legitimo possessore absente occupavit, tunc, ut resistentiâ censetur fieri in continenti; necesse est, ut re intellecta Dominus aut Possessor statim (morali æstimatione) incipiat parare media ad recuperandam possessionem Corporalem necessaria, vel in Judicio (si Judicialiter recuperare velit) vel extra judicium. e. g. statim cum amicis consultando, advocatos constituendo, armâ, aliisque necessaria pro recuperanda sua Possessione præparando &c.

quod si faciat, & eam præparationem continet, licet fortè plures menses, imò & annos secundum gravitatem causæ, seu negotij in præparando insumat, retinet possessionem civilem, & vim vi repellere potest; secus autem animum despondisse, & possessionem civilem amisisse censetur. Semper tamen observari debet moderamen inculpatæ tutelæ, ne major sit resistentiâ, quàm quanta videtur necessaria prudentis viri arbitrio ad defensionem possessionis, sive Juris tui. Pirhing l. 2. tit. 13. n. 95. Card. de Lugo cit. disp. 10. n. 180. Molina tr. 2. disp. 16. n. 14. & seqq. L. 1. §. cum qui 26. r. de vi, & vi armata. l. 3. §. cum igitur eodem. L. 1. C. unde vi. Ca. olim 12. de restit. spoliat. & ibidem Innoc. Abb. &c. apud Pirhing.

VI. Unde teste Gaillio lib. 1. de pace publica cap. 16. n. 15. DD. Communiter inferunt, si nobilis vi armata iniquè occupat castrum alterius, quòd spoliatus possit illud recuperare etiam post sex menses, aut plures; quia ad recuperationem talis castri magnus apparatus requiritur, qui tractum temporis exigit, & quando Dominus provinciâ injustè pellitur, quòd possit eam recuperare per occisionem legitimam etiam post Decennium, modò interim se præpararet ad recuperandum, & animo retineat possessionem; tacite enim sic semper contendit cum illo, qui rem violenter, & naturaliter tenet, & sic, licet ex intervallo fiat recuperatio rerum, tamen semper dicitur durare rixa propter animus recuperandi ita Gaill. citans Panor. in C. significasti. de homicidio. Dec. Bartol. Bald. rationem dat Molina loc. cit. quia, qui adhuc retinet possessionem Civilem, si invenit naturalem suam possessionem injustè occupatam, potest armis, si ita opus sit, expellere injustè eam occupantem, non minus, quàm is, qui simul est in possessione civili, & naturali; quia defensio possessionis civilis id postulat: unicuique autem fas est defendere suam legitimam possessionem adversus eam impediētem: quod verum est, etiam postquam ob ea dejecti sumus, si modò defensio fiat in continenti, & non ex intervallo; si enim in continenti recuperatur, possessio censetur non amissa, quò fit, ut ea interruptione etiam non impediatur præscriptio.

## §. V.

**Etiam Clericis permissum Res suas  
Defendere;**

1. Ordo Templariorum sublatum & qua de causa. n. 1.
2. Clericis & Religiosis licitum pro defensione rerum

Jan.

suarum occidere iniustum aggressorem. n. 2. §  
seqq.

**Q.** I. An etiam Clericis licitum sit pro defensione rerum suarum occidere iniustum in valorem? *Id.* Affirmative Less. L. 2. cap. 9. dub. 11. n. 72. cum Divo Antonin. Molina tr. 3. disp. 16. n. 2. Card. de Lugo cit. disp. 10. n. 175. in fine. Et aperte colligitur ex ca. dilecto de sens. excommunic. in 6. ubi id Decano conceditur. Et ex cap. olim. 12. de resistus. spoliat. ubi Innoc. 3. approbat, quod Episcopus Tridonensis Templarios, qui ipso ignorante possessionem occupaverant, vim vi repellendo egerit. Fuerunt autem Templarii milites Religiosi, sic dicti à Templo Hierosolymitano, juxta quod eorum Hospitale, & primum domicilium constructum fuit; horum militum munus fuit terræ sanctæ fines, ac vias Hierosolymitanæ ditionis ab incursionibus hostium, & latrocinij liberare, ut peregrini tuto possent accedere ad sacra illa loca visenda: habebant Magistrum generalem, cujus fit mentio in c. 16. de Judicijs. Ex hisce militibus multi olim Christi causâ sanguinem fuderunt: eorum familia per ducentos ferme annos propagata est, ac licet initio parva incrementa habuerit, postea tamen adeo aucta, amplificataque fuit, ut facultates maximas, & oppida apud Christianos ubiq; terrarum quam plurima possideret: Cum autem à S. suo instituto postmodum recederent, & apud Clementem V. gravium scelerum, Hæresis, Apostasiæ, & aliorum nefandorum accusarentur, eorum ordo Anno Domini 1311. à Clemente V. in Concilio Viennensi, quod biennio duravit, & in quo liber Clementinarum fuit publicatus, & multa ad Ecclesiæ utilitatem statuta, fuit sublatus, & extirpatus ad instantiam præcipue Philippi pulchri Francorum Regis, cujus promotione ipse Papa electus fuerat. Gonzalez in C. 16. de Judicijs. Azor tom. 1. lib. 13. cap. 5. & 6. De excidio hujus Religionis varius sermo est apud Historicos, quorum alij apud Azor loc. cit. Jure deletos Templarios scribunt, ob nefanda eorum, & obscena scelera, ut Platina, Polydor. Volat., Æmil. Ganguin. Alij verò tradidère, eos Philippi Francorum Regis avaritiâ, & iniquitate infantes damnatos, ut Jacobus Moguntinus, Sabellicus, Nauclerus, Joa. Boccatus, Albericus. Aliorum denique Judicium verisimile est, nec ea delicta in omnes Provincias pervasisse, nec singulos contaminasse, & Tem-

plarios aliqua ex parte infantes fuisse, & Pontificem unacum Concilio Patrum juxta allegatam, & probata sententiam tulisse, & Regem (quod etiam Gallici Scriptores confitentur) lueri aviditate, & aulicorum assentionibus deceptum, conficta fortassis aliqua improborum hominum mendacijs crimina pro veris habuisse. Hæc Azor loc. cit. ubi longè probabilius existimat, eos justis de causis damnatos fuisse, quos Rom. Pontificis sententia, Decretum Concilij Viennensis, fama frequens, communis ferè omnium sensus damnat; licet à calumnia & crimine eos defendant Villaneus, Antoninus, Albericus, & alij, eorum autem bona partim Rhodijs militibus, partim novis ordinum familiis, partim principibus sunt attributa, ut habet idem Azor cap. 5. v. *suere olim*: varios Auctores de hac re scribentes assignat Gonzalez ubi supra. Nos hæc hac occasione obiter insinuare eruditionis gratiâ volumus; cum horum mentionem sæpius adhuc hodie fieri comperimus. Sed ad Clericos redeundum.

II. Ratio autem, cur & Clericis rerum suarum defensio concedatur, est; quia id Jure Naturæ est concessum, neque ullo Jure humano illis id est prohibitum sub peccato. Idem Jus extenditur etiam ad Religiosos; quia eadem est ratio cit. Less. & Molina. Sed

III. Obijcit Panormitanus capitulum *in scriptis de homicid.* in quo duo Religiosi damnantur, qui pro defensione rerum monasterij fures quosdam ligaverunt, atque dum unus eorum Religiosorum accederet ad annunciandum capitulo, illos esse ligatos, reliquissetque alterum in illorum custodiam, illicque conarentur se solvere, is, qui relictus fuerat in eorum custodiam timens interfici ab eis, illos interfecit. Sed Respondet Less. illos Fratres Benedictinos non judicari ibi peccasse, quod res suas *moderate defenderint*, sed quod occasionem dederint homicidio, Latrones captos ligando, & cum se salvare vellent, occidendo, cum sine occisione se suaque salva habere possent; valde enim excesserunt moderamen inculpatæ tutelæ, præsertim ille, qui duos illos fures interfecit; cum ad evadendam mortem, quam ab illis timuit, necesse non fuerit eos occidere, et quod fugere potuisset, antequam omnino dissolverentur; neque periculum esset, illos perseveraturos fuisse in furando res monasterij, cum adhuc essent Ligati, & locis jam



accurisset ad nunciandum Capitulo, adiutoriumque afferendum: neque res illæ essent tanti momenti, ut pro illis vita esset auferenda duobus proximis, maxime a viris Religiosis. Molina. In eadem sententiam loquitur Suar. *de censuris disp. 46. sect. 2. n. 10.*

IV. Disputatur hic, an Clericus, vel Laicus, qui ob defensionem rerum suarum aliquem occidit, fiat irregularis, nam licet illa necessitas defendendi sua excuset à culpa, non tamen sequitur, quòd etiam excuset ab irregularitate, quæ ex defectu lenitatis contrahi potest etiam sine omni culpa. Quam disputationem nos Theologis relinquimus. Videatur Suar. *de censuris cit. disput. 45. sect. 2.* ubi negativè resolvit; uti & Less. *cit. L. 2. C. 9. dub. 11. n. 73.* Illud verò cum Molina est affirmandum, si Clericus, qui injustus aggressor est, in defensionem bonorum externorum interficiatur cum moderamine inculpatæ tutelæ, interficientem non iucurrere excommunicationem; quia ubi culpa non est, non incurritur excommunicatio.

## S. VI.

### Certamen singulare ex causa defensionis proximi.

1. *In omnibus, in quibus proximus potest se defendere, ac sua, licet occidere injustum ipsum invasorem. n. 1. & seqq.*
2. *Non tamen quis tenetur ad id cum periculo vite, aut magno suo damno. n. 4. & 5.*

I. Q. 1. Utrùm liceat etiam occidere injustum invasorem proximi ob defensionem vitæ, vel bonorum illius? R. Affirmativè; & ita, teste Card. de Lugo *disp. 10. sect. 11.* affirmant communiter omnes, licere; quia sicut ipse proximus innocens potest se defendere occidendo injustum aggressorem, ita fas est aliis defendere causam ipsius innocentis, eumque juvare ad id, quod licitum ipsi est, atque ipsius partes suscipere sicut ex hoc capite licitum est juvare rem publicam, quæ justum bellum gerit contra aliam, partesque ejus suscipere. Responsio etiam constat ex *c. dilecto. de sent. excommun. S. & quidem in 6. ex can. fortitudo. can. inferenda*, qui sunt S. Ambrosij, & Damasi Papæ 23. q. 3. *can. error, disp. 83.* qui est innocentij.

II. Hinc juxta Molinam *disp. 18.* in omnibus eventibus, in quibus proximus potest se,

ac sua, defendere contra injustum aggressorem eum occidendo, in iisdem licitum est cæteris eum proximum defendere interficiendo ejus aggressorem, quando ita necessarium est ad talem proximi, bonorumque illius defensionem; quia, ut inquit Laym. *cit. cap. 3. n. 5.* ex S. Antonino, & communi, cum quis jus habet defensionis causâ aggressorem, vel raptorem mutilare, vel occidere, aliis quoque licitum est vim passo assistere, & auxilium ferre.

III. Extendit cit. Lugo 1. Ut liceat proximum innocentem defendere tam in præsentia, quàm in absentia illius v. g. si eo absente facultates ejus injustè diripiantur, vel si venenum ei præparetur, quod aliter impediri non potest, nisi occidendo invasorem. 2. Ut liceat eum defendere, etiamsi defendi nolit; quia adhuc, inquit, ejus damnum aliquo modo ad me pertinet, cum sit damnum ejus, qui charitatis nexu, & conjunctione naturæ mihi conjunctus est. 3. Ut liceat eum defendere, licet is occasionem dederit per injuriam, quam prior intulit, si tamen jam nunc injustè læditur; dum nõ amplius invadit, nec lædit, sed pacem petit: quia licet à principio fuerit nocens, jam tamen est innocens, & contra justitiam invaditur.

IV. Q. 2. An quis non tantùm licitè possit, sed etiam obligetur defendere proximum ab injusto invasore? R. Ex Molina & Less. 1. Si quis commodè potest defendere proximum ab iniquo invasore absque notabili damno proximusque eo adiutorio indigeat, ex lege charitatis tenetur eum defendere, non solum quoad *eius personam*, sed etiam quoad bona externa, honorem, famam &c. 2. Nemo tenetur tueri *vitam hominis privati cum probabili periculo vite sua*, etsi Jure possit, si velit, quia non teneor exponere vitam meam pro vita temporali proximi; sed possum vitam meam diligere præ vita cujusvis alterius privati; unde neque pro defensione parentis, quamvis id esset valde laudabile; secus est, si persona principis, unde pendet boni publici conservatio, periclitetur. 3. Pro defensione *bonorum externorum proximi, honoris, fama &c.* etiamsi aliter defendi nequeant, non tenetur quispiam ad occisionem invasoris per se ipsum faciendam, nisi ex *justitia lege* teneatur injuriam à proximo pro pulsare, uti e. g. tenentur ministri publici: quia lex charitatis non tam arctè obligat, ut cum tanto invasoris detrimento teneatur quis conservare bona proximi

mi longe inferioris ordinis, præsertim cum, si invasor tunc interficiatur, regulariter unâ cum corporali vita amitteret æternam. Dein quia ea interfecio non fieret sine maximo horrore, ac difficultate interficientis, lex autem charitatis non censenda est obligare id horrore, ac difficultatis subire, ut, cum tanto detrimento invasoris, bona longe inferioris ordinis *invasi* defendantur. Censet tamen Molina *tr. 3. disp. 18.* cum Communi DD. sententia, si aliter impediri non possit damnum, quod proximo injustè paratur, teneri te *denuntiare malefactorem*, qui damnum parat, magistratui, esto infamia ipsius sequatur, & poena mortis infligenda per potestatem publicam, quæ ad id ex officio tenetur, quod lex charitatis obliget propulsare injuriam, quæ proximo innocenti paratur, meliôrque debeat esse conditio innocentis, quàm nocentis Injustè, qui aliter non vult desistere; nam si desistere vellet, non debet ita denuntiari; quare denuntiationem hanc præcedere debet denuntiatio charitativa Evangelica. Hanc Molinæ obligationem ad denuntiandum non admittit universaliter Lugo *n. 214.* nisi quando accedit præceptum Prælati, vel Judicis; aut quando invasus, qui damnum injustè patitur, est Pater tuus, Mater, Filius, Conjux, vel Persona conjuncta, quam speciali titulo defendere tenearis, vel quando damnum est contra bonum Commune, vel quando ipsemet invasor in ijs circumstantijs debet ex se *ex debito justitiæ* illud damnum subire ad liberandum invasum, quem aliter liberare non potest. 4. Pro defensione vitæ proximi tenemur *sub reatu lethalis peccati* interficere injustum aggressorem proximi nostri, quando sine periculo propriæ vitæ possumus, neque aliter erueri possumus innocentem à morte: quia Jus naturale est, quo unusquisq; tenetur defendere innocentem, si possit, meliôrque est conditio innocentis, quàm injusti aggressoris; adeoque cum utrinque æquale sit damnum temporale, tenemur defendere *innocentem cum interfectione nocentis*, si aliter non possumus innocentem à morte liberare; prout etiam *SS. Script. Prov. 24.* dicit: *erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses* Molina cum Navarro & Victoria. Contrarium tamen placet Lessio *dub. 13. n. 92.* ubi ait non teneri privatim tueri vitam alterius privati, quando non potest sine occisione invasoris: quia ubi mala sunt paria, nemo tenetur alterum inferre, ut excludat al-

terum; præsertim, cum id fieri nequeat, nisi horrendo illo modo occisionis proximi, unde etiam nemo *tenetur* tueri vitam suam per mortem alterius. Lessio subscribit Card. de Lugo, *cit. disp. 10. sect. 11. n. 208.* quod in prædicto calu proximus sit tam *invasor* quàm *invasus*, & de utriusque malo agatur. excipit tamen *n. 210.* hos calus. 1. Nisi invasi vita necessaria sit ad Commune, & publicum bonum. 2. Nisi invasus sit Pater tuus, Mater, Filius, Conjux, vel Persona conjuncta, quam speciali titulo defendere tenearis. 3. Nisi invasor teneatur ex justitia perdere vitam ad liberandum invasum à periculo, in quo eum posuit.

V. Quod si invasor esset Filius tuus, durissimum esset te obligare ad occidendum eum pro salvanda vita innocentis proximi. Si verò esset Pater tuus Lessius negat, te facere posse licitè, quod id repugnet pietati in parentes; idem, & potiori ratione, si esset princeps, præsertim si in guberatione Reipublicæ se bene gerat, tunc enim vetaret bonum publicum, & obligatio subditi erga Rempubli-

## §. VII.

### De his, qui tenentur defendere Proximum innocentem.

1. *Quisnam ex justitia, & qui ex Charitate teneantur defendere innocentem. n. 1.*
2. *Quid de Principibus, famulis, Civibus. n. 2. & 3.*
3. *Quid de ministris publicis. n. 4.*

I. Q. Qui teneantur *ex justitia* defendere innocentem? R. Qui ex officio ad id obligantur, cujusmodi sunt Principes, & Magistratus, eorumque Satellites; milites, vasalli feudatarij, famuli stipendiarij, aliique quibus ex officio incumbit cura & tutela aliorum. Episcopi verò, & Prælati spirituales, quibus non temporale, sed spirituale regimen subditorum incumbit, magis tenentur ex officio ad eos defendendos in necessitatibus spiritualibus; & hi omnes ex justitia tenentur. Lugo *n. 216.* Ex lege pietatis verò pater tenetur ad defendendum filium, & filius ad defendendum Patrem. Lay.

II. Hinc Principes & Magistratus ex justitia tenentur regionem, & vias publicas tutas à prædonibus reddere, ita, ut, si rapina, vel deprædatio contingat in eorum ditione, etiam si per extraneas personas, ipsi ad damnum reparandum sint obligati; si in eorum potestate

itate fuit, ut possent ejusmodi mala prohibere, nec tamen prohibuerunt. Mynsing. cent. 5. observ. 70. ubi plura hac de re videri possunt.

III. Quoad Famulos. disputat Laymannus cum Molina; qui tr. 3. disp. 33. memb. 5. n. 9. ait, famulos, qui mercede conducti sunt non ad pugnandum, sed ad alia officia, si negligent dominum suum defendere, vel à morte liberare, propriè non peccare adversus justitiam, sed adversus Charitatem, gratitudinem, & moralè hõnestatem, ideoque non teneri poenâ homicidij ordinariâ, sed arbitrariâ, licet graviore, quàm si alius quispiam, cum potuisset, injustam occisionem impedire neglexisset. Admonet tamen Laym. citatis Less. l. 2. C. 9. n. 94. multos esse famulos conductitios, qui ex tacito pacto conducuntur, ut Dominum contra iniquos aggressores defendere teneantur; qui proinde contra justitiam peccabunt, si negligent; multoque magis si intelligentes, injustam necem Domino parari, id revelare intermittant: quemadmodum etiam cives obligantur, si prodicionem contra Principem intelligant, indicare, ut ea impediatur.

IV. An verò ministri publici, & qui ex officio tenentur alios defendere, teneantur etiâ cum periculo vitæ propriæ? Disputatur. Lessius n. 91. negat, quòd officium non obliget, ut pro homine privato vitam exponat, sed tantum, ut pro bono publico, cujus propriè, & directè est custos, unde cum periculo vitæ teneatur quidem hostes reipublicæ, & latrones è medio tollere; non autem causam privati cum eodem discrimine persequi. Lugo verò n. 217. cum Molina. tr. 3. disp. 735. n. 1. cenlet, non posse dari unam universalem Regulam, sed inspiciendas circumstantias, nempe gravitatem damni, quod privatis, & reipublicæ timetur, gravitatem periculi, quod ministris publicis imminet, si velint illud damnum impedire, probabilitatem, quòd hac ratione damnum innocentis possit averti, stipendium, quòd ministris ad impediendum damnum datur, finem, ad quem talis minister susceptus est. Sic inter famulos quidam sunt, qui videntur, præcisè suscipi ad honorandum, & comitandum Dominum, vel ad ministrandum, & serviendum in rebus alijs, in hortis, agris, re domestica &c. alij verò, ut ijs stipatus Dominus, quasi armatâ familiâ securus incedat: & hi magis obligantur tueri Dominum, quàm priores, quò tendit Laymanni Doctrina prius relata.

V. Disputat hic adhuc Lugo cum Suarib,

& alijs Theologis, an is, qui ex officio tenetur alium defendere, si id non faciat, secuta morte, sit irregularis, & resolvit negativè, quòd, licet ei moraliter impudetur effectus, revera tamen non sit homicida, etiamsi ex odio, & vindicta non impediverit, cum teneatur; & etiamsi sciens, feminam à se gravidam, abortum procurare non impediverit, secus censet n. 221. si per vim, fraudem, dissuasionem impediverit. Sed disputant hæc Theologi inter se se, nos alia vocant.

## §. VIII.

### Propositiones Damnatae.

1. Tres propositiones damnatae ab Innoc. XI, n. 1.
2. Solvitur objectio. n. 2.
3. Lex fundata in universali presumptione non cessat in Casu particulari. n. 3.
4. Due propositiones damnatae ab Alex. VII. n. 4. 5.
5. Expenduntur dictæ propositiones. n. 6. & seqq.

Cum Doctores quidam nimis liberaliter abuterentur Doctrinâ, quæ facultatem concedit propugnandi vitam, & bona temporalia cum occisione invaloris sub moderamine inculpatæ tutelæ, ideo eorum Laxitas Diversarum propositionum prohibitionè à SS. Pontificibus restricta est.

I. Ab Innoc. XI. quidem prohibitae sunt tres sequentes propositiones: nempe 31. ita sonans: *regulariter occidere possum furem pro conservatione unius auri.* Et 32. ita sonans: *non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatam habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Et 33. ita sonans: *Licitum est tam heredi, quàm legatario contra injustè impediendam, vel ne hereditas adeatur, vel legata solvantur se valiter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injustè impediendam.* Ratio prohibitionis est; quia, ut habet Lessius l. 2. cap. 9. dub. 12. n. 82. in Jure defensionis semper considerandum, ne ejus usus in reipublicæ perniciem vergat, quòd fieret, si præfatae propositiones subsisterent; proh! (exclamat Illung) quot fierent cædes, quanta perturbatio, quot in propria causa injusta, & temeraria judicia, ac judiciorum injustæ executiones, si relatae sententiæ tollerarentur?

II. De prima ex his tribus Thesisibus in specie dictum jam est superius. De 2. & 3. formatur hæc objectio contra traditam à nobis doctrinam: si quis potest occidere injustum inya-

invalorem bonorum fortunæ, que actu possidet, potest etiam occidere illum, qui injuste impedire nititur à consecutione talium bonorum, adeoque occidere potest, qui habet Jus inchoatum, vel justam spem, cum hæc sint pretio æstimabilia. *Et N. Sequelam*; quia occisio invaloris sub moderamine inculpatæ tutelæ locum tantum habet, quando & *evidenter grave damnum inferi, & evidenter illud non potest moraliter aliâ viâ impediri, & ejus occisionis permissio non cedit in perniciem Republicæ*: At verò ex una parte ordinariè in casu harum prohibitarum propositionum suppetit aliud remedium per implorationem officij Judicis; ex altera verò parte licentia occidendi injustos ejusmodi invalores cederet in perniciem Republicæ; gravissimum enim oriretur periculum innumerorum homicidiorum, nimis cædibus ostium aperiretur; ideoque merito non per *Ius positivum duntaxat dictarum propositionum*, sed etiam per *Ius naturæ* universaliter tale medium tuendi Jura sua est prohibitum: innumeræ enim in Republica quotidie ejusmodi querelæ circa Jura possessionum, hæreditatum, legatorum, præbendarum &c. oriuntur, & facillè homines philantia, seu cæco amore sui, ac passione hallucinantur, ut sæpissime sibi persuaderent, fas sibi esse occidere adversarium tanquam injustum Jurium suorum aggressorem, etiam si revera *injustus aggressor* non foret, sed ex *probabilibus fundamentis* Jura illa impugnet; quare Judiciis hac in parte est standum. Certè nihil frequentius in Judiciis, quam ut, utra pars causâ ceciderit, ea & partem adversam victricem, & Judices injustitiæ arguat, tantum ideo, quòd non pro se lata sit sententia.

III. Et quamvis aliquando alicui possit evidens apparere, & quòd *grave damnum à parante ista jura auferre imminet, & quòd non suppetat alius modus declinandi, quam per necem invaloris*; non tamen propterea licita potest esse talis occisio; quia periculum universale homicidiorum & perniciem Republicæ tamen remanet; quando autem prohibitio, vel alia lex fundatur in generali præsumptione periculi, non propterea illa cessat obligare in casu particulari, in quo *particulariter* tale periculum & *per accidens cessat*, unde debuit absolute natura talem occisionem prohibere; eò quòd majus esset damnum in Republica ex frequentibus cædibus, quæ haberentur, si hæc occisio liceret, quam bonum, quòd inde sequeretur; cumque bonum publicum prevaleat

debeat privato, ideo toleranda potius in aliquo casu ab innocente aliqua læsio in ejusmodi Juribus, quam permittenda isthæc defensio occisiva; prout in simili de fornicatione ostenduntur *parte 1. sect. 1. §. 4. n. 13. & 14.*

IV. Ab Alexandro VII. prohibitæ sunt hæc duæ propositiones; nempe 17. ita sonans: *Est iustum Religioso, & Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere manentem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Et 18. ita sonans: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum avertere.* Quas prohibitiones saluberrimas esse ex dictis satis liquet; hæc namque propositiones adhuc perniciosiores forent bono publico, si tolerarentur, quam priores.

V. Etenim ad primam propositionem quòd attinet, si calumniatores, qui contra Religiosos, & Clericos, nescio quas calumnias spargunt, propria auctoritate interficere permissum esset, quantarum cædium licentia foret præsertim in Germania nostra, ubi heterodoxis permixti vivimus, quorum multi obsequium se præstare Deo putant, si impudentissimas calumnias effundant contra Rom. Pontificem totius orbis Christiani Antistitem, contra S. R. E. Cardinales, contra Episcopos, contra Religiosos, quos prodeunt infames ejusmodi libelli, mendaciis palmaribus referatissimi, cujusmodi est recentissimè *Tuba illa magna novum clangens sonum*; verè infamis, carnificis manu digna (quam poenâ in libellos tamosos Jura decernunt) manifestissimorum mendaciorum convicta nuper per Alphonsum Huylenbroucg & Monachij mens. Mart. carnificis manu combusta.

Ne verò ulla profus anxia superesset viris Clericis, & Religiosis, quidpiam in vitam ejusmodi calumniatorum tentandi (à quo alias modestia omnium defacto Religionum summè abhorret) in rebus difficillimæ utique concoctionis, saluberrimè sanè, ut cui libet patet, Romana Sedes universalis Ecclesie magistra obicem interposuit omnibus Clericis, & Religiosis, qui memores esse debent Consiliorum Christi Domini (ad quorum aliqua Religiosi se Sacramento obstrinxerunt) quæ hortantur *Luc. 6. v. 27. & seqq. diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*

Bene-

*Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos, & qui percutit te in maxillam, praebe & alteram &c.*

VI. An hæc prohibito sit Antichristi, quem heterodoxi (sed non nisi, qui calumniis delectantur, & phrenesi conviciandi in vertiginem acti sunt; nam honestiores eorum defacto passim meliùs sapiunt) proclamant Romanum Pontificem, judicet prudens Lector, non Catholicum peto, sed A catholicum sano Judicio præditum.

VII. Illud optandum foret, ut judices ejusmodi calumniatoribus ora obstruerent severis pœnis: sed ex quo tempore infaustus Lutherus vestem in consutilem Ecclesiæ scidit Schismatibus, hæc optare, sperare non licet; cum plerumque ipsi quoque Judices eodem igne odii, quo calumniantes, flagrent, quò magis calumniæ accenduntur: divinum tribunal, coram quo nihil tam opertum est, quod non revelabitur, expectandum.

VIII. Ad 2. Propositionem quod attinet, quam, teste Dominico Viva, non pauci graves DD. cum Molina Nav. Bannez. Tam. apud Dian. part. 5 tract. 40. resolu. 7. defensarunt, pariter constat ex dictis, quàm salubriter ea sit inhibita, tum quod defensio ista occisiva testium, & Judicis iniqui sit immoderata; cum ordinariè damnum imminens possit declinari alio modo *adhibendo alios testes, appellando, reclamando*; quod si non possit aliquando damnum impediri, id *per accidens est*, tribuendumque infortunio, non secùs, ac si de cœlo vitæ, aut propria bona tangantur.

IX. Secùs est de defensione earum rerum, quas actu possidemus, de quibus supra, quando *evidens est grave damnum ab invasore imminens, & evidenter constat*, illud aliter non posse impediri; ubi non militat hæc ratio, nec subest periculum occidendi alium, qui non sit injustus invasor.

X. Ex his ipsis principijs non videtur admittenda thesis, quæ dicit, quòd, *sicut occidere aliquando possumus eum, qui injustè invadit bona fortuna, quæ actu possidemus volens ea nobis eripere violenter; ità etiam occidere possumus injustum litigatorem, qui calumniis, & falsis testibus conatur in Iudicio nos rebus nostris spoliare, quando agitur de re magni momenti, & certum est, quòd eam aliter injustè invadat, & aliter invasionem istam effugere non valeamus, quàm occidendo injustum litigatorem.* Prout docuere Bannez, Navarra, Thomas Sanch. apud Card. de Lugo *disp. 10. sect. 9, n. 184.* qui ferè ipsis consentire

videtur. Ratio est: quia licet sententia hæc non videatur cadere sub prohibitionem supra dictarum propositionum damnatarum; cum illæ loquantur *de defensione occisiva bonorum, quæ habemus solum in iure, vel spe*; sententia verò hæc de defensione bonorum, quæ *actu possidemus*; nihilominus, quia innumeræ quotidie ejusmodi lites circa bona fortunæ in Iudicium deducuntur, in quibus alterutri parti vel verè, vel falsò videtur certum, quòd injuriam patiat ab altera parte, vel Judice, & quòd tantum ex defectu sufficientis probationis, vel partialitate Judicis causâ sit casura, & re suâ per sententiam Judicis spolianda; nihilominus, inquam, si liceret in tali casu litigatorem occidere, innumeris ansa daretur cædibus, & nimis abusibus; ideo meritò censetur & hoc universaliter prohibitum, unde etiam in nulla Republica bene ordinata talis occisio finitur esse impunita.

## §. IX.

### Certamen singulare ex causâ defensionis honoris.

1. *An, & quando licet occidere injustum invasorem honoris. n. 1. & seqq.*
2. *Non licet eum occidere, qui verbis solum ledit honorem. n. 5.*
3. *Propositiones damnatae. n. 6.*
4. *Alapâ percussus non potest percussorem fugientem insequi, & occidere. n. 6. & seqq. ubi objecta in contrarium dissolvuntur.*

**N**on licere suscipere monomachiam ex condicito ob punctum honoris, supra dictum est: jam examinandum, qua ratione licitum sit contra aggressorem honoris se tueri.

I. Q. 1. An, & quando licitum sit suscipere certamen singulare ex causa defensionis honoris?

Prænotandum, honorem dupliciter posse invadi. 1. *Verbis*; ut, cum quis nititur alteri graviter detrahere, aut verbis contumeliosis honorem lædere. 2. *Factis*, ut, cum quis intendit percussorem ignominiosam fustis, vel arundinis contra virum nobilem; aut ei alapam infringere, aut deflorare virginem &c. Cardenas *Cris. Theolog. in Propos. damnat. Innoc. XI. dissert. 21. num. 39.* Hòc notatò.

II. R. 1. Licitum est certamen singulare ex causa defendendi honorem contra injustum invasorem etiam cum invasoris occisione submode-

moderamine inculpatæ tutelæ, si *invasio fiat factis, & certamen, vel occisio sit medium necessarium ad defensionem honoris*, Less. L. 2. cap. 9. dub. 12. n. 77. Lugo disp. 10. sect. 187. Et hoc sensu accipiendum, dum Vasquez apud cit. Lugonem asserit, Communiter DD. omnes concedere, quòd quis pro defensione honoris possit in valorem occidere. Rationem dat Lessius: quia honor meritò plus apud homines æstimatur, quàm damnum multarum pecuniarum: ergo si quis potest se defendere cum occisione invaloris, ne damnum pecuniarum accipiat, potest etiam, ne hanc ignominiam cogatur sustinere.

III. Non officit Responsioni, quod obijcit Tannerus in 2. 2. disp. 4. q. 8. dub. 4. n. 74. apud cit. de Lug., non fas esse viro honorato occidere in valorem, qui sustem, vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat; tum quòd fieri possit, ut, si res in occulto agatur, ea re parùm lædatur honor; tum, quòd ità læsus honorem viâ Juridicâ, aut alijs modis recuperare possit: non, inquam, hoc officit Responsioni; nam si per *nocturnam* alapam honor non multùm læditur, aut læsus per *diurnam* recuperari potest aliâ viâ, utique occidere in valorem, aut certare ad ejus necem, & vulnera non licet; cum sic non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ; neque certamen, vel occisio in his circumstantijs esset *medium necessarium ad defensionem honoris*. Neque putem, Responsionem esse contra prohibitionem propositionis 30. ab Innoc. damnatæ mox citandam.

IV. R. 2. Non tamen potest vir nobilis post impactam sibi alapam, vel ictum sustis, repercutere adversarium, postquam is vult recedere, neque potest fugientem persequi, & occidere ad recuperandum suum honorem. Ratio: quia percussio, vel occisio privata non licet, nisi quando est *necessarium medium ad defensionem rei*, quæ aliàs amittenda foret, & hoc medio conservatur; secus non defensio, sed vindicta est, quæ propria auctoritate non licet juxta illud Rom. 12. *mibi vindicta, & ego retribuam*: at verò quando Adversarius post læsum honorem per impactam alapam, vel sustis ictum, destitit, & vult recedere, aut fugere, occisio illius, & percussio non est medium ad recuperandum honorem læsum; honor enim (qui in signis excellentiæ, & æstimatione hominum consistit) jam est destructus per injuriam illam, nec amplius ille idem honor potest acquiri: nam adversarius fugiens illum non secum fert, sicut fur

defert secum rem furto ablatam: adeoque non deservit ad acquirendum illum honorem, qui ablatum est, sed alium equivalentem apud homines per ostentationem fortitudinis, quâ se occidens vindicavit: quæ vindicta non licet, etiamsi fieret *continuo*; præsertim quia honor læsus per alapam inflictam etiam apud mundanos magna ex parte refarcitur, dum invalor fugit, timens ab offenso. Dominicus Viva ad *propositionem 30. ab Innoc. XI. damnatam*.

V. R. 3. Adversus Illæsiones honoris, quæ fiunt *verbis tantum*, non licet se defendere cum occisione invaloris. Ratio desumitur ex supra dictis: quia scilicet ex una parte ordinariè suppetit aliud medium ad honorem à læsione verbali defendendum, aut recuperandum, nempe conveniendo Calumniatorem coram Judice: & compellendo ipsum ad satisfactionem, ac retractionem: ex altera verò parte esset perniciosum reipublicæ, & nimij sequerentur abusus, si liceret has calumnias cæde delere; cum frequentissimæ sint querelæ, detractiones, & Calumniæ in rebus publicis, quarum multæ etsi graves non sint ex se, tamen ab hominibus tumidis, & stolidi sui æstimatione inflatis (quorum infinitus penè est numerus) apprehenduntur per sæpe tanquam gravissimæ, & intolerantæ forent; si jam permissum his foret ad arma ruere, & occidere auctores, qui tale quid inferre nituntur, amabo te! quantum sanguinis funderetur; cum non obstantibus gravissimis prohibitionibus tam multos sit reperire, qui honore levissimè perstricto ad mortomachias illico volant, & dum punctum honoris armis dividunt, ac cruore suo pingunt, in tartara animas præcipitant: certè quoties grave aliquod atque occultum flagitium quis perpetrasset, quòd ab alio ejus conscio propalandum metueret, periculum summum foret, ne in omnium induceret, fore, ut alter, si aversionem ab eo conceperit, certo certius rem manifestet, ideoque honoris sui defensionem petere, ut eum occidat: Quare meritò talis occisiva defensio in nulla Republica finitur impunita.

VI. Omnes tres responsiones datæ constant ex prohibitione *Propositionis 30. ab Innoc. XI. damnata*; quæ ità sonat: *Fas est viro honorato occidere in valorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit: Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel sustis percutiat, & post impactam alapam, vel ictum sustis fugiat.*

VII. Igitur potest quidem Vir Nobilis *volentem impingere alapam* gladio impedire, & etiam defensione occisiva se defendere, at *post acceptam alapam* non potest repercutere, multò minùs insequi fugientem; contra eum verò, qui *verbis* Solummodo calumnias de se ferit, non potest defensione occisiva uti, quod per primam partem propositionis damnatae inhibetur; per *calumniam* enim intelligitur propriè *lasio honoris*, quæ fit verbis. Cardenas *in cit. propositionem prohibitam n. 39. & seqq.* Domin. *Viva in eandem propositionem.*

VIII. Hinc patet responsio ad id, quod obijci solet: si possum occidere furem fugientem cum re mea, quando aliter eam defendere vel recuperare nequeo, possum etiam occidere invasorem, qui post ablatum mihi honorem fugit. Nam B. N. sequelam: priori casu est recuperatio *rei mea*, quæ *eadem res extat in specie*, & manet mea in posteriori casu non est recuperatio *mer honoris*, qui *idem extet in specie*, ut dictum, sed est *procuratio alterius honoris ab alijs hominibus propter sortitudinem existimatam vindicta*; neque enim, si calumniatorem occido, is me honorat ipse, & mihi restituit honorem, ac satisfactionem præstat (sicut si eum coram Judice convenio) sed alij: quia ipsum occidi.

IX. Infert cit. Lugo *n. 105.* neque etiam in bonis ejusdem ordinis te posse lædere alium, ut honorem tuearis, v. g. si alapam accepisti, alapam reddere, fustem pro fustibus &c. si jam percussor cessavit; quia hoc medium non est utile ad tuendum honorem, vel illum recuperandum, nisi quatenus continet rationem vindictæ: secùs, si læsus in facultatibus tibi accipias tantundem ex bonis debitoris, ut te reddas indemnem; quia pecuniæ ad compensandum acceptæ non accipiuntur per modum *vindictæ*, quatenus *malum afferunt debitori*, sed quatenus *bonum afferunt tibi*: occisio autem, & percussio eligitur præcisè quatenus mala adversario, & quatenus malum affert pro malo, & sic ratione vindictæ quæris æstimationem ab hominibus alijs, cum occisus te non honoret, id quod non licet. Exemplum ponit Lugo *n. 191.* si quis tibi 1000. aureos auferat, & in flumen projiciat, & dum aufugit, alius tibi totidem aureos offert, si fugientem occidas, vel percutias; non licet tibi occidere fugientem propter illos alios 1000. aureos ab altero oblatos, sicut potes fugientem persequi ad reparandos tuos aureos, si apud fugientem adhuc extant, aut è substan-

tiâ illius 1000. aureos in compensationem damni accipere; quia hæc non esset defensio tuæ pecuniæ, nec medium ad recuperandum illam à fure, sed esset vindicta facti præteriti ad lucrandum præmium tali vindictæ ab altero propositum.

X. Si dicas: qui me affecit ignominia, quamdiu non affert satisfactionem honoris ablati censetur continuare invasionem honoris: ergò possum me defendere eum damnificando in suo honore, sicut in continuantem per non restitutionem ablationem rei meæ, possum me contra ipsum defendere damnificando ipsum in re sua, quam sibi accipio ad compensationem. B. N. conf. Responsio constat ex modò dictis; nam si calumniantem jam cessantem à calumnia percutio, vel occido, non propterea ex hoc damno ego accipio honorem *ab eo*, utpote, qui me non honorat; sed *ab alijs*, quòd me vindicaverim. Certè licet subtilia hæc argumenta contrariam sententiam (ante prohibitionem propositionis damnatae) potuissent *speculativè* reddere probabilem, eam tamen *in praxi intolerabilem* proclamat Lessius *l. 2. C. 9. dub. 12.* (ante propositionis damnationem scribens) tum ob periculum odij, vindictæ, & excessus; si enim S. Aug. ægre admittit, ut quis pro vita tuenda possit alterum occidere, quanto minùs in tali casu ob honorem tuendum concederet? tum ob periculum pugnarum, & cædium. Hinc meritò Respublicæ hæc non tolerant; sed qui tali casu occideret, puniretur in foro externo, licet mitiùs; tum quia alter causam dedit; tum quia homo intenso dolore permotus non est omnino sui compos. Hæc Less.

XI. Nec dicas: si non licet repercutere in continenti offensorem ab offensa desistentem, ansa datur hominibus improbis contumelias ingerendi, cum sciant se per fugam, aut cessationem tutos esse: Nam, ut dictum, ex una parte possunt offensores per magistratus ad satisfactionem adigi, qui petulantiam caluminatorum tantoperè Reipublicæ perniciosam debent severa animadversione utique cohibere; ex altera verò parte, si vindicta privata permessa foret, longè majora mala, & major perturbatio, ac perniciës in Republica sequerentur.

## §. X.

### De Defensione Pudicitia.

1. *Licetum est pro defensione pudicitia occidere invasorem n. 1.*

2. *Ref.*

2. Possit tamen mulier, vel juvenis se cobibendo à consensu non occidere aggressorem. n. 2.  
 3. An teneatur clamare, ut violentus aggressor fugiat. n. 4. 5.

I. **Q.** L. An licitum sit defendere pudicitiam cum occasione invaloris? R. licitum est mulieri, adolescenti, & cuicumque alteri pro defensione pudicitie occidere invalorern. Card. de Lugo. *cit. disp. 10. sect. 10. n. 195.* Cardenas *in crisi propositionum damnatarum dissert. 21. n. 47.* Less. *L. 2. C. 9. dub. 12. n. 1.* & hoc teste Communis DD quamvis D. Aug. *lib. 1. de libero arbitrio* videatur dubitare. Ratio est: quia pudicitia pluris merito æstimatur, quam multæ opes: præterquam, quod in hac re sit magnum periculum peccati, ne scilicet invaluus consentiat in delectationem, & peccatum. Idem Ethnici quoque senserunt, nam, ut scribit Cicero in oratione pro Milone, & ex suprâ dictis constat, adolescens, qui tribunum occiderat, volentem vim inferre ejus pudicitie, à Mario exercitûs Imperatore absolutus fuit. *Less.* Debet tamen & hic servari moderamen inculpatæ tutelæ: quare non licet occidere, vel vulnerare impurum aggressorem, si invaluus, vel invaluus aliter periculum illud evadere potest.

II. Quamvis autem oppressorem interficere licite possit taliter invaluus mulier (aut invaluus Juvenis) tamen, ut habet Molina *tract. 2. disp. 17. n. 11.* possit etiam reluctando, ac se se omnino continendo à consensu in culpam lethalem, non interficere oppressorem, idque esset laudabilius, ne miser ille invaluus cum corporali vita amitteret æternam, sempiternisque cruciatibus addiceretur, dummodo ea mulier vires sufficientes in se sentiret ad resistendum peccato, & ad non consentiendum per voluntatem in delectationem veneream. Hinc S. Aug. *1. de libero arbit. c. 5. teste cit. Molina* sicut innuit, nefas esse interficere aggressorem pro tuendis bonis externis, & etiam pro tuenda vita, ita innuit nefas esse pro tuenda pudicitia interficere injustum oppressorem, etiamsi in Virgine Claustrum Virginitatis aperiat: quoniam, inquit, virtus pudicitie amitti non potest sine proprio consensu ejus, qui oppressionem patitur, in potestate verò cuiusque est non consentire. At Aug. exponitur non absolute de omni occasione, quæ sit illicita, sed de ea tantum, quando mors aggressoris ab aggressore intenditur in vindictam injustæ aggressionis, atque ex odio, ut frequenter fit, non ad defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut habet Molina.

*tr. 3. disp. 13. nu. 3.* eodem modo exponens S. Th. *2. 2. q. 64. art. 7. ad 1.*

III. Tenetur tamen talis foemina in eocasu nullo modo cooperari, neque passive; sed quantum potest motu corporis, manibus, pedibusque reluctando congressum turpem impedire, ut habet Lugo *nu. 197.* aliàs si quieta permaneat, & non resistens hoc ipso censetur cooperari ad turpem actum; & idem est de sedomitica invasione pudicitie contra virum.

IV. Dubium autem est, an teneatur vociferari, & clamare, ut aliis occurrentibus oppressor violentus fugiat, vel impediatur? Respondet *cit. Lugo n. 198. cum solo, Navarra, Reginaldo contra Cajetanum*: quando ea sibi ex clamoribus timet grave damnum infamie, mortis, aut nimie inverecundie, ad id non tenetur; adeoque in hac sententia, si aliter non potest se liberare, potest vel occidere oppressorem, vel juxta prius dicta, ommissa occasione, aliàs quantum potest reluctari, si modo tantum virum sibi promittere possit, ut in peccatum, & illicitam delectationem non videatur consentura, si enim non tenetur cum occasione oppressoris, adeoque cum *ipsum damno*, neque tenetur cum suo gravissimo damno copulam violentam, & sibi involuntariam impedire; ut ait *cit. Lugo.* Nam licet foemina potius debeat pati mortem, & infamiam, quam consentire turpi congressui, aut ipsi cooperari; quia cooperatio est intrinsecè mala; non tamen tenetur pati mortem, vel infamiam potius, quam non impedire vim sibi illatam, cui ipsa nullo modo consentit, nec cooperatur; non vociferatio autem non est cooperatio; si aliter reluctetur, quantum potest. Nec obstat Exemplum Susannæ, quæ, cum sola esset in pomario, clamavit, ut famulis occurrentibus defenderetur ab iniquis senibus. Nam Respondet *cit. D.* licet ea clamaverit, tamen ad id non fuisse obligatam cum tanto infamie, & vite periculo, sed amore ardenti castitatis noluisse se ulli periculo consensûs exponere.

V. Cæterum in praxi, ut *cit. D.* advertit, difficile credendum, esse oppressionem violentam absque ulla culpa foemine; rarissimum enim est, ut, si velit, non possit violationem impedire; sed plerumque ob metum, & animi imbecillitatem, & aliquando etiam ob latentem lascivie affectum, quem manifestare omnino erubescunt, consentiunt saltem invitæ, qui tamen consensus, licet ex parte involuntarius sit, sufficit ad peccatum grave: quem consensum, sicut & congressum ipsum debuisset virili fortitudine impedire,



## S E C T I O V I I I .

De Torneamentis boni Turnier / Agitatione Taurorum,  
& aliarum ferarum.

## §. I.

## De Torneamentis.

1. Quid sint torneamenta, & unde dicta. n. 1. & 2.
2. Si temerè suscipiantur, prohibita sunt utroque jure n. 3. & seqq.
3. Quando primum introducta in germaniam. n. 7.
4. Ritus & Leges torneamentorum, & qui fuerint ad id admissi. n. 8. & seqq.
5. Munera in torneamentis proposita, & finis eorum n. 16. & 17.
6. Rationes, ob quas desierunt. n. 19.

Inter certamina singularia etiam recensentur torneamenta: de quibus

I. Q. 1. Quid sint torneamenta? *Re.* Sunt hostiludia, & solennes pugnae equestres, in quibus milites, vel (ut superioribus saeculis in Germania consuetum erat) Equestris ordinis Nobiles ex condicto convenire, & ad praeparationem belli, ostentationem virium, peritiae tractandorum armorum, audaciaeque suae congregari solent. Germanicè *Turnier* dicuntur. *Wiestner de torneamentis, n. 1.* & *Gonzalez ad ca. 2. eodem tit. n. 5.* Licet alij paulò aliter describant; ut *Vallensis ex c. 1. de torneamentis*, quòd sint quaedam induciae, nundinae, ac feriae, in quibus milites ex condicto convenientes ad ostentationem virium suarum, & audaciae temerè congregari solent. Ubi particula *temerè* non videtur pertinere ad descriptionem torneamenti *in genere*, sed jam continere certam speciem torneamenti.

II. Fieri eiusmodi torneamenta, sive hostiludia possunt duplici modo. 1. *Temerè* hastis acutis cuspides praefixas habentibus, aliisque armis ad vulnera, infligenda expeditis. 2. *Non temerè*, sed adhibità cautelâ, v. g. hastis sine cuspidibus, vel aliis armis hebetatis congregando. *Citt. Gonzalez, & Wiestner.* Nomen Torneamenta sumpsit, ut aliqui volunt, à graeco verbo *δορῖον*, vel *δορῖον*, quod significat infilire, vel, ut alijs placet à Trojano ludo, ut *Torneamentum* sit quasi *Trojamentum*: nam apud veteres juvenis equestri pugna solebat excidium Troiae representare,

ideo *Trojani ludi* dicebantur, vel, ut vult *Wolfgangus Lazius* apud *Gonzalez cit. n. 5.* corrupta voce à teutonicis torneamenta dicta sunt, vel ab Italico *torzare*, quod est redire; isti enim, qui sic certant, eunt, redeuntque. *Knipschilt de Nobilitate Lib. 2. cap. 5.* disputet hæc pluribus, cui de vocabulis placet alterari. Interim

III. Q. 2. An licita sint eiusmodi torneamenta? *Re.* 1. Si temerè fiant, ut ex iis periculum caedum imminet, & animarum, prohibita sunt utroque jure. *Jure Civili l. un. c. de gladiat.* licet verò etiam tempore Pandectarum similes ludos jam prohibitos fuisse teneat *Pantioia* apud *Gonzalez n. 6.* contrarium tamen videtur constare ex *L. qua actione 7. §. 4. n. ad L. Aquiliam. & L. solent 2. n. de aleator.*

*Jure Canonico* prohibentur per duas constitutiones in tit. de torneamentis. Ex quibus colligitur, quòd si quis pugnandi animo ad eiusmodi torneamenta temerè suscepta, ex quibus mortes hominum, & animarum pericula saepe proveniunt, accedat, in eisque aliquem occiderit, reus sit homicidij, atque irregularis; quia rei illicitae, & per se periculosa operam dedit. *Vallens*, ille verò, qui occisus est, Ecclesiasticâ sepulturâ sepeliri non debeat; utpote quæ ipsi denegatur *c. 1. eodem tit.* si tamen animo pugnandi accesserit, secus, si ex alia causa, e. g. tantum ad spectandum, aut ad requirenda debita à quibusdam militibus, aut alijs, quos eò venturos putabat. *Collig. ex c. 2. eodem tit. Barbosa ibid. n. 7.* Quòd si verò vulnere lethali prostratus in torneamento supervixerit, & poeniteat, ei Ecclesiastica poenitentia, atque Eucharistia non denegatur. *Barbosa ex cit. ca.* ubi similiter denegandam Ecclesiasticam sepulturam asserit armigeris, & servientibus in armis, si occidantur in hoc ludo.

IV. *Re.* 2. Si Torneamenta non temerè fiant, sed cum debita cautela; ut moraliter loquendo nulli inde periculum vitae imminet, licita sunt laicis, nec sub praedicta prohibitionem continentur, prout sunt hostiludia inter Nobiles loriceis, & galeis munitis, in quibus

non

non subest tantum periculi, nec sunt eò modo, quoolim. Vallens. Azor *part. 3. Lib. 2. cap. 15.* unde, licet aliquando præter opinionem contingat, hominem occasione ejusmodi ludi occidi, tamen neque occiso Ecclesiasticam sepulturam denegandam, nec occidentem, quasi culpabiliter, & ex ludo prohibito necem intulerit, judicandum esse, censet Robertus Röttig ex Navarro, Panormit. Barbosa, cum communi, ut ait.

V. Fuere quidem & hæc Torneamenta olim à Clemente V. prohibita in Concilio Viennensi constitutione, quæ incipit: *Pastiones* sub excommunicatione Papæ reservata, propter immodicos sumptus, quibus in splendorem, & apparatus profusus exhausti Nobiles, aliique fideles, ab ordinario Terræ Sanctæ subsidio, & assumptione S. Crucis abstrahantur: Sed has censuras postea Joannes 22. instantibus Rege Franciæ, & Navarræ, nec non Germaniæ Magnatibus revocavit *Extravag. un. de Torneamentis. Gonzalez n. 7. Wiestner n. 4.* Quare hodie torneamenta, & ludi equestres, qui in Principum inauguratione, Nativitate, Nuptiis, Principis Adventu &c. instruuntur, laicis interdicti non sunt, si cum dicta moderatione, itaque instituantur, ut non sit periculum cædis, aut gravis vulneris, nisi casu, & per accidens forsan secuturi.

VI. Clericis verò utriusque modi Torneamenta illicita esse cum Gonzalez *n. 6. & 11.* pronuntiat *en. Wiestner n. 5.* Priori modo *can. quicumque Clericus 3. q. 4.* Posteriori modo *Concil. Herbipolens. can. 4. sub Honor. IV. & Salisburgens. sub Martino V.*

VII. Porro Torneamenta Germanica die *Turnier* / sive ludi equestres Nobilium Germanorum anterioribus sæculis celebres primum in Germaniam ab Henrico Aucupe introducti sunt, ut scribit Knipschilt *de Nobilitate Lib. 2. cap. 5. n. 2. & seqq.* ut Nobilitas Germanica condignis jam dudum exercitijs exulta, & his quoque ad bella aptior redderetur, ac in hostilibus prælijs victrix, & vitiorum triumphatrix existeret, non quòd primus eorum inventor fuerit Henricus, sed ejus Secretarius Nomine Philippus, qui sæpius peregrinando apud alias gentes ea viderat, & de ijs instituendis interrogatus fuerat. Qui Imperator postea, ut Nobiles in Officio continerentur, habito consilio cum quatuor Imperij Ducibus primariis Conrado Comite Palatino ad Rhenum, Hermanno Sueviæ Duce, Bernardo Duce Baviaræ, &

Conrado Duce Franconiæ, hæc Torneamenta certis sancitis legibus confirmavit: ita cit. Auctor, ex quo breviter ritus & leges Torneamentorum apponimus.

VIII. Jus indicendi torneamenta competebat 1. Imperatori. 2. Principibus nonnullis Imperij, quibus speciali privilegio Imperator concesserat. Indicebantur autem illa torneamentorum Præfecti, die *erwählte Unter-Turnier-Bögt / oder Turnier-Rögt*; moris enim erat eligere 4. ejusmodi *Turnier-Bögt* unum Bavarici, alterum Suevici, tertium Rhenensis, quartum Franconici circuli, qui postea Torneamenta sua indixerunt.

IX. Locus Torneamentorum non erat certus, sed aliquando etiam extra hos 4. circulos indicebantur, ut Magdeburgi. Nec certum erat *Tempus* præstitutum.

X. Admissi autem sunt tantum Nobiles, & Patricij, non tamen omnes indistinctè, sed excludebantur 1. Nobiles novi, qui Nobilitatis suæ Testimonium à quarto progenitore ostendere non poterant, die *von 4. Ahnen nit* / *Edgebohrnen* / atque ita illi, qui ab Imperatore Sigismundo Romæ post Coronationem equites facti erant, in Torneamento Norimbergæ Anno 1433. non fuerunt admissi, licet utique Imperator aliquem sic nobilitare possit, ut ad Torneamenta admittatur. 2. Excludebantur illegitimi extra matrimonium nati. 3. Idem erat, si quis plebeiam duxisset, aut ex Patre Nobili, sed Matre ignobili natus esset, ita, ut non tantum ex his inæqualibus Nuptiis nati, sed etiam Nepotes in tertiam usque stirpem excluderentur. 4. Nobiles, qui in civitatibus habitabant, ibidemque ut reliqui cives onera civilia sustinebant. 5. Fœneratores, & Usurarij. 6. Novorum vestigalium, aliorumque Reipublicæ gravaminum, & incommodorum Auctores. 7. Qui mercaturam exercebant. 8. Christianæ Religionis hostes, & hæretici. 9. Qui contra Cæsaream Majestatem, & imperium peccarunt, sive crimen Læsæ Majestatis commiserunt. 10. Qui homicidium dolosum commiserunt, conjugem, vel Dominum occiderunt: homicidium autem in ipso torneamento commissum impunitum erat: 11. Latrones, Piratæ, Prædatores, & Sicarij. 12. Qui Tempa depilaverunt, viduas, ac pauperes deprædati fuerunt: pertinet enim ad generosa pectora, & maxime ad equites curæ Ecclesiarum, viduarum, pupillorum, aliarumque personarum miserabilium. 13. Ad-

ulteri, & Meccatores. 14. Qui Dominum suum prodidit, eumque in castris, & militia deseruit, vel auctor fuit in praelio data fuga. 15. Qui juramenta, chirographa, & pacta manuscripta, sigilloque confirmata violare, vel negare consuevit. 16. Quicumque infamiae labe laborabant. 17. Ne concertantium numerus nimium crederet, unus tantum e qualibet Familia pro totius Familiae honore decertans admittebatur.

XI. Leges variae constitutae certantibus erant. Ante actum decertationis statutum erat 1. ut decertaturus peccata sua expiaret, Deoque per confessionem se reconciliaret. *Verkundigung aller Turnier in pr. ibi: auch soll keiner bey Adelichen trauest ungebeicht in dem Turnier reitten*; cum enim nonnunquam eveniret, ut in ludicris hujusmodi congressibus caedes patrarentur, ne eo casu anima simul cum corpore jacturam subiret, hoc ei viatico prospiciendum fuit. 2. Ut die ludorum ad suum Torneamenti Regem *zu seinem Turnier-Vogt* deveniret, nomenque suum, tribus ad minimum Heroldis praesentibus profiteretur, matriculisque illud inscriberetur. 3. Ut Galeam, ornamenta, & gladium ad inspectionem, & partitionem deferret.

XII. In actu decertationis, statutum erat 1. Ut Princeps compareret cum quatuor famulis: Comes cum tribus: Eques cum duobus: Nobilis cum uno. 2. Ut nemo equo calcitroso, vel sternaci uteretur. 3. Ut eorum ornamenta, & paratus omni modo ita formati esset, ne quis eo laedi posset. 4. Ut arma sua omnia ita aptata haberet, ut nemini nocere, aut extantibus acuminibus, praecutisque extremitatibus quempiam laedere possent; telis etiam non alijs poterant uti, quam clava equestri, & gladio. 5. Ut nemo, quod firmitus equo haereret, & majori molimine eo deturbandus esset, extraordinaria, & insolita adjumenta adhiberet; sed communi modo Sellae equestris, & stapedum usu contentus, dexteritate magis sua, quam arte tutum se redderet. Contra haec, qui faciebat, omnium ordinum odiu, & contemptu incurrebat, armisque, & equo cum phaleris, & stratis ejusdem mulctabatur.

XIII. Peracta decertatione quilibet ad circuli sui Regem accedere debebat, & decursionis testimonium petere, quod dabatur, apposito circulo, cujus nomine praesidebant, & ipsius Regis subscriptione. Postmodum

Torneamenta aucta sunt, & alibi quoque ejusmodi sodalitates institutae.

XIV. Praefectorum, *der Turnier-Vogt* / munus erat, 1. Torneamenta indicere, & Nobilitatem literis ad ea vocare. 2. Locum, ubi torneamentum instituendum erat, munire, aequare, curare. 3. De salvo conductu, hospitibus, & caeteris necessariis rebus pro adventantibus prospicere. 4. Die decursionis nomina candidatorum matriculae inserere. 5. Lustrationi armorum, & partitioni Galearum adesse. 6. Intra fines, & torneamentorum celebrationem consistere. 7. Excusationes eorum, qui aliquid dicebantur deliquisse, audire. 8. Decursione absoluta Testimonium decursionis scripto reddere: & tandem finito officio novis ad hoc officium destinatis rationem administrationis reddere.

XV. Intererant & alij Nobiles his ludis, qui non decertabant, sed certa officia subibant *Grieff-Wartel* dicti, quorum officium non constat, probabilius sic dicebantur, quod arenae, seu areae deservirent, nomen ab area *vom Grieff* trahentes. Plebeij quoque, licet ad actum decertationis non admitterentur, tamen certis officijs fungebantur, ut illi, quos vocabant *die Stäbler* / quasi perticarios, qui cum perticis in arena Torneamenti stabant, ut pugiles tuerentur; & alij ejusmodi. Mulieres quoque admittebantur 1. spectatum. 2. Ad distributionem praemiorum. 3. Ad Choreas, quae ludos hosce excipiebant. Ipsum decertationis actum Rhythmis Germanicis describit cit. Knipsch. primum certamen erat clavis, *mit den streitt-Rolben*; dein gladiis *mit den Schwerteren* / & lanceis; post haec longam usque in noctem Chori, & tripudia extendebantur, ac bravia, sive munera distribuebantur.

XVI. Munera illa varia erant, veluti aureus gladius, corona aurea annuli, aureae catenae, & similia alia exquisitè elaborata. De Henrico ditissimo Thuringorum Principe legitur, quod iustae proceritatis arborem, cujus truncus, & rami ex puro auro fabrefacti, folia verò ex argento, decertantibus in praemium proposuerit hac distinctione, ut hastam immota equi sessione frangenti folium argentum deceperetur, adversarij deiectione praemium aureus ramus esset.

XVII. Finis Torneamentorum erat, ut Nobiles armis exercerentur ad praelia, & ut tyrrannidem, ac superbiam, reliquaque vitia, quae ex otio nascuntur, extirparent; nam qui

quicumque Nobilium se gravibus sceleribus obstrinxissent, in certaminibus, quæ instar Olympiadû græcarum instituta fuerunt, publicè ac tota inspectante ferè Germaniâ, gravi infamiâ notati fuerunt, ut, quos charitas Patriæ, atque Imperatoris auctoritas in officio non contineret, poenæ, & infamiæ metus à sceleribus deterreret.

XVIII. Erant quoque præscriptæ leges vestiariz, quibus luxui modus ponebatur, non licebat geltare vestem auro distinctam, neque togam sericam, aut cingulum sericum. Sicut etiam fæminis Nobilibus, quæ spectatum, & ad choreas aderant, vestium modus præscriptus erat. Quàm optandum esset, ut hodieum apud Nobiles vigerent hæ Leges præsertim in societatibus, & conversationibus.

XIX. Demum hæc exercitia Nobilium in abusum degenerare cæperunt, atque omnino tandem desinere ob has rationes. 1. Ob nimiam magnificentiam, quæ contra leges Torneamentorum invlavit, & sumptibus exhausti Nobiles. 2. Quia nonnulli honore indigni, & pænas meriti, propinquis, & sodalibus suis se munièrunt, honestasque Equestris disciplinæ leges, & statuta transgressi impunes abièrunt. 3. Quia in locum hastarum jam sclopeta, & bombardæ successerunt. 4. Quia res non erat sine periculo, & plures hinc inde cædes oriebantur, & quas plures molestias numerat *cit. Knipschilt n. 59.* nam in Torneamento 23. viginti sex una clade perierunt. Sic & periit Ludovicus Ludovici Severi Electoris Palatini & Ducis Bavariz Filius Norinbergæ anno 1287. Cattimelibocus Basileæ 1316. Joannes Marchio Brandenburgensis cognomento Pragensis. Primislaus Dux Megalopolitanus. Hermannus Marchio Veltburgensis, & Henricus II. Rex Galliz, is in torneamentis (ut refert Gonzalez n. 7.) quæ ad pacem cum Philippo II. Hispaniarum Rege recens initam, Nuptiasque hujus, & Elisabethæ Filiz cognomento Pacificæ celebrandas edidit, postquam plures hastas feliciter ruperat, dum ad ultimam mitteret manum cum Comite de Montgomery satellitum suorum Duce congregiendi, lancea adversarij loricâ ictu vehementi percussâ, fragmen scissum capitis intravit & oculo dextro laucius intra 10. dies occubuit non sinè magno utriusque regni totiùsque Reipublicæ Christianæ mœrore.

XX. Torneamenta autem ejusmodi in

Germania celebrata vulgò recensentur 36. quæ ex ordine recenset Knipschilt; veluti 1. Magdeburgi ab Henrico I. Aucope Imperatore Anno Christi 930: 2. Rotenburgi ad Tuberim à Conrado Duce Francorum Anno 942. & sic deinceps usque ad Wormatiense celebratum Anno 1487. de quibus latè agit liber Torneamentorum *Das Turnier-Buch* impressus Anno 1530. sub Carolo V. ejusque privilegio; in quo & Nomina Nobilium, qui intererant, & ritus, qui observabantur, exponuntur.

XXI. Ex quibus Torneamentis Nobiles moderni antiquitatem stemmatum metiuntur, & probant, si ad ea tempora se extendat eorum Nobilitas, ut è Familia sua quispiam tanquam Nobilis in torneamentis steterit. Quamvis quidam Politici, & Historici moderno tempore, teste Befoldo *thesaur. pract. ut. T. num. 46.* hunc Librum torneamentorum non quidem ratione ipsorum hastiludiorum, sed ratione circumstantiarum aliquarum, quasi Confictæ forent, pro suspecto, & non sufficientis fidei habeant.

## S. II.

### De agitatione taurorum, & ferarum.

1. *Licita est, si absit periculum cædis vulnerum &c. n. 1. & seqq.*
2. *Late censura. n. 2. 3.*
3. *Quid de funambulis. n. 9.*

I. Torneamentis affinis est agitatio taurorum in Hispanijs usitata, ubi solent esse publica spectacula, in quibus tauri intra circulum agitantur, & efferantur. Azor *partie 3. lib. 2. Capit. 15.* de quibus spectaculis

II. Q. 1. An sint licita? R. Sicut priùs responsum est de torneamentis. 1. Si temerè instituantur, ut ex ijs frequenter soleant accidere cædes, aut gravia hominum vulnera, illicita sunt; & graviter peccaminosa. Azor *loc. cit. Gonzalez ad c. 2. de Torneament. n. 7.* Barbosa. *ad C. 1. eodem. Vallens eadem rubricâ* quod probatur ex *Bulla Pij V. editâ anno 1567.* & extat apud Martinum Azpilcuetam Doctorem Navarrum *som. 3. cap. 15. n. 19.* ubi 1. Regibus, & Principibus, communitatibus, ac Rebus-publicis christianis sub poena Excommunicationis ipso facto incurrenda prohibetur, ne in suis ditionibus hujusmodi spectacula fi-

eri

eri permittant, ubi taurorum, ferarumque agitationes exercentur. 2. Militibus, aliisque personis interdicitur, ne cum tauris, aliisque bestiis in ejusmodi spectaculis ipsi tam pedestres, quam equestres congregari audeant, quòd si verò quis eorum ibi mortuus fuerit, Ecclesiasticà careat sepulturà. 3. Specialiter quoque clericis tam regularibus, quam secularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris ordinibus constitutis prohibetur sub pœna excommunicationis, ne iisdem spectaculis intersint. 4. Omnes obligationes, juramenta, vota, à quibuscunque personis, universitate, vel Collegio de hujusmodi taurorum agitatione, etiam (ut ipsi falsò arbitrantur) in honorem Sanctorum, seu quarumvis Ecclesiarum solennitatem, & festivitatem (quæ Divinis laudibus, spirituakibus gaudijs, & pijs operibus, non ejusmodi ludis celebrari, & honorari debent) facta aut facienda prohibentur, cassantur.

III. Censuras contra Principes, & Laicos latus postea Gregor. XIII. sustulit, adhibitis duabus conditionibus, scilicet. 1. Ut ejusmodi agitationes taurorum non fiant diebus festis. 2. Ut non fiant, nisi providum sit per eos ad quos spectabit, ut exinde alicujus mors sequi non possit, & Clemens VIII. sub iisdem conditionibus eas censuras amovit quoad omnes in ea Bulla expressos (exceptis Monachis, & Fratribus mendicantibus, cæterisque regularibus) illam ad terminos Juris communis reducendo, non tamè illi derogando. Ut habet Aug. Barbosa ad C. 1. de torneâ. n. 4. & 5. Hinc

IV. R. 2. Si ejusmodi agitationes Taurorum vel aliarum ferarum imitentur non temerè, sed cum debitâ cautelâ, ut probabiliter credi possit, exinde non consecutura esse notabilia nocumenta personarum, puta mortes, vulnera, ossium rupturas, & ad genus alia, licita erunt. Navarrus n. 21.

V. Videmus enim, inquit cit. Doctor, ubique, etiam in urbe, passim agitari tauros, boves, & bubalos chordis longis pedes, vel cornua ligatos etiam per medios calles, transitu hominum frequentes, quod tamen etiam post prædictam Pij V. Extravagantem nemo damnat, quamvis aliquando contingat notabile nocumentum. Imò quot annis in carnis privio solennis cursus equorum, bubalorum, equarum, ac asinorum, bravij præventi propositis, in urbe celebratur, quamvis casu insidentium, & occurru eorundem non nunquam prædicta mala contingant.

VI. Econtra meritò prohibita est hæc

Taurorum agitatio temerè facta, quemadmodum de Torneamentis dictum; de quibus cit. Navarrus n. 18. refert, se adhuc puerum vidisse duos, aut tres homines à quodam tauro feroci immaniter dilantari; & statui, inquit, nunquam amplius eorum agitationis spectaculo interesse, neque amplius interfui, nisi semel Salmanticae ad id coactus vi muneris decanatus, & patronatus, quo in quodam viro doctissimo ad doctoratus provehendo de more tunc fungebar, ubi Dei gratiâ nullum detrimentum fuit acceptum.

VII. In Gallia autem teste cit. D. non solent sic agitari: cujus rei causa non est, quam quidem existimant, scilicet quòd sint cicures & mansueti: nostra enim ætate, inquit, Tholosa quædam vacca, quam prædives quidam Burgensis Hispanico more agitare fecit, ipsum, ascensis aliquot scalarum gradibus, interfecit.

VIII. Ex dictis infert cit. Navar. n. 21. etiam ante constitutionem Pij V. damnandum fuisse studium illud, quo multi Magnates Hispani quærebant, & conservabant ferocissimos tauros, qui ante in circis agitati aliquos occidissent, & judicium illud crudele, quo iidem, & alij ferè omnes judicabant, spectacula taurorum prædicta, in quibus nulli occiderentur, vel vulnerarentur, esse frigida, & insipida, & vituperiò digna.

IX. Melius arbitratur cit. Auctor fore, loco cruentorum hominum spectaculorum alijs arti ludis, quibus Gallia, quæ, inquit, usque Hispaniâ hilarior videtur, ad hilarandam populum & publicam lætitiâ significandam meo tempore uti solebat, puta supplicationibus publicis, hastiludis equitum, vel pedum pugnis umbratilibus ad versus dracones fictos, vel effigies hominum armatas, qua se percutientes in uno brachio repercutiunt altero, exercitio arcuum, balistarum, scloporum, pileæ, lucta, cursus, globorum ligneorum tum manu, tum clavâ, vel malleo impulsorum, & alijs id genus exercitijs, quibus homines non solum recreantur, sed etiam ad bella, & alias artes honestas habiliores redduntur.

X. Notat tandem Azor cit. parte 3. lib. 2. cap. 16. in fine ex Sylvestro v. Ars. q. 8. peccare mortaliter utentes aliquo alio ejusmodi ludo cum probabili periculo vitæ suæ, quales sunt Funambuli, qui super funes in altissimis locis corpus huc, atque illuc volutant; nisi quando Funambulus ita viribus & dexteritate, ac exercitatione pollet, ut probabile sit, non inde secuturam mortem; aut locus non est adeò altus.

DICÆ-



*Eugenius Victor in Belgia*

*Prælium ad Morsart*

Franci vocabant apertam similitudinem, qua unus alteri, vel pluribus bellum, aut inimicitias denuntiat. Alij à Gallico *desier*, quod provocare significat, derivant. Ne autem in expositione nominis diutius hæteamus, vide sis Wagnereck. *in ca. 1. de homicid. in 6.* Wehner: *Obsei v. pract. V. Beschäden.* Præcium, Spiegelium *in Lexic. Jur. Rummelin. ad Bull. aur. cap. 17. thes. 1.* Gilhausen. *arb. Judic. Crim. cap. 2. tit. 8.* Besold *Theaur. pract. Lit. f. n. 18.*

## §. II.

### De Diffidatione Banni.

1. Bannum variè accipitur. n. 1.
2. Propria ejus acceptio: & diviso in bannum Ecclesiasticum, & Imperiale. n. 2. & 3.
3. Infigitur bannum Imperiale ab Imperatore pacis publicæ violatoribus. n. 4.
4. Etymologia banni à Germanis; ejus verò origo à Quiritibus. n. 5. & seqq.
5. Diffidatio banni est denuntiatio banni proprie accepti sive Ecclesiastici, sive imperialis. n. 9.
6. Hodie tres Classes Banni in Imperio. n. 10.

I. Quid sit Bannum? **Re. I.** Hæc non est dictio latina; Et accipitur variè. 1. Itali eos, qui ob delictum in exilium mittuntur, *bannitos*, seu *banditos* vocant; vulgò *die Banditen*: & *Sbandeggiare*, *bandire*, proscribere: *Sbandito*, vel *bandito* relegatum, proscriptum significat. Wehner. 2. In constitutione Friderici II. Imp. sub rubrica *de statutis, & consuetudinibus contra Ecclesie libertatem editis*, quæ in corpore Juris extat in *sine lib. feud.* bannum accipitur pro pœna pecuniaria. 3. Apud Germanos Judicium sanguinis sive criminale vocatur bannum Sanguinis, vulgò *der Blut-Bann*; & illius Judices *die Bann-Richter*. Unde sanguinis, sive criminali Judicio condemnatus non ineptè etiam *bannitus* dici potest, quod etiam moribus Italicorum receptum testatur Wehnerus. 4. Interdum bannum, seu *ban* significat *jurisdictionem territorij, & districtum*, sic dicimus *Zwang und Bann*; so weit man zwingen/oder gebieten/und zu verbieten hat. Besoldus. Et oppido, aut Castro concessio, etiam bannum, seu Jurisdictionem, & territorium intelligitur concessum: *Zwang und Bann*; und Gebiet. Rosenthal. *de feud. cap. 5. conclus. 6. n. 3.* Sic jus pascendi magis respicit fructus fundi, quam quòd pertineat ad *Zwang und Bann*; & aliquis jus pascendi in *eines andern Zwang/und Bann*; id est in alterius territorio, vel

districtu habere potest. 5. Interdum bannum accipitur pro publica proclamatione, sic *in ca. cum in sua 27. de sponsalibus, & ca. fin. de his qui matr. aruf. poss. banna* vocantur trinæ futuri matrimonij denuntiationes, quæ in Ecclesijs ex suggestu eduntur. 6. Legitur etiam *bannitum sejunium*, quod olim erat magnum jejunium, ad Dei bannum, seu pœnam, iramque avertendam susceptum ab ijs, qui se banno Divino dignos agnoscebant; servabatur ferè per triduum, iisdemque ferijs, quibus quatuor temporum jejunia, sed alijs hebdomatibus. Besoldus. Wehner. *thes. pract. lit. F. n. 6.* ubi meminit de *Heribanno, Heer, Bann*; seu vocatione ad castra, vel exercitum, Germanis enim exercitus dicitur *Heer*. plura vide apud Besoldum.

II. **Re. 2.** Propriè bannum est *proscriptio*; & *banniti proscripti* dicuntur. Gaill. *lib. 2. pac. publ. cap. 1. n. 16.* Besold. Wehner.

III. Hoc sensu acceptum bannum Dividitur in Ecclesiasticum, & Imperiale. *Bannum Ecclesiasticum*, seu Pontificium est *proscriptio ex Ecclesia, seu Excommunicatio*, quâ per censuram Ecclesiasticam alicui Communionem Ecclesiæ, & fidelium interdicitur, & dicitur esse *im Bann*; id est in excommunicatione. Infigitur hæc proscriptio banni Ecclesiastici *Communicibus*; juxta illud Christi *Matthæ. 18. v. 17.* *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, & eâ affectus privatur omni etiam civili Communicatione fidelium, ita ut ipsi fideles non possint communicare, idque in casibus noto illo versiculo comprehensis.

*Os, orare, vale, Communio, mensa negatur.* De qua videri possunt Theologi morales, & Canonistæ.

*Bannum Imperiale est proscriptio ex Imperio*, qua per censuram Judicalem alicui aquâ, & igni in Romano Imperio interdicitur, ita, ut à nemine in Clientelam, fidem, & amicitiam recipi, ab omnibus verò impunè tam in persona, quam in rebus offendi possit. Gaill. *cit. n. 16. latine*, inquit, *bannitus rectè appellatur, cui aquâ, & igni interdicitur, & alicui aquâ, & igni interdicare nihil aliud est, quam cum bannire.* *Einen in die Acht/ oder Bann thun: einem Wasser und Band verbieten: einen von Gemeinschaft und Brauch Wassers und Feurs bannen.*

IV. Infigitur hæc banni Imperialis proscriptio violatoribus pacis publicæ. Item decernitur etiam contra contumaces. Gaill. *cit. l. 2. cap. 5.* Ejus pœnam (ut Wehnerus loqui-

loquitur) nemo, nisi solus Imperator, eoque absente Rex Romanorum, vel Camera Imperialis irrogare potest. Inferiores autem Principes, & Magistratus non *banno*, sed *relegationibus*, aliisque poenis Juris utuntur, quæ ultra eorum territoria non extenduntur, quia eorum Jurisdictio territorio limitatur, at bannum Imperiale, quod à Cæsare, vel suæ Majestatis nomine à Camera Imp. irrogatur, *generale est, propter universalem Cæsaris Jurisdictionem*, quam in omnes omnium ordinum personas cujuscunque dignitatis, & Excellentiae ex æquo habet, ita ut ab Imperatore bannitus des *S. Reichs Aechter* / ubique terrarum in Imperio pro bannito reputetur, & ab omnibus tanquam communis hostis impunè offendi possit. hæc Wehnerus *per text. in L. de præcatio ff. ad L. Rhod. de jact. L. bene à Zenone C. de quadrienni præscript. gl. ibi in v. omni.*

V. Q. 2. Quæ sit Etymologia Banni? &c. de ea extant variae opiniones, genuina tamen ratio illius latet, ut ipse Gaillius postquam *L. 2. de pace publica cap. 1.* sollicitè in hanc Etymologiam inquisivisset, fatetur, & quoad Germanos cum Wehnero derivat à vocabulo *Bann* / quod viam publicam, & territorium significat, *eingebahnter Weg*; quod banniti amittant *bannum*, hoc est, *territorium*, & viam publicam, sive regiam, id est, libertatem, & rerum communium æqualem omnibus concessum usum; *das sie des S. Reichs Bahn und Straßen nit gebrauchen dürfen* / hoc est, quod territorio, & viâ publicâ Imperij, quæ omnibus communis esse debet, uti nequeant; nam omnes ditiones per S. Imperium ab Imperatore dependent partim mediatè, partim immediate, viamque publicam de Regalibus esse constat *per text. c. 1. qua sunt Regalia in usibus feud. & ideo, cum Jurisdictio Cæsaris per totum Imperium universalis sit. L. à Zeno. 9. ff. ad L. Rhod. de jact. L. bene à Zenone. C. de quadrienni præscriptione*, ubique locorum securitatem viæ publicæ, Commerciorum, & Comendi amittit bannitus, cum aliàs via publica communis omnium sit. ita Gaill.

VI. Besoldus v. notat, quod *Bannum* propriè sit Pontificis quasi *Band*; cum ipsius sit solvere, & ligare. Proscriptio verò die *Acht* Imperatoris, & quod *Acht* à *πὸ τῆ ἀγῶν*; *Achte* verò à *πὸ τῆ ἀγῶν*, hoc est, aquæ & ignis interdictione per corruptionem à germanis derivata fuerit; amant enim germani peregrina verba in suam linguam imiscere, & ad ejus normam contorquere. Ita Besoldus addens:

dubio omni caret, quin pura pura sit vox germanica bannum: quamvis alij aliunde derivent, sed plura, qui cupit videat cit. Gaill.

VII. Q. 3. Unde originem sumpserit bannum? &c. à Quiritibus; antiquitè enim Jure Quiritum, neque libertatem, neque civitatem amittere quisquam poterat invitus; atque ita nec civitate extrudi, neque ultimo supplicio affici cives noxij poterant: quorum tamen peccata impunita non relinqui, cum disciplinæ vigor postularet, inventa est ratio, qua, salvis majorum constitutionibus, civitate tamen pellerentur; nimirum institutum est, ut talibus *aquâ, & igne interdiceretur*, ut his subsidijs, quibus vita humana carere non potest, destituti cogentur in alias terras migrare, sèque in aliam civitatem conferre; in quam recepti hoc ipso Romanam civitatem amittebant, quod duarum civitatum eos esse cives æquè Romanorum instituta non paterentur; hoc ergò consilio duobus istis elementis, sine quibus vita foveri non potest, interdicebantur. Atque hæc poena antiquis legibus, nulla exilij facta mentione, irrogabatur, mansitque ejus usus usque ad Imperatorum tempora: in cujus locum deinde deportatio reorum in insulas, quas varias armis devictas Romani sibi adjecerant, successit, qui deportati sic habebantur, quasi aquâ & igne interdicti essent, ut vetusti moris umbra retineretur. Besoldus. Gaillius &c.

VIII. Cum verò provinciarum numerus sub Imperio Romano in angustum redigeretur, sublata deportatione, perventum est ad proscriptionem, quæ dicitur *bannum*, seu *excommunicatio Imperialis*, cui, qui subjecti sunt, Romani cives esse desinunt, & communes omnium hostes efficiuntur, & non secus atque avis in aère (*Boglfrey*) impunè à bannientis Jurisdictioni subjectis occidi queunt, occisorque (si debitâ intentione boni publici causâ, non ex aversione, inimicitia &c. occidat) nullum delictum admittit: unde banniti nostro tempore deteriore sunt loco, quàm olim ij, quibus aquâ, & igni interdictum erat. De sententia, effectibus, & alijs, quæ in bannis concurrunt, videtis Gaill. Wehner &c.

IX. Diffidatio ergo banni est denuntiatio banni *propriè accepti*, sive *Ecclesiastici*; qua quis ab Ecclesia diffidatur, & ex Ecclesiæ gremio eicitur per *excommunicationem*; sive *Imperialis*, qua quis *ab Imperio diffidatur*, & ex Imperij gremio eicitur *per proscriptionem*: Sicut enim diffidati *per excommunicationem* des-



desinunt esse membra Ecclesiæ, sunt positi extra communionem fidelium, & habentur pro mortuis, cum quibus nulla debet esse conversatio, nullum hospitalitatis, & benevolentiae officium: sic diffidati per *proscriptionem* desinunt esse membra Imperij, sunt positi extra protectionem, fidem, & clientelam Imperij, reputantur pro mortuis, pro hostibus, transfugis, & rebellibus (unde nonnulli volunt germanicum *Nechter* venire à græco *ἐχθρός*, hostis inimicus) quos nemo urbe, hospitio, mensâ recipere potest. Et sicut excommunicati dicuntur *execrandi*, ac *detestandi*; sic & banniti, quorum capita dicuntur *sacra*, id est, execranda; nam antiqui homines execrandos, & detestandos *sacros* vocabant, qui ob maleficium judicati essent, & quibus sacris interdicebatur. Gaill. *cit. L. 2. cap. 1. n. 26. & n. 10.*

Et hac ratione Fridericus II. *Imper. in cit. constit. de statut. contra Ecclesie libertatem §. 5. omnes hereticos*, inquit, *utriusque sexus perpetuâ damnamus infamiam, diffidamus, atque bannimus.* Et Bonifacius VIII. *in ca. felicitis recordationis de pœnis in 6. si quis deinceps*, inquit, *in hoc sacrilegy genus irrepserit, quod S. R. E. Cardinalem fuerit hostiliter infecutus, vel percusserit, aut ceperit &c. sicut reus criminis Laesa Majestatis perpetuò sit infamis, diffidatus nihilominus, & bannitus.* Quando autem in aliqua constitutione Pontificis *diffidatio*, & *excommunicatio* simul ponuntur, *diffidatio* videtur accipienda *pro proscriptione*, si subjecta materia patiat. Sic famosus est textus in *ca. 1. de homicidio in 6.*

X. Hodie tres classes Banni in Imperio refert Wehnerus V. *Ucht.* 1. Classis est *banni Camera Imperialis*, & valet instar banni ipsius Imperatoris. *Die Hofacht genennet.* Atque ita bannitus per totum Imperium perdit omnia Jura, & beneficia Imperij ubique locorum, non potest hæres institui, nullumque ei legatum relinqui. 2. Classis *banni Dicasterij Rottvivilensis, desß Kayserlichen Hofgerichts zu Rottvivil.* Sed hujus effectus se non extendit extra districtum Dicasterij, unde talis bannitus, seu diffidatus extra illud territorium, alibi e. g. Moguntia, in Hassia, Saxonia &c. hæres instituti potest. 3. Classis *banni Westphalici*, cujus eadem est ratio, quæ banni Rottvivilani. Hæc ille.

### §. III.

#### De Assassinis.

1. *Qui sint Assassini. n. 2.*

2. *Per Assassinos infideles olim multi Christiani Principes occisi. n. 3.*
3. *Astus Regis Assassinorum, quo parvulos à pueritia ad Assassinatum induxit. n. 4.*
4. *Assassinorum infidelium operâ Christiani usi sunt ad occidendos suos inimicos. n. 5.*
5. *Quos feriant pœne in ca. 1. de homicid. in 6. statute. n. 6. & seqq.*

I. Inter diffidatos Jure Canonico sunt assassini, de quibus, ut dictum, famosus est textus in *Ca. 2. de homicidio in 6.* ubi Innocentius IV. *in Concil. General. Lugdun.* statuit, *ut, quicumque Princeps, Prælatas, seu quævis alia Ecclesiastica, Sacularisve persona quempiam Christianorum per assassinos interficere fecerit, vel mandaverit &c., is sententiam excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio ipso actu incurrat; sit etiam cum suis mundanis omnibus tanquam Christianæ Religionis amulus à toto populo Christiano perpetuò diffidatus.* Quam diffidationis pœnam D. D. ita accipiunt, ut diffidatus à quocunque occidi possit. Covaruv. *variar. resolut. Lib. 2. C. 20. n. 10. v. 3.* Aug. Barbosa in *cit. c. n. 19.* Pirhing *L. 5. tit. 12. n. 26.* hæc ut ritè intelligantur

II. Q. I. *Qui sint assassini?* R. Solet nomen assassini tripliciter sumi. 1. Pro quodam infidelium Saracenorum genere, quorum operâ nuncnulli Christiani utebantur ad alios Christianos proditoriè occidendum. 2. Pro illis hominibus, quicumque sint, sive fideles, sive infideles, qui hominem per insidias incautam, & nihil tale suspicantem occidunt pretio ad hoc conducti. 3. Pro illis, qui in publicis viis obsident homines, & deprædantur. Pax Jordanus *elucubrat. divers. Lib. 11. tit. 3. n. 150. & seqq.*

Fuere autem Assassini quidam populi infideles in Syria sub Principe pariter infideli, à quo ita edocti, & instructi sunt, ut, quos ille occidi jussisset, mandato obsequentes audacter occiderent; atque arbitrarentur, mortem ex hoc non esse timendam; nec ullam pœnam ob hoc crimen se passuros post obitum. Covaruv. *10. cit. n. 10.* Suar. *de censur. disput. 23. sect. 4. n. 46.* Sylvester *v. Assassini.* Nam eorum Religio, & præcipuum dogma erat, ut observarent Principis sui nutus, & Imperia in truciandis ejus inimicis, ac præcipuè in occidendis Principibus, ac Magnatibus Christianis: hujusmodi sanquinolenta Imperia si exquerentur, credebant, se, si facinus tentarent, fore beatos, vel in hac vita, vel si cædem tentantes occumberent, in altera Wiestner

ner *Lib. 5. Decretal. tit. 12. n. 147. Haun. de I. & l. tom. 6. tract. 1. n. 221.*

III. Atque per ejusmodi Assassinos multi Christiani Principes olim occisi sunt, ut habet Sylvester ex Hostiens. & Arfacidos horum assassinatorum Princeps quosdam horum Assassinatorum ex oriente in Gallias usque miserat pecuniâ acceptâ, ut Regem Divum Ludovicum occiderent, sicut historici quidam scripsere apud Covaruviam. Et apud Wiestner. Rainaldus. ad *Annum Christi 1736. n. 46.*

IV. Ferunt, Regem Assassinatorum parvulos à pueritia ad parendum sibi, & mortem etiam atrocissimam contemnendam hoc artu instruxisse: quos deprehenderat suis consiliis idoneos, eos propinato quodam poculo sic alto somno obruebat, ut nihil sentientes, in amoenissimum quoddam palatium deferri juberet, ac deponi; expergefatis proponebantur omnis generis deliciae, quas omnium suavissimas arbitraretur, quicumque solius corporis voluptates nôsset, quibus ita degustatis, cum eodem, quo prius, medicamento sopiti essent, in eum, quo reperti fuerant, locum referebantur. Evigilantibus Rex persuadebat, in cælum abductos delicias illas percipisse, quibus æternum fruerentur, si morte contempta sibi obtemperare auderent. Engelgrave in *Panth. festo S. Lucae.*

V. Factum postea, ut & Christiani horum Assassinatorum infidelium operâ uterentur, & per eos pecuniâ conductos occiderent suos inimicos, ita, ut nonnulli Magnates taliter perimi formidantes coacti fuerint securitatem ab eorundem Assassinatorum Domino impetrare, sicque ab eo non absque Christianæ dignitatis opprobrio redimere quodammodo vitam suam, ut dicitur in *cit. ca. 1. de homicid. in 6.*

VI. Q. 2. Quos feriant Diffidatio, & alia pœnæ in dict. ca. fulminatae? R. Duplex est sententia, uti videre est apud Covaruv. *var. resol. lib. 2. cap. 20. n. 9. & 10. 1.* Asserit, eam constitutionem locum habere in omnibus, qui aliquem hominem Christianum mandant occidi per homicidas, etiam Christianos pecuniâ ad id conductos; ut ad eod tam mandans, quam mandatarius has pœnas incurrant: cum gravissimum crimen sit alterum incautum sic occidere; & alioquin etiam is, qui potum causâ abortionis dederit, secutusque fuerit abortus *infantis jam animati*, pœnâ mortis puniendus sit per *L. pen. C. de ficar. L. Divus ff. de extraordin. crim.* Altera senten-

tia asserit, tunc tantum eam constitutionem locum habere, ubi quis aliquem Christianum occidit *operâ assassini infidelis è gente assassinia conducti*, aliàs verò, ubi *conductus homicida fidelis est*, & non è gente assassinia, mandantem non esse Canonis illius excommunicatione affectum, nec diffidatum, & exbannitum, atque publicum hostem existimandum: ratio desumitur ex serie contextus *cit. ca. & verbis præsertim cum nonnulli Magnates taliter perimi formidantes coacti fuerint securitatem ab eorundem Assassinatorum Domino impetrare.* Ex quibus verbis patet, Pontificem de Assassino è gente assassinia conducto loqui. Ita Covaruvias *loc. cit.* prior sententia teste Covaruv. est communis: posterior verò est magis textui conformis. Ex qua

VII. Infert cit Covaruv. 1. Solum mandantem, qui Christianus est, incurrere has pœnas, non verò *mandatarium*, qui Assassinus infidelis sit, & Ecclesiæ non subjectus. Infert 2. Ut incuratur, debere illū, qui operâ assassini occisus est, *Christianum fuisse*, ut in *ca.* dicitur, quod ideo ab Ecclesia exigitur, quia gravem ignominiam Christianæ reipublicæ fieri existimavit, si Catholici operâ, & ministerio infidelium occiderentur. Consentiant Sinar. *de censuris disp. 23. sect. 4. n. 46.* Pirhing. *l. 5. tit. 12. n. 25.* Infert 3. Tantum illum privari libertate Ecclesiastica alyli, qui Commiserit crimen assassiniij strictè dictum juxta datam explicationem. Verum hoc non procedit post Bullam Gregorij XIV. *Roma editam anno 5591.* qua *assassini* eos alylo privat; nam cum eo tempore illud assassinatorum genusex Assyria non amplius vexaverit Christianos, & de ipsis eo seculo nihil constet, Censendus est Greg. Assassinos sumpsisse non eo sensu, quo eos Innoc. IV. qui constitutionem ejus capituli in *Conclio Lugdun. edidit anno 1245.* ad eodque *3450 annis ante Greg.* Cardinalis de Laurea in *epit. tom. Canon.* sed eo sensu, quo hodierno vocabulo *Assassini* dicuntur quicumque sive fideles, sive infideles, qui pretio conducti Christianum occidunt (ut sicarij in Italia, qui *gl. bravi* vocantur) aut occidi mandant. Wiestner *l. 5. tit. 12. n. 148.* Haun. *tom. 6. de I. & l. 17. 1. n. 221.* & Communis DD. nostro tempore.

VIII. Si petas, an pœna isthæc Diffidationis stringat etiam *fideles seculares*, qui Pontifici subjecti non sunt quoad temporalem Jurisdictionem? R. det. cit. Covaruv. *Affirmative.*

Nam licet, inquit, *Iurisdicctio secularis* ab Ecclesiastica distincta sit. *ca. novis. de Iudic. ca. causam 7. qui filij sint legitimi & can. Regum 23. q. 5.* potuit tamen summus Pontifex eam constitutionem edere *nominatim contra laicos* ex eo, quod hoc crimen sit *admodum atrox, enorme, & Christianæ Religionis perniciosum*, siquidem operâ infidelium passim occidebantur fideles in ignominiam Christianæ Reipublicæ: nec mirum, ita à Rom. Pontifice statutum fuisse contra laicos hoc crimen Assassiniij Committentis, quandoquidem, licet *pronuntiatione & Iudiciali sententia* Princeps Ecclesiasticus pœnam mortis non inferat. *ca. per venerabilem qui filij sint legitimi ad finem; legem tamen statuendo eam potest infligere, ut Bald. notat in ca. 2. de Majorit.* cui accedit Joan. Bernard. *in pract. capit. 56.* quo in loco addit, posse clericum absque metu irregularitatis consulere Principi, ut pro certo crimine mortis pœnam lege statuatur, etiamsi postmodum ex tali lege mors sequatur. Hæc Covaruv.

IX. Quod autem cit. D. inferat, huiusmodi mandantem occidi Christianum per Assassinum ipso factò amittere privilegium Clericale, si Sacerdos sit, hæc non admittit Suar. *loc. cit.* sed opinatur, eum non amittere tale privilegium usque ad degradationem realem: videatur de hoc Barbosa *in cit. ca. 1. de homicid. in 6.* Fagnanus *in ca. cum non ab homine 10. de Indicij n. 72. & seqq.* neque enim hæc ulterius examinare vacat, sufficit ostendisse, gravissimum Scelus esse uti ejusmodi sicarijs constitutis, & per eos inimicum occidere; quod Scelus præsertim abominandum in bellis, quæ publicâ auctoritate geruntur, in quibus ejusmodi occultos Sicarios, emissarios, incendiarios emittere, ut veneno, incendijs, insidijs hostem impetant, & probrosum, & contra jus gentium, ac naturæ est.

#### §. IV.

### De Diffidatione belli privati.

1. *Quid sit Diffidatio belli privati? n. 1.*
2. *Grassabantur Diffidationes hæc anterioribus secularis per Germaniam & Galliam. n. 2.*
3. *Permittuntur in Bulla Aurea, si certas Conditiones habent. n. 3.*
4. *Eliminantur per Recessus Imperij tanquam fractio pacis publicæ, & in Diffidatores, eorumque Complices decoeritur pœna Banni. n. 4. & seqq.*
5. *Quid de illis dicendum, qui signa diffidatoria, scopos, titiones, Carbones &c. suspendunt. n. 7.*
6. *Quomodo differant Diffidationes à minis, n. 8.*

I. Q. 1. Quid sit Diffidatio belli privati? R. Est Denuntiatio inimicitæ inter eos, qui Superiorem in terris habent, sed spretâ hujus, & Legum auctoritate proprio impetu in arma ruunt sua manu sibi jus quærentes (gebrauchen sich des Faust-Rechts) extremam alteri persecutionem ad bona, vitam, Corpus, & sanguinẽ denuntiantes. Dicitur potest *bellum privatum* quia speciẽ belli præfert: propriè tamen bellum non est, ut in sequentibus dicitur. Diffidatores igitur hoc sensu dicuntur illi, qui non contenti ordinaria Juris cognitione, jus in manibus se habere putantes, spreta legum, & Magistratum auctoritate pro libidine sua, vi, & metu homines, ut voluntati suæ pareant, compellere conantur. Et hodie diffidare, einen beschâden/dicitur, wann einer einem absaget / oder ihme Feindschaft ankündet / oder Brand-Zeichen steckt / und ihn mit Raub / Brand / Mord zu beschâdigen antrohet / solches ist propriè für beschâden zu achten. *Addi. Ruemelin, in Bull. aur. Cap. 17. §. 2.*

II. Grassabatur anterioribus sæculis hæc pestis maximè per Germaniam, & Gallias, ubi consuetum erat Nobilibus inimicitias privatis armis persequi, & bellum sibi privatum indicere, atque hostem suum Diffidare ad bona, vitam, & sanguinem, quod impunè fiebat: hinc factum, ut, si quis unum ex propinquis adversarium haberet, plerumque eo ipso omnes haberet: nam si aliquis occisus, vulneratus, aut malè multatus à quopiam fuisset, continuo illius propinqui, affines, & amici advolabant, suam, & suorum injuriam armis, & Marte proprio vindicaturi, ut ita integræ familiæ contra se se in aciem procederent. Imò integræ Communitates Diffidabantur. *Recess. Imperij sub Ferdinando Augusto 1555. §. 40.* Aliquando tamen pace per amicos facta, vel etiam in Judicio secundum leges transigebatur, quo casu securitatis cautiones solebant interponi. Ex pacto etiam concedebantur ejusmodi Diffidationes, ut refert Besoldus *in thesaur. pract. lit. f. n. 18. ex certis actis*, quibus titulus. *Rurzer Beweis in Sachen/seyen contra Trier in Document. fol. 24.* ubi sequentia habentur. Und da wir hieran brüchig wurden / so mag Herr Valentin, oder seine Erben / mit Raub und Brand an die Grasschaft von Sayne greiffen / als lange / bis daß in diesem Brieff / und alle Punkten in diesem Brieff gânglichen gehalten werden / ohne alle Widersprache unser / und unser Erben.

Hæc prava consuetudo adedò invaluerat, ut nec Principis Imperio, nec legum auctoritate per

per 600, fermè annos aboleri potuerit. Quin imò legibus non omnino prohibebatur; sed tantum nimia licentia certis finibus coercita fuit. Befoldus. Et constat ex Bulla aurea Caroli IV. cap. 17. ubi dicitur; *Eos, qui de cetero adversus aliquos justam Diffidationis causam se habere fingentes, ipsos in locis, ubi domicilia non obtinent, aut ea Communiter non inhabitant, intempestivè diffidant, declaramus, damna quaecunque per incendia, spolia, vel rapinas Diffidatis ipsis cum suo honore inferre non posse: & quia fraus, & Dolus alicui patrocinari non debent, presentis constitutione in perpetuum valitura Sancimus, diffidationes ejusmodi, quibuscunque Dominis, aut personis, cum quibus aliqui fuerint in Societate, familiaritate, vel honesta quavis amicitia conversati, sic factas, vel fiendas in posterum non valere nec licere praetextu Diffidationis cujuslibet quempiam invadi per incendia, spolia, rapinas; nisi Diffidatio per tres Dies naturales ipsi diffidando personaliter, vel in loco, quo habitare consueverit, publicè fuerit intimata, postisque de intimatione hujusmodi per testes idoneos fieri plena fides. Quisquis secus quempiam Diffidare, vel invadere modo praemisso praesumpserit, infamiam eo ipso incurrat, ac si nulla diffidatio facta esset: quem etiam tanquam proditorem per quoscunque Iudices pœnis legalibus statuimus castigari: hactenus bulla aurea. Ex quibus liquet, permissas Jure Cæsareo fuisse Diffidationes, si certas suas solemnitates haberent, quæ in his 4. Conditionibus consistebant. 1. *Vt esset causa Diffidationis, eaque non fieret ex fraude, & dolo.* 2. *Ut ea non fieret intempestivè in loco, ubi diffidans domicilium non haberet, aut illud non inhabitaret.* 3. *Vt Diffidatio tri-duo ante invasionem publicè intimaretur diffidando vel personaliter, vel in loco, in quo is habitare consueverat, ad modum, ut in bello publico prærequiritur denunciatio.* 4. *Vt de intimatione hac per testes idoneos plena fides, & probatio haberetur, quæ fiebat vel per ipsum nuntium adhuc superstitem, qui Jurare tenebatur, quòd læso contradixerit ex parte domini sui, vel, mortuo nuntio, per ipsum Dominum similiter jurantem junctis sibi duobus viris veracibus. Ut habet Rümelinus ex constitutione Friderici I. promulgata Norimberga anno 1187.**

III. Expediebatur autem diffidatio vel propria voce, vel literis diffidatorijs. Exemplum refert additio Rümelini de quodam, qui civitati Imperiali diffidationem annuntiat litoris hujus tenoris: *Dietweil sie sich mit ihm mit vertragen/ so wolte er ihnen abgefagt*

haben; jedoch noch in dreyen Tagen einer besseren Antwort gewärtig seyn/ und mitler Zeit still stehen.

IV. Tandem verò per pacem publicam in Comitibus VVormatiensibus Anno 1495. factam articulo. 2. & 3. Maximilianus Imperator pestem hanc sustulit, diffidationes banno subjecit, & proscripsit ex Imperio. Quam Maximiliani constitutionem postea stabilivit Carolus V. in Comitibus VVarmatiensibus Anno 1521. in der Ordnung des Land: Fridens art. 1. & 2. & in Comitibus Augustanis Anno 1548. in dem Kayserlichen Land: Friden art. 1. 2. & 3. Ferdinand. Imp. in recessibus Imperij Augustæ 1555. §. 45. & seqq.

V. Q. 2. An diffidatio hæc sit species fractæ pacis? R. Assertivè R. sio constat ex cit. constitutionibus Imperij. Berlichius *conclus. pract. parte 4. conclus. 21. n. 2.* Wehner *pract. observat. v. Befehden: Gilhausen arbor. Judic. crim. cap. 2. tit. 8. n. 3.* quia Diffidationes ansam præbent omnis generis conspirationibus, conventiculis, dissidijs, bellis, rapinis, multisque modis publicam perturbant tranquillitatem: Pax enim publica turbatur non tantum per vim præsentem, & armis, quibus actu decertatur, sed etiam per molitiones, denuntiationes, hostiles conspirationes, nec non armis propediem expediendis. *Additio Rümelin. Thes. 4.*

Quòd, si quis velit requirere ad fractionem pacis vim armatam, & ideo Diffidationes à fractione pacis removere, quæstionem nominis facit: & Respondent. Berlich. & Gilhausen, Diffidationes pro tali specie fractæ pacis haberi, in qua non requiritur vis armata, sed sufficiat dolus, quod expressè habetur in recessu Augustano 1555. §. 48. & Pace August. 1548. §. 3.

Hinc in cit. Constitutione pacis publicæ Maximiliani, & Recessibus Imperij, quos n. 4. retulimus pœnæ violationis pacis publicæ in diffidatores decernuntur, ut ipso Jure in bannum incidant: & hostes Romani Imperij fiant; *Duo enim sunt genera hostium, quidam sunt hostes Jure belli: alij ob delictum, rebellionem, contumaciam &c. qui decreto senatus Romani judicantur hostes, ut olim Catilina, & Julius Cæsar, hodie illi, qui à Camera Imperiali in bannum declarantur, quorum capita sacra sunt.* jiquit Gaill. *Lib. 2. cap. 1. n. 22.* Et quidem cujuscunque dignitatis, aut conditionis illi diffidatores sint, si sæculares sint, incurrunt hanc pœnam, ut dicitur in Pace 1548. August. §. 3. *ibi.* Und ob jee mand Hochs/oder Niders weltlichen Stands ic.

per det / oder die wäiren ze. In *Nemesis Carolina Criminal. art. 129.* & in *Recessu August. 1555. §. 48.* qui post Carolinam editus est (nam illa in Comitibus tum Augustanis, tum Ratisbonensibus Anno 1530., & 2532. promulgata est) poena gladii in Diffidatores exprimitur.

VI. Dictæ poenæ imponuntur non solum ipsis diffidoribus, sed etiam eorum complicibus; item iis, qui literas diffidatorias diffidatori scribunt, aut concipiunt, quemadmodum Scriptores Libellorum famolorum (vulgo Pasquill, Pasquinata &c.) eadem poenâ puniuntur, quâ ipsi auctores, quæ itidem capitalis est, ut habet *parte. 5. conclus. 67. cit. Berlich*: Usque adeo, ut etiam Magistratus, qui ejusmodi Diffidatores receperit, tanquam violator pacis publicæ in poenam banni condemnentur. *recess. Imperij VVormat. 1521. & Augusta. 1555. videatur cit. Berlich. Conclus. 21. Rümelin. Thes. 4. Gilhausen &c.* Saluberrimas has esse constitutiones nemo non videt, quibus Imp. Augustissimi auctoritate sua diffidant banno, & poena Capitali improbos diffidatores, qui contra Jus, fasque sprete auctoritate Legum, & Principum ipsis à Deo, & Republica proposita proprio Marte suas volunt satiare vindicandi libidines, homines pacis, & quietis publicæ turbatores; repugnant enim diffidationes Legi Naturali, Evangelicæ honestati, & charitati Christianæ, perturbant Reipublicæ tranquillitatem; ideoque merito tanquam fons, & Scaturigo omnis malj à Republica eliminantur. Censetur item Diffidatio inter delicta atrocissima, quorum etiam conatus puniri solet, teste *Berlichio conclus. 21. n. 8. & habetur in cist. recessibus August. 1548. §. 3. & 1555. §. 48.* quare licet, si diffidator poeniteat, eamque, & literas diffidatorias revocet, antequam aliquid damni inde secutum sit, mitiori poenâ puniatur, ut vult *Rümelin Thes. 6.* id tamen locum duntaxat habebit, si poenituit, *quia perficere non voluit*; secus si poenituit, *quia perficere non potuit*, ut, quia primum diffidationi renuntiavit diffidator, postquam jam captus, aut in carcerem conjectus est. Ut vult *cit. Berlich.*

VII. Q. 3. Quid dicendum de illis, qui signa diffidatoria, & hostilia suspendunt, e.g. Scopas, Titiones, Carbones, & similia, quæ vulgò *Brandt, Zeichen* vocantur, quibus tantum detrimenti incendio se allaturos minitantur, ut ædificia pagorum combusta, & in cinerem redacta Scopis converti possint? & dent *cit. Berlich. Conclus. 21. n. 17. & seqq.* Rüm-

lin *Thes. 6.* hos ceu diffidatores gladio esse puniendos, *etiamsi minas illas non exequantur. Per textum ordinationis criminalis Caroli V. art. sic. 128. post medium.* Et quidem etiamsi ea signorum suspensio tantum ad unum incolam dirigatur; quia jam pax publica violatur, & toti communitati terror incutitur, unius enim domus incendium toti communitati nocere potest, adeoque diffidatio revera est. Intellige, si minas illas non exequantur, aut non executi sunt, *quia exequi non potuerunt à Magistratu comprehensi, vel alio casu impediti, secus si poenitentia ducti exequi noluerunt, sed eas revocaverunt, & diffidationi renuntiaverunt, tunc enim citt. Auctores conformiter ad prius dicta mitiori poenæ locum concedunt contra Welsenbec.* quod communis sententia censet, delinquentem, qui poenituit, *quia delictum perficere noluit, mitius puniendum esse.* Quæ de Jure communi contrarium disputari possunt ex *L. quisquis C. ad L. Jul. Majest. L. qui ea mente 65. ff. de furtis, & alijs &c.* JCtis relinquimus, videatur *Berlich. conclus. pract. part. 4. conclus. 21. & 22. Rümelin in Bull. aur. cap. 17. Thes. 1. & seqq. & alij ab his relati.* Hoc tamen verum semper est, quod talis diffidans, vel minitans teneatur ad resarcienda omnia damna, quæ ex hac causa secuta sunt.

VIII. Q. 4. Quomodo differant minæ à diffidationibus? &c. Differunt per hoc, quod minæ *Trotwort / privatum* tantum concernant, ut, si quis minetur alicui gladium, pugnam &c. diffidationes autem sonant in publicum, iisque pax publica violatur, & toti alicui communitati terror incutitur, sive ad unam, sive ad totam communitatem diffidatio dirigatur, ut, si quis uni tantum incendium minetur, cujus domus in villa, aut urbe alijs domibus vicina est, nam unius domus incendium toti communitati nocere potest, Econtra minæ sunt, si quis dicat: *me vindicabo in te: pugna-bo tecum &c. Ich will mich an dir rechnen / will dirs gedencken; will mit dir zu thuen haben: ich will mit dir ein Kugel wechseln / oder ich will dir ein Kugel für den Kopf schieffen / & similia.* *Berlich.* Aliter *Minator* dicitur, qui tantum turbationem infert, quæ ultra verba non extenditur, & ideo injuriarum tantum tenetur, non de vi, ut *ex ca. querelam 34. de elect. cum Welsenbec. Conclus. 33. n. 24.* tenet *Wehner.* licet verò mitius puniantur minæ; non tamen *Minatores* prorsus absolvendos, & abique ulla poena dimittendos, sed tamdiu in carcere detinendos vult *Berlich. donec*

donec sufficientem cautionem per Fidejussores, vel pignora de non offendendo præstent, licet sint mulieres, à quibus aliàs injustus metus inferri non præsumitur. Limitat præterea n. 17. si Minitator manserit in terminis simplicium minarum, secus, si minitationibus id etiam accesserit, ut post minas ædibus suis Minator excedens se conferat ad loca suspecta, & ijs se adjungat, à quibus receptatus ope, & auxilio juvetur; nam tunc, inquit, eorum minitationes non pro simplicibus minis habentur, sed in vim diffidationis abeunt, & ob id merito pœnâ gladij puniuntur. Idem tenet de his, qui ferrum, flammam, & quid simile alijs minantur, non absolute, sed sub conditione, si hoc vel illud non dederint, vel fecerint &c., & hos vult Diffidatoribus accensendos, & pœnæ gladij subjectos. Atque ex his patet, diffidationes has referre aliquam speciem belli, & aliquo modo bellum privatum dici posse; sunt enim quasi medium quidpiam inter bellum publicum, & monomachiam, à qua differunt, quod non omnis provocatio monomachiae sit diffidatio, sed tantum illa, qua turbatur pax publica, & ferè non uni tantum, sed toti alicui domui, aut familiae, ac omnibus ipsi adhærentibus inimicitiae privatae denuntiantur:

## S. V.

## De Diffidatione belli publici.

1. Quid sit Diffidatio belli publici? n. 1.
2. Ea debet bellum præcedere jure gentium, & nature. n. 2. & seqq.
3. Excipiuntur quidam casus. n. 7.
4. Quid, si periculum sit in mora. n. 8.
5. Princeps in possessionibus suis non potest bello invadi, nisi alter habeat jus certam. n. 8. & 9.
6. Quid si controversia est circa provinciam, vel Regnum in cujus possessione neuter bellantium est, sed quod vacavit morte alicujus tertij. n. 10. & seqq.
7. Bellum non licet inferre ob rationem statûs. n. 14.
8. Quid in Bello contra Rempublicam à membro, aut contra Superiorem suum Principem. n. 15.

I. Q. I. Quid sit Diffidatio belli publici? R. Est prævia ejus denuntiatio, quæ, antequam bellum suscipiatur, præcedere debet. Gaill. de pace publ. Lib. 1. cap. 4. num. 42, Lindenspirus in Bull. aur. tit. 14. Gilhausen in arbor. iud. Crim. cap. 8. n. 2. Apud Romanos dicebatur clarigeratio, quasi clara causa belli testatio Reinkingk. ex Liv. Et fiebat per Feciales, qui erant sacri Sacerdotes, pacis, & belli auctores, sine quorum præscitu bellum non

suscipiebatur; nam tardè bella, & nullâ licentiâ suscipiebant Romani, quòd bellum nullum, nisi pium putarent geri debere: priusquam indicerent bellum ijs, à quibus sibi injurias factas sciebant, Feciales Legatos quatuor repetitum mittebant, quos oratores vocabant. Varro aquæ Thef. lingu. Latin. Lugdun. impress. 1573. Feciales dicti sunt à ferendo, quòd belli, pacisque ferendæ apud eos jus esset. Spiegelius in Lexic. jur., qui rebus raptis per clarigerationem repetitis, denuntiationem belli faciebant signo ex arce monstrato, hastaque in fines hostium emissâ. Knipschilt ex Gellio. Ad ipsos pertinebat consultatio, Jurène gereretur aliquod bellum, nec ne? annot. Grot. Prolegom. §. 36. Et eorum officium erat, ne sinerent prius ad bellum deveniri, quàm spes omnis judicij obtinendi, & satisfactionis perijisset. ἢ ἐξ ἐπιφανέων πρώτων, ἢ πᾶσαν ἰλιπιδὰ διῆς ἀποροπήσαι. Grot. Lib. 2. cap. 23. § 8. de Jur. bell. east. nov.

Hodie non uno, sed varijs modis bellum indicitur: cujusmodi varias diffidationū formas passim est legere. In bello Smalcaldico Saxo, & Landgravius epistolam teli amensio alligatam per Adolescentem tubicine comitatum Casari in castra miserunt, bellum ei denuntiantes. Casar epistolam non accepit, latrones tamen incolentes à se dimisit, ut dicitur in Compositione pacis ICtorum Diling. 1629. impress. C. 3. q. 17. n. 9.

II. Q. 2. Quo Jure diffidatio bellum præcedere debeat? R. Præcedere debet Jure gentium, & Naturæ. De Jure gentium tenet Reinkingk. de regim. sacul. S. Imp. Romæ Lib. 2. class. 3. cap. 4. n. 15. aïens: apparatu, aliisque ad belli expeditionem pertinentibus diligenter procuratis, hosti bellum legitime denuntiandum more, & Jure gentium, non enim bellum censetur legitimum, nisi præcedat denuntiatio. Alber. Gentil. de Jur. bell. l. 2. C. 1. Gaill. de p. p. cap. 4. n. 41. & seqq.

Qui mos denuntiandi bellum & à Turcis servatur Knipschilt de Nobilit. Lib. 3. cap. 134. Reinkingk. loc. cit. ex Reicess. Imper. 1566. August. Bellum verò, quod omiſsa denuntiatione suscipitur, non bellum, sed latrocinium, & prædatio dicitur. ut habet cit. Knipschilt ex L. hostes 118. ff. de V. S. & L. hostes 24. ff. de captiv. & postum. revers. Can. 1. & 2. in fin. caus. 23. q. 2. Bocer. Lindenspir. Alber. gentil. &c. ita, ut in hostes captivos, qui omiſsa diffidatione bellū aggressi sunt, tanquàm in Latrones animadverti possit. cit. Lindenspir. Knipschilt, & alij. Quod Jus præten-

diffe Genevenfes, cum aliquot Sabaudos captos morti dederunt, qui noctu urbem Scalas ingressi erant scribunt citt. Linden. & Knipfch.

III. Debere autem diffidatione minimum tres dies præcedere bellum scribit Gilhausen *loc. cit.* Apud Romanos spatium 33. dierum inter belli denuntiationem, & ipsum bellum intercedebat, ut hostis quoque ad vim se parare posset, ut ex *Liv. lib. 1.* habet cit. Knipfchilt. *n. 141.* ubi: & ideo merito, inquit, imputatur Cyri factum, quo Armenia Regi bellum simul intulit, & indixit. Xenophon 2. instit. Cyri. Et Romanorum, qui tertium bellum Punicum momento indictum, & illatum gesserunt teste Appiano in Libycis. Erravit quoque Alexander M. pleraque bella non indicens, sed subito milite inferens, cui non incommodè Scythicus Legatus objecit: *Tu, qui gloriaris se ad latrones persequendos venire omnium gentium, quas adusti latro es.* Lindenpir. ex *RanZov.*

IV. Ratio responsionis est 1. Quia si permissum foret inter gentes, ut una alteram, contra quam se bello causam habere judicat, posset statim invadere, sine præmissa belli denuntiatione, qua prætentio alteri insinuat, & ab ea satisfactio petitur, si, inquam, hoc permissum foret, ingens inordinatio, & excelsus abusus exurgeret in genere humano, quod per varias Respublicas, quarum una ab altera non dependet, in terrarum orbe distinctum est; dum quælibet gens, si justam bellandi causam contra aliam se habere arbitraretur, satageret, eam ex improvise, & inopinatam obruere, ut emolumentum sibi præciperet futuri belli, & nunquam aliquis Princeps, vel Respublica tuta foret, ne ab alijs Principibus; vel Rebuspublicis, quæ prætentiones contra eam quædam haberent, ex improvise armis obrueretur, ubi fortè alio bello implicita esset, aut aliter ad resistendum minus expedita, vel impedita: atque via aperiretur innumeris astutijs, & fraudibus eorum, qui Machiavellica peste imbuti, nil nisi suum commodum spectarent, aliarum verò gentium incolumitatem, aut detrimentum pensi non haberent; sed jam huic, jam illi Republicæ minimè cogitanti, erga quas prætentiones, nescio quas, formare possent, subita invasione eriperent modò has modò illas Regiones, provincias, Urbes &c. quibus technis viam aperire planè videtur repugnare non solum *iuri gentium*, sed etiam *iuri natura*, & Charitati, quæ omnes gentes complectitur.

Nec obstat, quòd in aliquo Principe, vel Republica, quæ sine prævia denuntiatione

bellum, ut præveniret aggrederetur, forsitan cessaret hæc ratio *in casu aliquo particulari*. Nam propterea non cessat lex naturæ *fundata in periculo, quod communiter metuum est*; quæ admodum parte 1. ostensum est *in fornicatione*, quam jus naturæ vetat ob periculum commune malæ educationis proles, etiam si in aliquo casu proles benè educaretur, aut ob sterilitatem non generaretur. Et *in Indice accipiente munera*, quod contra Jus naturæ est, etiam si aliquis Judex forsitan esset ita rectus, ut sententiam, non obstantibus muneribus, tamen ferret secundum Jura: quia munera *per se* talia sunt, ut periculum perversionis Judiciorum inducant, quod *commune periculum* manet.

V. Ratio est 2. Quia postquam Princeps (vel Respublica) bellum illaturus justam belli inferendi causam satis exploratam habet (sine qua bellum injustum esse postea dicitur) debet eam hosti proponere, & satisfactionem ab eo petere, quam si hostis, antequam bellum inchoatum sit, & utrinque dimicari coeptum, sufficientem offerat, ita, ut non solum paratus sit compensare injurias, & damna illata, sed etiam solvere omnes expensas belli factas, tenetur Princeps desistere à bello, quod movebat, ad quod eum obligat Jus naturæ, & Charitas proximorum; quia bellum non est *voluntatis*, sed *necessitatis*, ut dicitur *in can. noli 23. q. 1. ex Epist. S. Aug. 207. ad Bonifac.* Tunc autem cessat omnis necessitas belli. Modò tamen talis fit oblatio, ut fidendum illi sit. Molina *de l. & l. tr. 2. diff. 103. n. 15.*

VI. Ratio est 3. & declaratur prior ratio: Quia bellum inchoare res gravissima est, ubi non agitur duntaxat de re, propter quam bellum movetur, sed etiam de sanguine, cæde, gravissimisque malis plurimorum innocentium, quæ non solum involvunt illam Rempublicam, contra quam bellum geritur, sed etiam proprios subditos, & milites; promiscuæ enim cædes, rapinæ, devastationes, exactiones ultro, citroque in bello fiunt, quorum omnium malorum causa est belli susceptio; causam autem præbere tot, tantarumque miseriarum Jus Naturæ, & charitas proximorum vetat, nisi adhibito prius omni Conatu perveniendi ad satisfactionem sibi debitam sine hac iliade malorum: at verò si Princeps sine prævia indictione hostem obruat, quin ei relinquatur spacium se resolvendi, num satisfactionem præ-

præstare velit, nec ne, non adhibet debitum conatum impediendi tot hæc mala: nam si prius mittat suos Oratores, & Legatos repetitionem satisfactionem quoad ea, in quibus læsus est (sicut Romani fecerunt, & gentes bene institutæ, ac Juris amantes solent) *sub impermissione, ut repetita præstet is, a quo petit, cogi se armis repetere satisfactionem, & bellum ipsi denuntiare*, si, inquam, isthæc faciat debito modo, spes esse potest, fore, ut satisfactionem obtineat sine tantis tot innocentium ærumnis, quibus per bellum involvit & hostium rempublicam & suam, dum sine præmissa legitima diffidatione aggreditur, & rem ancipiti belli alex Committit: esto enim fors urbem aliquam belli securam & minus rite custoditam præripiat, si in eam subita vi irruat, aut per strategema occupet; per hoc tamen belli nondum finis, ipso hoc invadendi clandestino modo alter irritatus mille excogitabit se tuendi modos conquirendo aliunde auxilia, fanciendo cum alijs belli societatem &c. ut sic in longum protrahatur bellum eventu interim semper ancipiti, donec exhaustis utrinque viribus, & regionibus ægra tandem pax forsitan coalescat. Communi lege *belli ex bellis feruntur*: neque unquam viribus suis, etsi hoste potior sibi videatur, fidere potest Princeps; nam ut cum Seneca Lipsius canit.

Licet omne tecum Græciæ robur trahas,

Licet arma longæ miles, ac lætæ explicet,

Fortuna belli semper ancipiti loco est.

Non expedit *concutere felicem (paci) statum*.  
Et quantumvis opibus suis confidas, non debes certa pro incertis mutare; & aureo, quod aiunt, hamo piscari. Simul parva, ac sperata unius hora fortuna evertere potest. Lips.

Omnia sunt hominum tenui pendatio filio,  
Et subito casu, quæ veluere ruunt.

VII. Excipitur 1. Bellum defensivum, in quo diffidatio non requiritur; nam jus defensionis, quæ honestè contra hostem suscipitur, illi, qui se defendit, omnia in manus dat, ut ex Besoldo loquitur Knipschilt n. 135. Hinc opus non est indictione belli adversus eum, qui bello non indicto prior vim intulit; nam contra quovis modo pugnantes quovis modo se defendere licet; respondet philosophus. 2. *Elench. Sophist. 67.* 2. Nec perpetuis hostibus, & quibuscum nulla intercedit pactio, bellum indicitur. 3. Neque rebellibus, & defectoribus, qui nostro suberant imperio, eodemque se nullâ justâ causâ eximere conati sunt: cum quibus enim bellum non est (ut

cum rebellibus) apud illos belli Jura frustra usurpamus. 4. Nec belli indictione opus est, cum locijs auxilium ferimus, vel induciæ etiam longæ elapsæ sunt. 5. Neque si quis sit bannitus; cum declaratio in bannum sit instar diffidationis belli, & diffidatus, ac bannitus æquiparentur, atque eo ipso, quod bannitus sit, ei bellum indictum censeatur. Ita Knipschilt.

VIII. Q. 3. Quid, si periculum sit in mora? & cit. Knipschilt n. 135 tunc denuntiatione opus non esse. Verum hoc ita obiter, & generaliter dictum procedere non potest, quin obstet Jus naturæ, nisi hæc tria concurrant. 1. Ut bellum inferens certus sit, se habere *justam* bellum inferendi causam. 2. Ut nulla supersit spes, quod hostis, contra quem molitur bellum, post denuntiationem præstiturus sit satisfactionem. 3. Ut *periculum ita sit in mora, ut alia nulla restet via obtinendi suum*, quam per aggressionem sine prævia denuntiatione; si quidpiam horum desit, aut omittatur, semper reclamatur Jus naturæ, & Charitas proximorum, ne tantus malorum cumulus invadatur in suam, & hosticam rempublicam. Ratio est 1. quia Princeps Bellum movens Juxta est sibi ipsi jus dicens, cum aliû in terris Judicem, & Superiorem non recognoscat: at Judici non permittit Jus naturæ, & charitatem proximi, ut parti litiganti (vel sibi ipsi) jus reddat cum tanto aliorum innocentium dispendio, quamdiu spes affulget obtinendi suum sine hisce incommodis: audientia sunt & adversæ partis rationes, maximè in causa propria, & in re tanti momenti, ubi facilè est decipi amore proprio in sua commoda inclinante. Hinc passim gentes clandestinas, & fraudulentas invasiones, quæ fiunt in salutato, ut ajunt, hospite, abominantur, quod naturæ lumen ipsis impressit. Quod maximè verum est, si invaditur alter Princeps in ditioribus, quas possidet, & invadens non est certus de justâ causâ, sed ea duntaxat probabilis est, vel dubia. Nam justitia non permittit aliquem invadere, & è possessione rerum, quas possidet, deturbare vi inopinatò illata ob solas rationes probabiles (multò minùs propter dubias) & querere sibi Compensationem, ubi debitum non est certum, sed in dubio melior est Condicio possidentis. uti omnes DD. tradunt teste Sanch. lib. 2. Matrim. disp. 44. n. 34 ubi ait: *ut possim alium sua possessione spoliare oportet me esse certum, rem non esse suam, & ita universi DD. ut licita sit Compensatio, petam certo*



*situdinem in utenti illa.* Idem ex Suar. Less. Molin. Palao, & multos alios coacervans ostendit Cardenas *Cris. Theolog. ad propos 37. ab Innoc. XI. damnat. n. 40. & seqq.* de quo plura postea.

IX. Neque sufficit Principem adhibuisse Consiliarios suos, qui dicant, eum habere sufficientem causam bellandi: nam audiendæ sunt, ut dictum, & adversæ partis rationes, si sincerè, & sinè fraude agere velit: forsan & alter Princeps, cui bellum intentat, suos Convocavit Consiliarios (ut amat fieri) in eodem negotio, qui ipsi quoque dixerunt, eum habere justam in eo causam, nec bello nisi injusto impeti posse; quo casu *dubia remanet*, non certa efficitur causa bellandi: stante autem dubio, absque denuntiatione, & repetitione ejus, quod præterdit, ac petitione, ut satisfactio præstetur, alterum improvisa vi invadere planè Juri naturæ, & Charitati repugnat, maximè cum tantum aliorum innocentium dispendium accedat.

Neque rarus est casus, ut uni Principi suos sonatus, & vicissim alteri quoque suos causam adjudicet: quia proclive est, ut affectus erga suum Principem, suamque Nationem judicium ad se inclinet, & Senatores (homines enim sunt) in suum Principem, & Nationem affectu præponderante ferantur magis, quam præponderantibus solidarum rationum momentis: ubi enim affectus prædominatur facilè solidiores rationes negliguntur, & iisdem aliæ speciosæ, sed non solidæ ab affectu substituentur, & excogitantur; quæ tamen coram Deo non excusant. Periculum quoque haud abest, ne quidam placendi studio in eam sententiam pronuntient, quam Principi suo arridere magis credunt, & ei favorabiliorem judicant.

X. Q. 4. Quid in casu, quo Controversia est inter duas respublicas, vel duos Principes circa aliquam rem, vel provinciam, in cujus possessione neuter est, sed quæ morte cujusdam tertij vacavit, & uterque contendit, ad utrum eorum pertineat? R. Etiam in hoc casu reclamatur Jus naturæ, ut neuter alterius ditiones invadat sinè prævia denuntiatione, & insinuatione Juris sui, ac prætensionis suæ, quam si sinè bello obtinere potest, bellum inferre non licet, & Jus suum quærere cum tanto detrimento multorum innocentium. Et idem est, si alter eorum ingressus est possessionem rei, aut provinciæ durante Controversia & Contradicente altero, ac in dubio, an ad se, vel alterum pertineret.

XI. Q. 5. Qua ratione eò casu res sit peragenda? Ad hoc R. det Molina. *de I. & I. tr. 2. disp. 103. n. 10. & 11.* his verbis. 1. *Antequam ad arma veniatur pacificè debet unus Princeps alteri rationes, ac jus totum, quod circa eam rem habet, proponere, vicissimque audire tenetur rationes, & jus totum alterius, sicque utroque datis rationibus, & responsionibus, res sinè technis, fraudibus, ac subdolis dilationibus examinari debet, quousque verisimile sit, nihil plus lucis ex eo examine, consiliisque peritorum ea de re posse haberi.* 2. *Fieri autem id poterit vel legationibus utrinque missis, vel conventu aliquo celebrato in confiniis regnorum, missis utrinque viris doctis, & peritis, ut factum fuisse fertur, quando controversia fuit circa Insulas Molucas inter Carolum V. & Joann. III Lusitanie Regem, vel quovis alio modo, si res utrinque dubia maneat; ut judicio utriusque partis certo, semotòve omni dubio, non constet, ad quem pertineat, tunc si alter eorum erat bonæ fidei possessor, illi omnino est relinquenda, quousque aliud constet, neque potest quidquam ab eo exigi, nisi fortè ille velit cum alio transigere, ut remittat in futurum jus totum, quod circa eam rem poterit obtendere, neq. item potest ullam bellum contra eum moveri.* 4. *Si neuter erat bonæ fidei possessor, res est dividenda inter utrumque pro quantitate dubij, aut alteri facienda compensatio in aliqua alia re, si res commodè dividi nequeat.*

XII. Hæc Molina loc. cit. ubi rem hanc pluribus exactè pertractat, cujus doctrina diuturnâ sapientum approbatione à sæculo, & quod superat, (mortuus enim est Madriti anno 1600) recepta est, ut nemo dubitet, eum esse computandum inter Doctores primæ classis, & omni exceptione majores, cujus multa leguntur encomia in plurimis sapientum momentis: de quo Sylvester Maurolicus *lib. Ocean. Relig.* sic ait: *Ipse vero Molina in Theologia Morali tanta est auctoritatis, tanta estimationis in tribunalibus, & apud Juristas, ut sinè adminiculo, aut Copiâ aliorum auctoritatem afferat lumen veritati, decisionem causis, terminum litigij, apud Joann. de Cardenas in *Cris. Theol. de probabilis, opin. disp. 57. art. 5. & Bibliothec. Script. Soc. I. V. L.* apud quos vide sis plures DD. de auctoritate Molinae.*

XIII. Fundatur autem Doctrina hæc in communi sententia DD. quòd is, qui dubitat, num res sit sua, non censetur habere bonam fidem ad inchoandam possessionem, quam diù manet dubitatio, Less. *l. 2. cap. 6. dubit.* 3. ratio est: *quia ut rem (verba Lessij sunt) quam antea non habebam, incipiam vindicare, & usurpare, requiritur, ut determinatè judicem, eam esse vel nullius, vel certè esse meam, quamvis antea non advertebam. Quòd si dubitem, an sit mea, an aliena, intus quæ agò eam mihi arrogans, cum non sit melior mea*

conditio, quàm alterius in hoc casu, si dubium versetur inter duos, quorum neuter bona fide possidebat, res est dividenda; quia par est jus utriusque, neque est una ratio, cur alteri potius, quàm alteri adjudicetur.

De his redibit sermo, ubi de justis bellum suscipiendi causis paulò post tractabimus; regulimus tamen ea hic cum in finem, ut liqueat, cum tantis præcautionibus opus sit, iuste ut bellum suscipiatur, quòd id à fortiori non possit suscipi subdolè, & per subitam invasionem sine prævia denuntiatione, & insinuatione prætensionis, idque Jure naturæ, quò bella reguntur, nisi Princeps bellum illaturus certus sit, & se habere justam causam, & nullam aliam spem satisfactionis super esse, & periculum esse ita in mora, ut aliter satisfactionem obtinere non possit. Debet enim Princeps bellum vitare quantum potest, ut inquit Palao *tr. 1. disp. 2. punct. 9. n. 13* aliàs si, quoties periculum in mora esse putaretur, licitum foret, ommissa diffidatione invadere, sequerentur abusus ingentes cum summis detrimentis tot innocentium.

XIV. Quare corruiat idolum, quòd quidam Pseudopolitici, qui non quid juris, sed quid sit emolumentum proprium, pensi habent, adorant, & rationem status vocant, quam ceu scutum prætendunt, identidem ingeminantes illud: *ratio status existit, vicina respublica nimium potens evadit &c.* inanis est hæc *prophæcia*, & prætextus, qui nequo causam insufficientem bello suscipiendo subministrare potest, ut postea dicitur, nedum bello sine prævia denuntiatione suscipiendo: etenim ut ut potens fiat vicinus, si sine tua injuria potens sit, si non læsit, invidia est, si ægrè id livente animo feratur, non causa belli. At forsitan lædet, inquis si potentem se circumspexerit. At forsitan non lædet: læsionem si metuit vicinus, præcautiones in sua republica ut adhibeat concessum, alterum ut ob hanc suspicionem invadat, non concessum; multò minùs sine prævia diffidatione invadere concessum. Non agnosceret, credo, inanes ejusmodi *prophæcia*s Judex ille, qui Dominus exercituum est Deus Sabaoth.

XV. Atque hæc, sicut demonstrant, injustè bellum suscipi inter duos Principes, vel respublicas supremas superiorem non recognoscentes, si sine prævia diffidatione suscipitur, ita à fortiori militat in susceptione belli capitis, quò membra suam rempublicam, aut qui superiorem recognoscunt, suum Principem superiorem sine prævia insinuatione impetunt, & bellum clam excogitatum per stra-

tegema, aut subitam invasionem auspicantur, ditionem aliquam, vel urbem suæ Reipublicæ, vel principis superioris invadendo: quia membrum reipublicæ specialiter obligatur ad procurandum bonum Communitatis, cujus membrum est, non præcisè quia communitas id vult, sed quia pars est illius, atque ut solus est, naturaliter, & irremissibiliter à Deo, naturæ, & rerum publicarum conditorè, adstringitur ad procurandam conservationem, & incolumitatem totius, ut parte 1. sect. 5. §. 3. n. 4. ubi de justitia legali egimus, diximus. Atque hinc si casus instet, quò aut membrum, aut tota Communitas incommodum, ac detrimentum pati debet, obligatum est membrum, ut suam incolumitatem post habeat incolumitati totius corporis, estque membrum obligatum non tantum bona sua, sed vitam ipsam exponere pro conservanda incolumitate reipublicæ, si necessitas poscat. Quare causæ, & cautelæ, quæ in suscipiente bellum contra alienam rempublicam, vel principem prærequiruntur, ut iuste suscipiatur, longè magis, & majores prærequiruntur, ne per invasionem suæ reipublicæ, & sui principis status communitatis turbetur per bellum intestinum cum tantis tantorum innocentium, & commembrorum calamitatibus, quæ ex bellis intestinis longè majores sequi solent.

XVI. Quid, si aliquod membrum speciales aliquas ditiones, aut specialia aliqua jura habeat; quòd quæ à communitate, cujus membrum est, non dependet, in quibus se per injuriam læsum queritur à Magistratu, vel Capite, quòd illi corpori, cujus membrum est, præest? Hæc sua Jura quærere non potest tale membrum per bellum intestinum cum perturbatione totius corporis, cujus membrum est; nisi forsitan tale membrum quoad illas suas speciales ditiones sit supremus Princeps superiorem non recognoscens, & jus belli habens contra quemcunque, etiam contra eam rempublicam, cui quoad alia subest; quò tamen casu adhuc fortiores contra ipsum pugnant rationes, quòd bellum illi reipublicæ, cui aliàs tanquam membrum subest, inferre non possit, nisi prius adhibeat non tantum eas præcautiones, quæ de principe, bellum contra extraneum principem movente, dicta sunt, sed omnem prorsus lapidem moveat, ne bellum fiat in ea republica, cujus ex alio capite incolumitatem (quia simul membrum ipsius est) procuret, & conserve re omni modo teneatur. Quare, nisi hoc casu prorsus certum sit, damnum esse per inju-

riam illatum, & nullam prorsus superesse spem acquirendi compensationem etiam non ita exactam, semper prævalet altera obligatio, quam erga rempublicam, cujus membrum est, habet, ne ejus quietem perturbet, ipsam, vel ejus caput invadendo. Nec sufficit metus, quo timet, & probabiliter judicat, se in suis proprijs ditionibus, vel alijs proprijs bonis fore invadendum, aut damnificandum ab ea republica, vel ejus capite, cui subest: nam pro republica stat & possessio, & præsumptio; quas nisi *evidentibus* omnino argumentis (qualia non possunt suppetere, quamdiu respublica, vel Princeps superior, suas quoque habent rationes plurimum prudentum calculo approbatas) elidat prorsus, atque injuriam sibi illatam, & justam suam causam invasionis non probet solum efficacibus argumentis, sed omnino demonstrat ad oculum, semper coram Deo, & mundo intelligente justitias rerum injustam fovere causam censetur. Nec obstat, quod respublica transtulerit omnem potestatem in suum Magistratum, vel Principem, ideoque si ille læsit per injuriam, illa quoque rea sit, & læsisse censeatur, & consequenter sufficere videantur eadem cautelæ, & eadem prævia denuntiatio belli, quas inter Principes supremos bel-

lum sibi inferentes requisitas diximus tunc, quando unus alterum in suis possessionibus aggreditur. Nam semper ex alia parte obstat Obligatio orta ex eo, quod simul sit membrum (licet ex alio capite) ejusdem reipublicæ; quam non tantum non lædere tenetur, sed positivè ejus incolumitatem procurare, & mala ab ea avertere, atque incolumitatem reipublicæ præferre suæ propriæ incolumitati. 2. Neque respublica contulit in suum Magistratum, vel principem potestatem alios lædendi per injurias: quæ injusta læsio nisi facta demonstratur, & respublica quoque in illam injustè consenserit; semper à fortiori pugnant allata argumenta, & vix ullo casu ea invadi, & turbari justè poterit à suomet membro; præsertim si ditiones, vel Jura specialia, ob quorum læsionem bellum præten- dit, sint intra gremium illius reipublicæ, vel corporis, cui bellum intentat, ut ita per bellum satisfactionem extorquere non possit, nisi invadendo innocentes consubditos intra gremium existentes; si enim extra gremium ad confinia instar hostis extranei aggredetur; non omnino tanta mala innocentium sequerentur, licet innumera tamen sequerentur. Quinam possint alios diffidare, seu bellum, denuntiare, dicitur in seqq.

## SECTIO II.

### Definitio, Divisio, & origo belli, & illud esse licitum.

#### §. I.

#### Definitio, Divisio, & origo Belli.

1. *Definitur Bellum. n. 1. 2.*
2. *Differunt Bellum, prælium, rixa, seditio. n. 4.*
3. *Divisio Belli in offensivum, & defensivum, hostile, & Civile. n. 4. 5.*
4. *Bellorum origo ab exordio Mundi. n. 6.*
5. *Quatuor Mundi Monarchie. n. 7.*
6. *Fons Bellorum peccatum originale: bellum à bella quidam derivant. n. 8. & 9.*

**S**umitur bellum duplici modo. 1. Pro ipso prælio, & actuali conflictu. Et ita sumit S. Th. 2. 2. q. 42. art. 1. 2. Et magis usitate pro statu pugnandi. Quo sensu

I. Q. 1. Quid sit bellum? R. 1. Varij varè describunt. Hugo. Grot. L. 1. cap. 1. n. 2. definit, quod sit status per vim certantium, quales sunt. Cum qua descriptione coincidit illa Ciceronis, qua dicit, bellum esse concertatio-

nem per vim; per concertationem intelligendo non unum aliquem actum concertationis, obsidionis, devastationis &c. sed durantem temporis tractum, quo dissidetur, & concertatur, quod frequentiore usu receptum.

Hoc sensu acceptum bellum dividitur in privatam, quod inter privatas: & publicam, quod inter publicas personas geritur, quemadmodum S. Th. 2. 2. q. 41. art. 1. rixas, quibus ex ira se invicem percutiunt, bellum privatam asserit. Communior tamen notio rixas, & privata certamina non refert ad bellum propriè dictum.

II. R. 2. Aliter, & magis, propriè bellum describi potest, quod sit status pugna publica duorum exercituum per vim certantium ab ijs, qui superiorem non recognoscunt, indicta. Dicitur 1. Status pugna publica, ut excludantur monarchiæ, & certamina privata. Dicitur 2. Duorum exercituum, ut excludantur ea certamina,

in quæ subinde bellum publicum resolvitur, dum ex utroque exercitu pauci aliqui milites seliguntur, ut ipsi inter se pugnent, & ea pars causam, de qua lis est, obtineat, cujus milites vicerint; vel etiam dum ipsimet belliduces, aut Reges inter se certamen ineunt ad parcendum sanguini multitudinis, & bellum in Duellum convertunt, de quo supra. Dicitur 3. *Per vim Certantium*, hoc est, armis, & vi ea extorquere nitentium, quæ prætendunt; nam si aliter de re controversa disceptetur, v. g. per allegationes Jurium coram Judice, vel Coram arbitris constitutis, vel per suffragia in comitijs populorum &c. non est bellum, de quo hic agimus; *duo enim sunt genera decertandi*, inquit Cicero *lib. 1. de off. alterum per Disceptationem, alterum per vim*. Dicitur 4. *Ab ijs, qui superiorem non recognoscunt*. His enim bellum gerere Competit, non ijs qui alicui superiori subjecti sunt, nisi hujus auctoritate. Quamvis intestinæ quoque seditiones bella, sed civilia, & intestina nuncupentur frequenter. Dicitur 5. *Indicta*, nam, ut priore Sectione dictum est, *debet bellum præcedere diffidatio, seu denuntiatio belli*. An omnia hæc ad definitionem belli necessaria sint, si ea ex rigore Legum Dialecticarum excutiatur, non disquirimus, clarâ descriptione contenti. Sic cui una, vel altera particula displiceat, nostra pace, eam omittet; non enim disputamus, ut disputemus; sed ut res exponatur.

III. Differunt itaque inter se bellum, & prælium; nam bellum sine actuali prælio esse potest, ut, cum indicitur bellum; & cum milites in hybernis quiescunt: prælia verò partes sunt belli, unde illud Curtii: *prælio videtur, non bello*. & populus Romanus multis superatus fuit prælijs, bello nunquam annotat. Grotij. Differunt item inter se bellum, rixa, & seditio. Bellum propriè est multitudinis contra extraneos; unde à Lipsio *civilis doctrina Lib. 5. cap. 3.* describitur bellum, quod sit *vis, & arma in Principem, aut populum alienum*. Seditio est *multitudinis contra multitudinem in eadem republica, seu communitate, & dicitur tumultus populi concitati ad pugnam*. Rixa est *contradictio verborum orta plerumque ex ira, & procedens usque ad verbera* Lay. *Lib. 2. tr. 3. cap. 12. ex S. Th. 2. 2. q. 42. art. 1.* ubi dicit, quod sicut *consentio importat quandam contradictionem verborum, ita rixa contradictionem in factis, quando ex ira se invicem percussimus ex inordinata voluntate, & ideo semper peccatum est.*

IV. Q. 2. Quotuplex sit bellum? R. Principaliter duplex est, offensivum, & defensivum. *Bellum offensivum est*, in quo vis inferitur ad vindicandam injuriam, cui alter satisfacere recusat; estque actus justitiæ vindicativæ, quia injuriæ vindicandæ causâ geritur. *Bellum defensivum est*, quo vis per injuriam illata cum moderamine inculpatæ tutelæ repellitur, & pro defensione Regni, Provinciæ, Subditorum, amicorum, confœderatorum &c. suscipitur adversus injustum invasorem; nam, ut ex supra dictis constat, cuivis licet vim vi repellere non tantum publicâ auctoritate, ut in bello, sed etiam privatâ extra bellum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Laymannus *cit. L. 2. tr. 8. cap. 12. n. 3.*

V. Dividitur item bellum in hostile, & civile, seu intestinum. *Bellum hostile est*, quod Imperator Romanus, vel alius Rex superiorem non recognoscens contra peregrinam, & externam gentem gerit. *Bellum civile, ac intestinum est*, quod populi eidem Imperatori, vel Regi subjecti inter se gerunt, veluti si in Imperio Romano Princeps contra Principem, Civitas Imperialis contra civitatem Imperialem, Comes contra Comitem, vel civitatem exurgat, & bellum moveat. *L. un. C. de Cadu. eis tollendis pr. ibi: ex bellis civilibus, que in se populus Romanus movebat*; quod tamen, ut ex dictis patet, propriè bellum non est, sed *civilis quadam dissensio, aut seditio dicitur*. *L. si quis ingenuam 21. §. fin. de captiv. & postlimin. Knipschilt. de Nobilitate Lib. 3. cap. 13. num. 25.*

Dicitur item bellum civile, quod Princeps, vel Magistratus gerit contra subditos Rebelles, & contumaces, cit. Knipschilt, & Lipsius *Lib. 6. polit. cap. 1.* aiens: *bellum civile definitio, arma subditorum in Principem mota, aut inter sese: Quò nihil miserius, nihil fœdus, & quod merito mare ipsum dixerim calamitatum*. Alias species belli referre superfedemus, quæ ex dicendis satis colligi poterunt, ut bellum *justum, & injustum; necessarium, & temerarium &c.*

VI. Q. 3. Unde origo bellorum? R. Nates suos deducunt ab exordio mundi. de his Adamus Contzen *Politic. Lib. 10. cap. 2. n. 2.* bella, inquit, *cum nato mundo fuerunt, & bellantes Decretoria dies inveniet: duobus fratribus angustus erat mundus, iniquo Caino videbatur, Abel fore beatior: secuta sunt bella gigantium & discordes in unum gurgitem Cataclysmus inclusit. &c.* Post Diluviùm, ut ait. auctor habet, pri-

primò familiam gubernavit Noë, & filij ejus, donec divisa est terra, regnavitque Nemrod in campo Sannaar, ac etiã bella gravia fuere Noacho, Sermo, Japeto, ac Chamio viventibus. Nec pacem conciliare inter posteros proavi, avi, patrèsque potuerunt. Bella illa narrantur *Genes. 14.* quæ contigerunt *Annos 344.* post diluvium, quo tempore Noë, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reuserag, Nahor vitam agebant, ut mirum fuerit, tam citò extitisse Tyrannidas. Nam hoc prælium, quòd Moyses recenset, primum uon fuit; jam enim Anpos duodecim Reges illi servierant Chodorlahomor Regi Elamitarum, victi igitur bello fuerant ante *Annos duodecim,* & usitata jam erant bella, cujus rei indicium est, quòd Codorlahomor foederatos habet Reges, & cum regnet in Elymaide longo spatio à Chananæis, eos tamen servitio præmit; bella dein quanta gessit Moyses, Josue, David, aliique populi electi Principes; & hac disciplinã, ac serie bella ad nostra usque tempora continuata sunt.

VII. Quatuor hætenus, dum post Diluvium mundus stat, steterè Monarchiæ: at quanto, Deum immortalem steterè sanguine! prima erat Chaldæorum. Altera Persarum, & Medorum. Tertia Græcorum. Quarta Romanorum, quæ adhuc stat, sed valde concussa. Omnes per bella occupata, altera ab altera armis pulsa, frustra est, quisquis quintam affectat, ubi enim in sacris paginis *Dan. cap. 2. 7. & 8.* quatuor has Daniel exponit per somnium Regis Chaldæorum prævisas, de quinta altum silentium. Res (quàm P. Michaël Pexensfelder *in flora Biblico narratione 130.* breviter historicè perstringit) ita habet: *Vidit Nabuchodonosor annò secundò Regni sui,* ut sacra historia recenset, *somnium, & conturbatus est Spiritus ejus, & somnium ejus fugit ab eo* è memoria elapsum; terrorem incusserant rerum futurarum objectæ per quietem species, quas cum vigilans in mentem revocare non posset, & tamen sollicitum tenerent, quid portenderent, institit ab ariolis, & magis, & maleficis, & Chaldæis, ut indicarent sibi somnia sua, propositò non magis præmiò divinantibus, quàm pœnã fallentibus; cumque ariolos, & haruspices ars divinandì, quid somniasset Rex, defecisset (quis enim orco devotis capitibus arcana cælestia aperuisset) præcepit furore, & irã magnã ad unum omnes abripi, & neci dari eadem fors Danielẽm cum socijs manebat,

ni somnium indicasset; sed Daniel ope divinã imploratã distinctè per partes vilũ aperuit, &: *Tu Rex,* inquit, *videbas Statuam grandem, hujus caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære; tibiæ autem ferreæ, pedum quedam pars erat ferrea, quedam autem fideilis: videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit Statuam in pedibus ejus ferreis, & fideilibus, & comminuit eos: tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, es, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æneæ; que rapta sunt vento, nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat Statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram. Hoc est somnium; interpretationem quoque ejus decemus coram te Rex.* Quænam illa? quatuor Monarchias designat; quarum prima erat, quæ tunc extabat, Chaldæorum sub Regè Nabuchodonosor, & denotabat caput aureum; *tu es caput aureum v. 38.* pectus argenteum designabat Monarchiam Persarum, & Medorum, quæ illi successit; *& post te conjurget Regnum aliud minus te argenteum v. 39.* venter, & femora ænea præfigurabant Monarchiam Græcorum; *& Regnum tertium aliud æneum. v. 39.* Tibiæ ferreæ Monarchiam Romanorum potentissimam in Imperium orientale, & occidentale divisam; *& Regnum quartum erit velut ferrum v. 40.* pedes partim fictiles, partim ferrei indicabant, illam Monarchiam extremis temporibus partim firmam fore, partim imbecillam. Lapis excisus de monte sine manibus Christum Dominum demonstrabat, qui absque virili opera de Virgine Sanctissima, stirpèque Abrahamica natus in montem magnum excrevit, excitato Regno, quod totam terram erat occupaturum; qui in fine mundi omnia alia Regna deleturus, & solus Regnum æternum est obtenturus. Eadem Monarchiæ ordine successuræ, & singularum conditiones, ac proprietates alio admirabili viso Danieli fuere præmonstratæ *cap. 7.* sub specie quatuor bestiarum. Lessius *de providentia Numinis Lib. 1. n. 132. & seqq.* videatur Cornelius à Lapide *in cit. capp. 2. 7. & 8. Danielis.* Quanta, & quàm atrocia bella in singulis hisce Monarchijs, & earum occupatione fuerint grassata, satis luculenter historiæ tam sacræ, quàm profanæ demonstrant.

VIII. Fons totius mali est pomum illud infelix Paradisi à Protoparentibus nostris contra Numinis, à quo recens conditi erant, Legem manducatum, quo originaria innocentia pessum igit, è quo velut ex equo Trojano, seu potius velut è Pixide Pandoræ bella, cædes, vulnèra, mortes, devastationes, pestes, omnia

omnia mala in terras redundarunt, de quo bellè canitur :

*Malum crede malo mala conculcit omnia mundo  
Heu mala malum erat, quæ mala mala tulit.*

IX. Sunt, qui bellum à bellua derivant, quòd belluarum sit non hominum in mutuas cædes grassari. Festus apud cit. Knipschilt. n. 21. est enim ὁ πρόλαμος δημόσιος bellum vorax populi. Hinc Divinus Spiritus in Sacris literis os tribuit gladio, & qui bello pereunt, dicuntur perire in ore gladij *Deut. 32. 42.* ubi dicitur : *inebriabo Sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes.*

§. II.

An Bellum ex se sit licitum, & num licitum fuerit in antiquo testamento.

1. *Errores Manicheorum, Anabaptistarum, Lutheri &c. circa bellum. n. 1.*
2. *Bellum Jure Nature, & Gentium licet. n. 2. & seqq.*
3. *Licitum Jure Divino in antiquo testamento. n. 8.*
4. *Leges à Deo prescriptæ in veteri Testamento. n. 9.*

I. Quatuor de licentia belli hic quærimus.  
1. An bellum ex natura sua sit licitum?  
2. An Jure Divino fuerit licitum? Judæis, in Veteri Testamento? 3. An Jure Divino sit licitum Christianis in novo Testamento? 4. An liceat bellum gerere Christianis contra Turcas? Contra 1. & 2. erant Manichæi, qui bellum absolute illicitum asserbant, atque ea de causa reprehendebant Moysem, Josue, David, & Cæteros veteris testamenti Patres, quòd bella gesserint, quos S. Aug. *lib. 22. contra Faustum Manicheum cap. 74. Confutat.* Molina *de I. & I. tr. 2. disp. 99. n. 1. Contzen. lib. 10. polis. cap. 3.* Wicleffus ut refert, & ex SS. *luteri, ac PP.* impugnat Thomas Waldensis *de Sacramentalibus cap. 169. apud cit. Molinam, & Contzen.* Contra tertium sunt Anabaptistæ, qui concedunt, bellum ex natura sua licitum esse & licitum fuisse Judæis; negant, licere Christianis, quòd Christiani debeant esse mansueti, & pacifici, ut refert Becanus *in Manuali contro. lib. 4. cap. 4.* Contra quartum est Lutherus cum quibusdam affectis, qui bellum Christianis contra Turcam vetuit, quòd esset ipse flagellum Dei; contra Pontificem, & Catholicos jussit, & ut bellaretur, effecit, ut referunt Contzen. Molina *loc. cit.* Bellarminus. *tom. 1. quinta controversia general. lib. 3. c. 16. tit. de Laicis. 1. & 2.* examinabimus hoc §. 3. & 4. §. sequenti.

II. Q. 1. An bellum ex natura sua sit licitum? R. Licitum est, si habeat debitas Conditiones, quos affert S. Th. 2. 2. q. 40. art. 1. nimirum *legitimam auctoritatem* indicendi bellum, *justam causam, & debitam intentionem.* Ratio certa est: nam servatis his tribus Conditionibus bellum nec contra jus naturæ, nec contra jus gentium est, sed his Conforme. Non est Contra jus naturæ, uti probat Molina ex pugna Abrahami cum quatuor illis Regibus ante ullam legem scriptam de qua *Gen. 14.* cui revertenti benedixit Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei altissimi dicens: *Benedictus Abraham Deo excelsio, qui creavit cælum, & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Ratione demonstratur ex eo; quia, ut diximus, duplex est bellum, defensivum, & offensivum; de *defensivo* certum est ex *priori parte sect. 7.* Nam si Jure naturali licet homini privato vim vî repellere, multò magis id licet Principi, aut Communitati. De *offensivo* pariter certum est ob similem rationem; nam si homo privatus potest adversario suo litem intentare, vel actionem injuriarum *per viam juris,* Cur Princeps, vel Communitas, quæ superiorem, & Judicem in terris non habet, nequeat idem facere *per viam belli,* deficiente viâ Juris? certè alioquin publica injuria, quæ Principi, vel Communitati facta est, nunquam posset resarciri, aut vindicari, & consequenter nec publica justitia, & indemnitas posset custodiri, quod repugnat Juri naturali. Becanus *lo. cit.*

III. Dices 1. Bellum est contrarium paci, & Charitati; inter illos enim, qui inter sese bella gerunt, non potest esse pax, & Charitas, sed pugna, & Dissensio. 2. Est causa multarum cædium, & damnorum. 3. Qui justam etiam bellandi causam habet, potest impedire has cædes, & damna, si abstineat; igitur illicitum est.

IV. R. det Becanus ad 1. ex parte illius, qui *injusam causam,* aut sinistram intentionem fovet, utique bellum contra Charitatem, & pacem est: at ex parte illius, qui cum debita intentione, & justa causa bellum suscipit, id conforme est Charitati; etenim lex Charitatis ita ordinata est, ut homo se possit præferre proximo. Sique occurrat casus, in quo vel proximus debeat pati damnum, potest salva Charitate se salvare cum proximi damno, si modò non faciat illi injuriam: quod ut in privatis quoque locum habet, ita à fortiori obtinet in Principe vel republica; qui si injuria

Fff

ab

ab alio infertur, possunt eam vindicare per bellum justum, ut se indemnes conservent, salva Charitate, & justitiâ; non enim contra justitiam est injuriam allatam legitime vindicare, ut constat ex dictis *parte 1. de justitia vindicativa*:

V. R. Ad 2. Ille, qui *injustam causam* fovet, & alteri *facit injuriam*, est causa belli, cædium, & omnium damnorum; non verò is, qui *patitur injuriam*; is enim cogitur ad bellum, ut vindicet injuriam sibi illatam, ac pacem, & tranquillitatem stabiliat juxta illud Aug. *Epist. 207. ad Bonifacium Comitem, & refertur in can. 3. caus. 23. q. 1. non pax queritur, ut bellum excitetur: sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus.*

VI. R. ad 3. Quamvis justam belli causam habens possit impedire multas cædes, & neces hominum, si abstineat à bello; non tamen abstinere tenetur; quia simul impediret justitiam publicam, quæ exigit, ut vindicetur injuria; alioquin si abstineretur à bello propter hoc solum, ne interficiantur homines, daretur occasio majoris mali; quia sic nulla servaretur justitia publica, sed impunè liceret furari, latrocinari, & alias injurias exercere. Quare Princeps justam causam habens duo ponderare debet; *ex una parte damna, quæ sequuntur ex bello; ex altera vero justitiam publicam, quæ defenditur per bellum.* Neque recta ratio, ac natura Societatis omnem vim inhibet, sed eam duntaxat, quæ Societati repugnat, id est, qui jus alienum tollit; nam *Societas eò tendit, ut suum cuique Salvum sit communi ope ac conspiratione*, ut Grotius loquitur: id quod locum haberet, etiamsi dominia rerum non essent introducta, sed omnia Communia; nam eo casu quilibet haberet jus occupandi, & quantum natura desiderat, absumendi res communes; quòd jus, qui ei eriperet, faceret injuriam.

VII. Sicut bellum non repugnat *Juri naturæ*, ita nec *Juri gentium*, sed huic potius conforme est, usitatum passim apud gentes etiam optimis legibus institutas, ut constat ex *priore §. n. 13. & habetur in L. 5. ff. de I. & I. ubi dicitur: ex hoc Jure gentium introducta bella, discretæ gentes, & regna condita, Dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductio- nes, obligationes instituta: exceptis quibusdam, quæ à Jure civili introductæ sunt.*

VIII. Q. 2. An bellum jure divino fuerit licitum Judæis in veteri testamento? R. Af-

sertivè servatis illis conditionibus. *n. 2. indicatis: quia nulla extat Lex Divina, quæ Judæis in veteri Testamento bellum prohibuisset? sed contrarium tota verus Scriptura loquitur. Sic Abraham Gen. 14. vicit Reges Victores, cœpitque arma, sine speciali Dei mandato, ut ex historia patet. Moyses, & Josue Chananzam belli Jure occuparunt; quamvis enim Deus terram illam illis donasset, armis tamen obtineri voluit. Cons. Xen. libri Josue, Judicum, Regum, Paralipomenon; Machabæorum pleni sunt historiâ bellorum. Quin Deus Judæis nonnulla bella præcepit, ut Moysi contra Madianitas Num. 25. à ver. 16. Sauli contra Amalecitas 1. Reg. 15. v. 2. Laudanturque, qui se fortiter in bellis gesserunt: Abraham Gen. 14. à vers. 19. Filij Levi Exod. 32. v. 28. quòd cæciderint tria millia hominum, Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Samuel, David, & alij Hebra. 11. à vers. 32. sed & Leges generales, ac perpetuas de modo gerendi belli Deus populo suo præscripserat. Et Num. 108 Deut. 20. & Deut. 21. v. 14. fit mentio de libro *bellorum Domini*, quæ sine dubio gesta sunt probante Deo.*

XI. Si quæras, quæ fuerint illæ leges à Deo præscriptæ pro bello in veteri testamento? R. det Becanus *lo. cit. n. 12.* fuerunt duplices; aliæ *Ceremoniales*, quæ jam abrogatæ sunt, aliæ *Morales*, quæ adhuc durant cujusmodi sunt hæc. 1. Ut milites sint puri ab omni peccato, & immunditia. 2. Ut servent ordinem à superiore præscriptum. 3. Ut Confidant in Deum, & ab ipso petant subsidium. 4. Ut parcant innocentibus, quantum fieri potest. 5. Ut hosti offerant prius pacem, antequam illum bello offensivo invadant. *Num. 16. Deut. 20. & 23.*

### §. III.

An bellum licitum sit Christianis, & an contra Turcas?

1. *Bellum Christianis licet. n. 1. & 2.*
2. *Legio Fulminatrix Christiana apud Romanos. n. 3.*
3. *Sancti Milites, & Legiones. n. 4.*
4. *Pro Honorio, & Theodosio Dem pagnat. n. 5.*
5. *Ratione demonstratur, bellum Christianis esse licitum. n. 6.*
6. *Licet Christianis bellare contra Turcas. n. 7. & seqq.*

I. Q. I. An bellum jure Divino licitum sit Christianis? R. Assertivè servatis con-

conditionibus priori §. n. 2. ita D. Aug. relatus in can. 2. 3. 4. 5. causa 23. q. 1. D. Ambros. lib. 1. de officijs C. 40. & in illud Luca 3. 14. *Consenti estote stipendijs vestris* Greg. lib. 1. Epist. 72. Bernardus *Serm. ad milites templi cap. 3.* & alij passim apud Becanum *lo. cit.* & Bellarminum *cap. 14. de laicis*, ubi complures textus refert: quibus referendis non placet inhærere, cum hæc sit Communis PP. & Theologorum sententia, cui absurdè contradicunt Erasmus, Roterodamus, bonus Grammaticus, sed malus Theologus, Cornelius Agrippa, Joannes Ferus &c. apud Bellarminum *cit. cap. 14.* Idem Joanni Oecolampadio (Germanicè *Haus, Licht*) nomen enim suum mutavit in græcum ardolio) tribuit Alphonus à Castro, quod miratur Bellarminus, cum Ulricus Zyvinglius ejus Collega adeò probârît bellum, ut in prælio pugnans perierit (de quo notum illud Helveticum, quo vulneribus gravis animam agens à Catholico nonnemine interrogatus fuerat: *Ueli wit bichten?*) & ipse Melanchthon (Germanicè *schwarz Erden* dictus, qui & ipse nomen suum in græcum mutavit) in *locis Theologicis cap. de Magistratu*: & (sæteri sectarij hujus temporis verbo, & opere doceant, esse bellandum.

II. Demonstratur autem Responsio ex his capitibus. 1. Ex *cap. 3. Luca*, ubi veniebant milites ad S. Joannem Baptistam, & interrogabant eum dicentes: *Quid faciemus & nos? & ait illis: neminem concutatis, neque calumniam faciatis: & consenti estote stipendijs vestris.* ex quo textu arguit S. Th. 2, 2. q. 40. ex D. Aug. in sermone de puero centurionis: *si Christus Christianâ disciplinâ omnino bella culparet, hoc potius Consilium Salutis petentibus in Evangelio daretur, ut abjicerent arma, seque militia omnino subtraherent: dictum est autem eis: neminem concutatis consenti stipendijs vestris: Quibus proprium stipendium sufficere præcepit, militare non prohibuit.* Idem repetit paulò alijs verbis *cit. Aug. lib. 22. contra faustum Manichæum cap. 74.* quem textum refert Contzen *lib. 10. cap. 3, pr.* Nec dicat Erasmus, hæc dici militibus, non ut ea servantes benè viverent, sed ut minùs malè viverent, ut etiam videtur explicare Theophylactus. Nam, ut rectè & dicit Bellarminus: Joannes præmiserat: *Facite fructus dignos penitentia, & omnis arbor non faciens fructum bonum in ignem mittetur &c.* Inde compuncti publicani, & milites petierunt, quis esset fructus bonus, quem facere deberent? vel ergo Joannes eos decepit, vel possunt milites sal-

vari, si fervent, quod Joannes illis præcepit: ad Theophylactum & Si contrarius esset, contra torrentem iret cæterorum PP. & Theologorum. 2. Quia Christus rogatus à Pharisæis, an liceret Cæsari dare censum, seu tributum? Respondit: *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: tributum autem non debetur Regibus, nisi ut possint alere milites in defensionem reipublicæ. 3. Quia Christus commendavit fidem centurionis, qui dicebat: *nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic: vade, & vadit, & alij, veni, & venit.* Non respondit Christus: *desere militiam*; sed potius: *non inveniantam fidem in Israël*. 4. Quia semper fuerunt in bellis etiam inter Ethnicos Christiani milites.

III. Celebris est Legio fulminatrix Græcis *καταιμβόλος* dicta: bellum Marcus Aurelius *an. Christi 176.* in Germania gesserat contra Marcomannos, Nariscos, Suevos, Sarmatas &c. Exercitus Romanus in ultimum discrimen erat deductus, quem circum occupatis omnibus locis hostes multitudine sua incluserant, ut summâ rerum omnium penuriâ laboraret, & sex ipsos dies potu carerent, omni aquâ interceptâ: anxius, & consilij inops erat Imperator; cum ad eum recurrit præfectus Prætorianorum, eique exponit, nihil esse, quod ij, qui *Christiani nominarentur*, precibus à suo Deo impetrare non possent, eisæque unâ in exercitu legionem hominum hujus generis, erectus in spem Aurelius petit ab eo, efficeret, ut Deo suo supplicarent hi Christiani, recedit parumper à reliquo exercitu Legio Melitenis (omnes in ea Christiani erant) & in genua provoluta, sublatisque in Cœli manibus, oculisque Numen precantur. Nondum precibus finem imposuerant, cum ecce densa nubes conglomeratur in aère, optatam Romanis effundit pluviam, eodémque temporis momento hostium circumfusa multitudo dirâ grandine, atque fulminibus disjecta est, adeò, ut, dum sic ferrentur fulmina, & imbres, recreati quidem sint Romani, plurimi autem hostium interjerint. Obstupefactus miraculo Marcus per Edictum Christianos honore affecit, quos priùs persecutus fuerat ipsamque legionem *καταιμβόλος, fulmineam, seu fulminatricem appellavit*; quæ priùs Melitana dicebatur: Tertullianus in *Apologetico cap. 5.* & ad Scapulam *Pro-Consulem cap. 4.* Eusebius, Apollinaris, Greg. Nyssen. apud Baronium *ad ann. 176.* ubi literas ipsius Imperatoris ad Senatum



natum Romanum scriptas de hac re refert. fuit tamen & alia Legio Romanorum, nempe duodecima, dicta fulminatrix jam tempore Augusti. Certè hi strenui milites Christiani non militassent, si militare malum esset; vel si militassent, non ità grati fuissent Deo, ut etiam miraculum impetrarent. Notissima etiam est Legio Thebæorum Duce S. Mauritio, quæ sæpius decimata Martyrium pertulit. *Breviar. Rom. die 22. Septembris. Baronius ad annum 297.*

IV. In sanctis Ecclesia censet milites, Alexandrum, Theodorum, Mercurium, Florianum, Quirinum, Victorem, Romanum, Julianum, Modestum, Ferreolum, Georgium, Exuperium, Anastasium, Gallicanum, Marcellum, Carolum Magnum, Arfacium, Ludovicum Regem, Vitalem, Ursium, Longinum, Marcellum, Nicolstratum. Deinde integras Legiones, & Cohortes, ut Mauritiij, Achatij, Gereonis, Castuli, Cyronis, Gregorij, & Maurij, Theodosij, Callistrati, aliorumque, qui ità milites fuere, ut tamen insigni laude pietatis, & Martyrij floruerint. *Contzen. l. 10. cap. 3. S. Martinus item adhuc miles, S. Sebastianus, aliique Deo placuerunt. Item Constantinus, Theodosius, aliique Imperatores, Consilio Pontificum Sanctissimorum, & Sylvestri, & Ambrosij bella gesserunt, & eorum nonnulli divinitus in prælio adjuti sunt. Notum est illud Crucis signum Constantino in aëre apparens cum epigraphe: *in tuum vixi, in hoc vince.* Cujus virtute Maxentium profligavit. *Baronius ad ann. Christi 312.**

V. Pro Romanis pugnavit Deus sub Honorio contra Rhadagaisum, qui uno die victus est, ut ne uno quidem Romanorum vulnerato, nedum extincto, centum millia ejus exercitûs prosternerentur ipsèque cum filiis captus debitâ poenâ necaretur. *S. Aug. l. 5. de Civit. Dei. cap. 23.* protectricem hanc Dei manû meruit Honorius planè Christianus Romano Pontifici addictissimus, ut ex ejus Epistolis ad Bonifacium Papam datis patet. *Beyerlinck. v. Bellum. Bellarmin. cit. cap. 14.* Pro Theodosio Augusto Deus pugnavit, dum is Eugenium Tyrannum oppressit, ventis tela in hostem retorquentibus. Unde Poëta Claudianus quamvis à Christi Nomine alienus in Theodosij Laudibus dixit:

Omniùm dilecte Deo, cui fudit ab astris  
Se Jovis armatus, vehemens tibi militat æther;  
Et conjurati veniunt ad Classica venti.  
ut habet *S. Aug. de Civit. l. 5. cap. 26. n. 6.*

VI. Certè si Reipublicæ licet gladium adversus malefactores, & seditiosos suæ Reipublicæ stringere, ut constat ex illo *Rom. 13. non sine causa gladium portat, Minister Dei est, vindex ad iram ei, qui male agit;* licitum etiam erit in defensionem, & protectionem suorum subditorum; idque non solum bello defensivo vim vi repellendo; sed etiam bello offensivo, & res ablatas repetendo; damna refarciendo, & injurias suis illatas vindicando; alioquin misera sanè esset cujuslibet Reipublicæ conditio, quæ infestaretur ab hostibus, si, nullo existente superiore in terris, qui vindicare posset injurias eidem reipublicæ illatas, fas solùm esset se defendere inimicos arcendo, neque ulterius belli jura prosequi posset illatas injurias vindicando: semper namque respública maneret læsa, malique audaciosiores fierent ad injurias inferendas; quod & apud Christianos tolerari non debet. Certè sic Orbis in felici statu haud posset consistere; esset enim innocentium iniqua conditio, si de injuriis à Tyrannis, & raptoribus, & latronibus sibi illatis per rempublicam sumere justam vindictam; & compensationem non possent. *Molin.*

VII. Q. 2. An liceat bellum gerere Christianis contra Turcas? Lutherus multarum absurditatum parens inter alia sua paradoxa, & monstra doctrinæ etiam hoc monstrum parturiit, ac defendere conatus est, non licere Christianis contra Turcas bellum gerere, ut patet ex articulo 34. in *Bulla Leonis damnato.* apud *Bellarmin. cit. lib. 3. de Laicis cap. 16.* Lutherus assensus est Theodorus Bibliander in *Chronologia tabul. 13.* His adstipulati sunt alij ejus Farinæ socij, Calvinij, & Lutheri discipuli, ut Danæus Calvinista, & Bolæus, quorum mendacia, & calumnias confutat Jacobus Gretscherus *tom. 3. de Cruce Christi. lib. 2. in apologia contra calumniatores cruciatarum expeditionum cap. 18.* calamum pestilentem hanc rebus publicis Christianis doctrinâ effundendi non movit veritatis, sed calumniarum amor, & odium vatiniarum in Rom. Pontificem, quem Lutherus *Turcissimum Turcam* appellat; cui odio eorum sectæ, seu fundamento inædificatæ sunt, & ideo pro favore Turcæ nihil argumenti solidi afferunt, sed impudentiæ calumniandi Caput Ecclesiæ Catholicæ habenas laxant, & Turcismum sibi Chariorem Christianismo ostendunt. Ut autem & hæ nugæ explodantur.

VIII. R. Non tantùm licitum est, sed laudabilissimum Christianis arma in Turcas con-

VER-

vertere: nisi fides data, & fœdus induciarum obftet; fides enim infidelibus data lervanda est. Laym. l. 2. tit. 3. c. 12. n. 15. Responſio ex dictis evidens est, & conſtat ex eo; quia Turcæ nullo prorsus Jure occupaverunt tot regna Christianorum, eaque injustè invasa injustè detinent; sũntque jurati Christianorum hostes, quos omnes extinctos cupiunt, si modò extinguere possent. 2. Conſtat, antiquos Rom. Pontifices, ut Urbanum II. Paschalem II. Eugenium III. & alios multos, nec non generalia Concilia, ut Lateranense, Lugdonense, Viennense, & alia generale bellum indixisse Mahometanis, & S. Bernardum, aliosque S. Viros Concionibus publicis excitasse populos ad hoc bellum, & Sermonem miraculis confirmasse, ut ipsemet Bernardus modestè indicat *in suo lib. 2. de consideratione. Bellarminus cit. cap. 16.*

IX. Sanè tot votis, quot suspirijs, optant omnes boni, (ut arma Christianorum inter sese amica fiant, & junctâ operâ in Turcas convertantur, qui non nisi Christianorum discordijs invaluere; eliminatus dudum ex orbe foret juratus hic Christiani Nominis hostis, si vires illæ Christianorũ in ipsum fuissent effusa, quas mutuis Dissensionibus, & ex-dibus Christiani in semet converterunt. Certè cum primùm, inquit Bellarminus, arma Christiana illata sunt in terram promissionis, felicissimo eventu Hierusalem à nostris recuperata fuit anno M.XCIX. Duce Godefride Lotharingæ de Bullion, & regnaverunt Christiani 88. annis. Gregorius. Bellarmin. ac semper plura, & plura recuperabant, donec oriri cœperunt inter ipsos Christianos Principes Contentiones; quemadmodum & nunc (inquit Bellarm. de suo tempore loquens) *Turca plura occupat ob discordiam nostrorum, quam suâ virtute, & harum discordiarum potissima causa fuit Lutherus ipse; nam ut ex Joanne Cochleæ patet in actis Lutheri an. 1526. Hungaria periit, quia Germani à Rege Hungariæ vocati in auxilium maluerunt Luthero parere tunc concionanti contra bellum in Turcas, quam cogitare, quid bonum commune postularet.* Et nostra ætate eliminatus Europâ foret infestus hic Christianorum Tyrannus ultimo bello cum ipso gesto, nisi post receptam Hungariam, & captum Belgradum discordia Christianorum eorum victoriarum stitisset. Quid de alijs infidelibus sentiendum, qui nullas à Christianis terras occuparunt, dicitur in seqq.

## S. IV.

## Diluuntur opposita in Contrarium.

I. **O**pponunt 1. Varios textus ex S. Scriptura, ut Deut. 1. *mea est ultio.* & Rom. 12. *mihi vindicta &c.* sed R. Ibi prohibetur tantum ultio, & vindicta privata & injusta. Idè R. Ad textum Matth. 5. *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe & alteram; diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos &c.* Sunt præterea hæc tantum consilia, nisi quando necessitas honoris Dei aliud exigit. Illud verò *Isaie 2. conſtabunt gladios suos in vomeres, nec exercebuntur ultra ad prælium solum* prædicit, fore pacem eo tempore, quo Christus esset nasciturus, quod contigit tempore Augusti; non verò prohibet bellum, si sint hostes, qui infestent.

II. Opponunt 2. Ex SS. Canon. 1. *can. Contrarium 3. dist. 5. de penitentia*, qui est Leonis Pæpæ. 2. *Can. falsas 6. eadem Dist. qui est Greg. 7. in Synodo Romana celebrata 1078. 3. Concil. Nicæn. Can. 11.* ubi gravissima penitentia injungitur ijs, qui militiam, cui renunciaverant, repeterint, & ad 1. & 2. Canones isti agunt de illis, qui occasione militiæ multa peccata commiserant, propter quæ penitentiam agebant; isti malefaciunt, si postea ad militiam redeunt, in qua experti sunt, se sine peccato vivere non posse, *non ex vitio militia, sed ex proprio; si verò militia alicui non sit occasio relabendi in pristina peccata spectatis circumstantijs, non est vetitum ejusmodi penitenti ad militiam redire; ut patet ex cit. can. falsas in hæc ubi dicit: nisi consilio Religiosorum Episcoporum pro defendenda justitia.* R. ad 3. Ibi agitur de ijs, qui ob Confessionem fidei privati fuerant cingulo militari à Diocletiano, vel Licinio, & postea reperebant cingulum parati negare fidem. Sciendum namque est, olim cingulum militiæ fuisse rem magni honoris, & etiam Commodi propter magna privilegia militibus concessa; & propterea antiquos illos Imperatores ethnicos tempore persecutionis consueville auferre cingulum militiæ, & exauthorare eos, qui Christiani inveniebantur, & fidem negare volebant, atque immolare idolis; quoniam verò quidam milites Christiani ardore fidei cingulum abiciebant, malentes potius sine honore, quam sine fide vivere, deinde autem seducti à Diabolo iterum ambiebant cingulam, parati fidem

Ggg

nega-

omnes Lutherum Protoparentem doctrinæ habeant (primusenim invexit scissionem in vestem inconsutilem Ecclesiæ JESU Christi, unde origo omnium reliquorum novorum dogmatum nostri temporis) eum tamen, agnoscere plerique erubescunt modò, & quia capite carent, à quo dogmatum varietates cõcreantur, eam quisque credendi methodum sequuntur, quam ingenium cujusque, & nova excogitandi vis par-turiverit.

## De Bello suscipiendo.

Licita Bella, si ritè gerantur, esse demon-stravimus: sequitur, ut, quâ ratione rectè per-agantur, demonstremus. Rectè autem agi-tur bellum, si *rectè suscipitur*, si *rectè geritur*, si *rectè finitur*. de quibus (Lipsij methodus est) per seqq. Sectiones agemus. ut verò ritè susci-piatur, duo maximè observentur, necessum: unum, ut absit *temeritas*; alterum, ut absit *injustitia*. Sit

## SECTIO III.

### De Bello non temerè suscipiendo.

#### §. I.

Rationes, cur bellum non temerè, sed maturò consiliò suscipiendum.

1. *Sapientis est nihil facere, quod pœnitere possit.* n. 1.
2. *Armis, opibusque fidi non potest: vitius alienis auxiliis.* n. 2. & 3.
3. *Ingentia mala bellum secum trahit.* n. 4. & seqq.
4. *Plus patiuntur boni, quàm mali.* n. 7.
5. *Cruelitas est in cede hominum gloriari: & fœda est gloriatio Casaris, à se 1192000. cesos.* n. 8. & 9.

**Q.** I. Quæ rationes suadeant, ut bellum non nisi maturò consiliò suscipiatur?  
**R.** Sequentes rationes. I. Quia *sapientis proprium est, nihil, quod pœnitere possit, facere; effatum Telij est Tuscul. 5. inconsiderantiam pœnitudo excipere solet: id quod, ut in omnibus, ità in suscipiendo vel maximè bello considerandum: facile namque suscipitur bellum, sed agerrime desinit, nec in ejusdem est potestate & initium, & finis belli. Sylvam Scintilla è silicè excussa accendit, eandem nulla vis restringere potest cum per densa arborum flamma victrix exultat. Incipere cuivis, etiam ignavo datum, deponere non, nisi cum victores velint, ut ex Sallustio Lipsius scribit: Victoriâ autem sibi securè promisterè quis potest? si pralio viceris (quod ipsum incertum) non eo ipso vicisti bello; quod semel conceptum in longum trahitur; pauca numeros. bella, in quæ cadat illud Ciceronis, quod pro lege Manilia de Cneo Pompejo pronuntia-vit, qui bellum extrema hyeme apparavit, in-  
 quante vere suscepit, media æstate confecit. supra diximus: bella ex bellis seruntur,*

II. Neque armis, opibusque fidi potest, sed Principi bellum temper timendum, quamvis hostes imbecilles sint, minimèque pares; quia *anceps est belli, ut ludi jacta alea, incerti evemens, fortuna inconstans, volubilis, & fallax, quam, no sroma tuis fiet è partibus, nullo holocausto flectere, nulla valet arte pellicere: sape cum maximè aspirare videtur, mutat scenam, & ubi minime veris, aliâ verum faciem induit. Non datur vincere cum volueris; modò hic, modò ille victor evadit; & quod caput est, peccare bis in bello non licet. Diogenes Cynicus Philippo exprobrabat, se stultitiæ illius spectatorem esse, qui tam multa possidens omnia in discrimen mitteret, idque nulla necessitate. Omnia incerta sunt in hominum vita, sed bello nihil incertius.*

III. Minus alienis auxiliis confidi potest; ea enim sunt tempora, quibus quisque ferè, quæ sua sunt quærit, non quæ justitiæ.

In pretio pretium non est, dat census honores, Census amicitias, speratque jura jacent, verum est illud Ovidij:

Donec eris felix, multos numerabis amicos,  
 Tempora si fuerint nubila, solus eris.  
 Sed neque nubila expectantur tempora; au-ro venales prostant mentes, quas nummus, ut piscem hamus inoscatus trahit; si hamum fucò suæ utilitatis tectum hianti ore prehen-derint, frustra es, si eum extricare niteris; tenaciter inhareret, nec quicquam fidem datâ, nec quicquam Religionem admoves; non enim quid juris, quid fides, quid Religions sit, attenditur; sed quid nummi, quid emolumentis, quid utilitatis suæ: hæc rapit ad sese pectora, & à fide avertit, atque nubila obducit tempora etiam in medio rerum secundarum cursu; nimis

nimis, quam læpè, in publicis hisce evenire experientia monstravit, quod Ovidius exuli sibi accidisse lamentatur, dum *trist. Eleg. 7.* canit :

In caput atra suum labentur ab æquore retro  
Flumina, retrogradis solque recurret equis.  
Terra feret stellas, Cælum findetur aratro,  
Unde dabit flammam, & dabit ignis aquas.  
Omnia naturæ præposterea legibus ibunt,  
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.  
Omnia jam fieri, fieri quæ posse negabam,  
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.  
Hæc ego varicior, quia sum deceptus ab illo,  
Laturum misero, quem mihi rebar opem.

IV. Ingentia sunt mala, quæ secum bellum trahit; quibus miseri involvuntur subditi. Medicinæ, ut salubres sint, solent tamen quodpiam secum nocumentum, quampiam naturæ, cui admoventur, debilitatem afferre; ea propter, ni necessitas majus emolumentum sperare cogat, noxiis humoribus pulsus, ab jis abstinendum periti artis monent. Quod medicina est corpori hominis, id bellum est corpori politico reipublicæ, non quodpiam duntaxat nocumentum, sed gravissima secum in rempublicam infert. Quare, nisi majus emolumentum ex bello speretur, quod omnia isthæc mala compenset, & refarciat in reipublica, ab eo abstinendum omnes rectè sentientes suadent; neque enim, nisi ob publicam reipublicæ utilitatem rectè suscipi bellum potest; quia propter populum est Princeps, & Magistratus (quibus suscipere bella competit) & non populus propter Principem, & Magistratum. Bellum horrenda bellua est, inquit Contzenius, lib. 10. polit. cap. 2. quæ innumeris sagittis suorum cruorem morientium, & gladius carnem secat, ac viscerationibus peritum ventrem farcire conatur, nunquam autem temulenta satiatur. Rectè Cicero 1. Off. in reipublica, inquit, maxime conservanda sunt iura belli; nam cum sint duo genera decorsandi, unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. Quare suscipienda quidem sunt bella, sed ob causam, ut sine injuria in pace vivamus.

V. Nihil perinde belluinum est, (Maseni deplorat in util. curios. cap. 19.) quam hominem homini esse lupum, & (quod fit in bello) vitam extorquere, atque auferre id, quod dare nemo potest, aut quo seipsum reddere meliorem. Sed neque facile Lupus Lupo, Tigris Tigridi, Leo Leoni mutua feritate collisivit extorquebunt: si quæ illos levitia exaquat,

in dissimile sibi genus belluarum exercebit. Homo verò in hominem se armat ad eandem Dei imaginem creatum, ad quam ipse creatus est, eodem sanguine Filij Dei redemptum, quo ipse redemptus est, ad eundem finem æternæ beatitudinis conditum, ad quem ipse conditus est: homo in hominem se armat, cum quo æternam in eadem Cæli Regiæ pacem exspectat. Et, ut de hac vita loquamur, nemo magis homini suam felicitatem invidet, impeditque, quam homo, cui in hac vita nihil beatius ipsa pace, & quietâ rerum possessione, Aureo sæculo fruere homines, si mutuâ sese benevolentia complecterentur, & pace, observarentque illud, quod natura omnium cordibus insculpsit: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

VI. Bellorum etiam justissimorum commune est malum (Contzenii verba sunt) quod in illis disciplina jaceat, vitia invalescant, neque ulla res mores æquè corrumpit, atque militia, quippe in qua pleraque impune committuntur, quæ enim in reipublica, & bene constituta civitate flagitia censentur, in Castris ludi sunt, ferè majora scelera committuntur, dum civitas capitur, quam ea sunt, quibus meretur capi; & quod maxime deplorandum, dum in presenti periculo necis inter strages morientium versantur, de salute cogitationem seriam haud suscipiant: silent inter arma leges, subditis licentia scelerum datur, homines trucidantur, infantes spoliantur, hecque sine justitia ut plurimum, quid enim milites habereant si unusquisque suam habuerit. Senec. de benef. 4.

VII. Præcipuè in bello laborat Religio. Laudatur Fabij humanitas, quod, cum Tarentum evertillet, in Deos non sæviret, sed diceret, relinquere se Tarentinis Deos iratos; Paupertas belli comes est; ærarium exhauritur, subditi spoliantur, militibus malè parta malè dilabuntur, vastitate, & incendiis absumuntur victui necessaria, maleduata paupertas scelerum seminarium existit, latrones, prædones parturit; latrociniis enim, fraudibus, & injuriâ recuperare sagunt, quod bello perdidere: raro victor beatus, victus semper pauperior evadit. Hoc verò omnium maxime deplorandum, quod non modò, ubi bellum ingruit, innocentes, ac noxij juxta cadunt; sed boni plus etiam patiuntur; cum enim malâ vitam parvi, minoris conscientiam æstiment, in omnia injuriarum genera proni sunt: ac boni, cum nec injuriam inferre, nec aliena rapere velint, damna sua deplorare & ferre coguntur. Tritum est illud:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes,

VIII. Inter innumera autem belli mala malum gravissimum, quod ex bello temerè sus-

H h h

sc-

scepto, & hominum cæde honor quærat, & homini hominem occidisse gloriosum ducatur; satis causæ videtur esse, ut tam sacrum animal occidatur, si victoris nomen acquiratur occisori; quot enim gentes nullâ suâ culpâ, sed crudelissima ambitione perierunt? pro foliis Lauri nationes integræ conciduntur, cupidine triumphandi bella seruntur, & major est gloria multos hominum occidisse, quam multos servasse. Alexandrum, Cæsarem, Mahometem, Tamerlanum admiramur, & summæ laudis habetur multos malos, & multos innocentes sine discrimine occidisse: quò titulò Nemeæum Leonem, Hydram Lernæam, Aprum Caledonium laudare possis. Conzen. cap. 2 §. 2.

IX. Fœda est professio Cæsaris, undecies centena nonaginta duo hominum millia à se occisa, & de bello civili nondum loquitur. Pompejus in delubro Minervæ inscripsit, à se vicies semel centena octoginta millia fusa, fugata, in deditionem accepta. vide Maseonium folio 387. & 388. Non hæc laus est, vana crudelitas, & crudelis vanitas est in hominū cæde gloriari; Princeps bonus non bellum agit, ut sanguine hostium se jaçet, sed ut improbos repellat, subditos, & rempublicam conserveat, non ex aliorum infelicitate, sed ex suorum felicitate veram laudem quærens; finis est Principis subditos suos incolumes conservare, non alienos morti dare, & infelices reddere. Augusta est Antonij Imperatoris vox: *honestius esse unum civem servari, quam mille hostes occidi.* honor in honorantibus est; qui verò cædibus hominum delectantur, contemptibiles, non honorabiles se aliis reddunt, & ut pauci sint, aut assentatores, aut turbulenti genij homines, qui isthæc adulando magnificent, multò tamen plures erunt, qui apud semet vituperent, & detestentur; sicque qui laudem apud alios (id est magnam æstimationem in eorum mentibus) quærit, opprobrium apud plures reportat. Quia in re deceptus est ille, cui, pacem ut pangeret, gynæceum quodpiam persuasisse dicitur unò hóc motivò, satis ipsum gloriæ esse nactum tot præliis perfunctum, tantis hostibus parem, aut Superiorem: *non pro ambitione pugnasse laudis est, sed pro incolumitate suorum subditorum, & pro charitate omnium pacem coluisse.* Omnis tandem gloriæ ambitio in fumū abit, & in cinere quiescit.

Hoc sine Pompa clauditur

In pulverem redacta. Balde.

Ex quibus concludas, quanta circumspectione, & consiliò bellum suscipiendum, ne teme-

re susceptum poenitere faciat, & illam inconsideratorum vocem exprimat; *non puisset: sempèrque pax præferenda, nî sub nomine Pacis gravius bellum lascat, meâ quidem sententiâ,* inquit, Cicero.

## §. II.

### De Consiliò, quod bellum suscipiendum præcedere debet.

1. Consilium Bellicum maturum, lentum, repetitum esse debet. n. 1.
2. Quid à Consiliariis, & Principe circa Consiliarios observandum. n. 2. & 3.
3. Quæ in Consilio bellico consideranda. n. 4.
4. Justitiâ belli perspectâ non statim ad arma veniendum. n. 5. & seqq.

UT sine temeritate suscipiatur bellū, oportet præcedere consilium de eo suscipiendo. Magna res bellum, magnæ res plurium consilium poscunt, quò discutiantur.

I. Q. 1. Quale oporteat esse id consilium, in quo bellum suscipiendum examinatur? R. Oportet esse maturum & lentum, non festinatione præcipitatum, sæpius, atque iterum, iterumque convocandum. Senatores quales oporteat esse, & quales in iis desiderentur dotes, dignosces ex iis; quæ parte 1. sect. 7. §. 3. diximus de Senatoribus in genere. Noxij sunt pseudopolitici, & pretiò venales animæ, adhibendi viri pij, docti, veræ politiz, & rerum gerendarum gnari; quos priusquam Princeps convocaverit, & cum iis negotium maturè discussisset, bellum suscipiendum non est: quia gravissima mala secumfert. Laudatur Philipus II. Hispaniarum Rex, quòd, cum bellum in Lusitanos moliretur, jus suum ante omnia disputari à Theologis, & Jctis suis curaverit, deque eo certior factus tunc demum copias suas promoverit. Sic quoque Ezechias, cum intelligeret, Imperium Regis Assyriorum in Populum Israël verti, cum Proceribus suis, virisque fortissimis prius consilium inivit, & feliciter ei bellum cessit. 2. Paralip. 32. v. 23. & seqq. Josias, licet pius alias Princeps, quia temerè non necessarium suscepit bellum, à Deo punitus est. 2. Paralip. 35. v. 3. & seqq. Malè quoque cessit Roboamo, quòd, relicto senum consiliò, Juvenum coætaneorum temeritati acquieverit. 2. Reg. 17.

II. Consiliarij autem hæc observabunt: 1. faciles non sint ad suadendum Principi bellum, ne, re sinistrè cadente, & Principis indignationem, & conscientiz vulnerationem

ten-

fentiant. Xerxes Persiæ Monarcha potentissimus bellum illaturus Græcis, convocato consilio prudentium, deliberavit quidē; consultumne id esset, nec ne? ad bellum pluribus suffragiis euntibus, pacem unice suavit Artabanus, patruus Xerxis, cuius si secutus fuisset consilium, piscatoriâ scaphâ vitam redimere non fuisset coactus, & tragicum hoc monumentum posteritati relinquere; in exiguo navigio videre, quem paulo antè vix aquor omne capiebat, eumque carere suorum ministerio, cuius exercitus ante propter multitudinem terra graves esse videbantur. Reinkingk. L. 2. class. 3. cap. 3. ex Iustin. lib. 2. Histor. non itaque satis est convocato, sed etiam perpenso consilio de bello vitando, vel suscipiendo agere: Solet enim, quibus initium est sine prudentia, finis esse cum penitentia. 2. Vincant in dando consilio iram, de quo Contz. L. 10. cap. 10. Sapiens dictum Nanzianzeni: θυμὸν χαλῖνς, μὴ φρεσῶν ἔζω πείνης. Iram frenata, ne mente excidas. Nihil hac in re periculosius Principe, qui, cum homo sit, damna, & contumelias more humano, id est, ægrò animò, & ut excelsæ mentis videatur, iracundò fert: hoc eventu Consiliarius fidem sententiam non dicit pro affectu, sed pro salute Principis: irato enim Principi Consiliarius pacatus maxime necessarius est; Consilium dabit, quale pacatus postea Princeps ipse probabit, multi hac in re falluntur, cum ad gratiam occupandam ira Principis adulantur, quam mox Princeps ipse positurus est; non enim semper eadem sunt voluntates Principum, ut monet Plinius: iratorum verò voluntates vanescunt celerrimè. 3. Rex, & Consiliarius, sub aurato Tholo inter peristromata de bello consultantēs, in acie se versari credant, atque eò animò sint (cicatus auctor loquitur) quò illi, quorum aures circa strident equissa tormenti jacula: si consulentium interdum quietis unius sclopi globulo terreretur, multò sedatius bella decernerent. Rectè Princeps Outopianus, cum magno numero Consiliarij de bello consularent, iamque senatus consultum pro bello subscribendam esset, clam constituit, ut ex opposita cenaculo turri per vitreas fenestras in conclave jacularentur milites sine ullo periculo eorum, qui adessent: sed ingenti pavore, cum specularium fragmina viderent, omnes diffugere, tuta querere: monebat Princeps, ut in periculo interriti consisterent, sed frustra: vicit timor verecundiam, & solus in periculo, ut putabatur, Princeps destituitur: ille civiliter timori ignoscens: nemo inquit, bellum suadeat, nisi qui & ferre pericula potest: me in periculo destituitis, verbo leones, re lepores. Consilio maturò, & rectò nihil tutius: unicum consilium multas superat manus, & paucis momentis consilium non minùs, quam fortuna effecit maxima.

III. Debet quoque Princeps Consultores suos perpendere, qui sint, qui suadeant. Sunt enim, ut ex Tholosano loquitur cit. auctor, in aula furia, facèsque belli, Nobiles, quibus in pace

darius servitium est; quo tempore coguntur probis legibus obtemperare, & à quibus in belli licentia se liberant: sunt inquieti, qui neque ipsi quiescunt, neque alios quiescere sinunt: sunt exules, qui in eos, à quibus pulsati sunt, merito meta poenarum cunctantem Principem impellunt in arma: sunt, qui pretextu publicæ causæ vel seipsos de inimicis vindicare, vel ditescere stipendiis, & sumptibus Principum, & ex rapina in subditos capiunt. Sunt plures, qui de bello peragendo consilium facile dant, sed periculum postea subire detrectant: sunt, qui presentiatantum respiciant, & iram excandescentem implere desiderant, sed mala publicæ non considerant; quæ omnia prudens Princeps, vel Republica Gubernator prius expendet, quam aggrediatur. Qua in re difficilior est conditio illiteratorum Principum; licet enim Princeps non teneatur in hoc puncto sequi leges civiles, cum supremus sit, & supra leges; teneatur tamen sequi legem naturæ; cum verò lumen rationis in corrupta peccato originali natura sit valde debilitatum, & passionibus proprii commodi facile obscuretur, multaque sint legis naturæ, quæ discursu indigent ad eam lucem ritè cognoscendam; Leges civiles verò ferè iuri naturæ innitantur, illudque explicent, facilius longè veritatem dispiciet, literatus, quam illiteratus; cui proin major cautio adhibenda est, ut fideles consiliarios nanciscatur, non qui fidi sint solum studendo commodis sui Principis, sed remotos ab omni adulatione, & passione, ad dicendam nudam veritatem, sicut in se ea est.

IV. Q. 2. Quæ considerari oporteat in prævio belli suscipiendi consilio? R. Duo maximè consideranda veniunt. Primum est, Si ne iusta belli causa, nec ne? alterum est, majusne commodum, & emolumentum ex bello iusto, quam ex pace iniqua haberi possit? Primum examinantur Theologi, & Jcti: alterum politici, qui statum reipublicæ, & sui Principis, & ejus, contra quem de bello deliberatur, perspectiorem habent. Magnam requiri considerationem liquet ex supra dictis de diffidatione belli; quia Princeps de bello deliberans Judex sedet in gravissima causa, quæ integri regni fortunas, vitamque multorum uno discrimine involvit: Judex autem non nisi re exactè prius discussa & explorata, & seposita omni passione inordinata sententiam ferre potest; eoque plus illi est trepidandum (ut Molina loquitur tr. 2. disp. 10. 3.) videntumque, num causa sit satis perspecta, explorataque, quò de re graviore agitur; cumque in re morali difficilè verum, ac justum attingatur, præsertim quando de commodo judicantis agitur, sanè si negligens-

genter, & cum passione hæc examinentur, facile errabitur, neque error à gravissima culpa, & restitutionis onere Principem, & Consiliarios excusabit. Etenim, ut habet Contzen, *lib. 10. cap. 5.* nullum gravius scelus esse potest, quàm bella injusta indicere, indicta gerere. Si enim unum homicidium, furtum, adulterium, incendium. Divina lege damnatur, quanti criminis reum arbitrabitur, qui tot hominum myriades trucidat, regna incendit, rapinis, devastationibus, libidinis implet. Hinc satis non est, Principem, qui bellum movet, habere *causam dubiam*, vel *arbitrari*, se habere justam belli causam; sic enim & Turcarum, & Saracenorum adversus nos bella justa essent; sed opus est, ut, quando res dubia esse potest, pro rei pondere, gravitate, ac difficultate diligens prius inquisitio fiat ad inquirendam veritatem adhibito eorum sapientum, & prudentum Consilio, de quibus merito credendum sit, sincerò, & maturò judicìo, passionèque semota ea de re judicaturos, veritatemque inventuros. Dogma Iurorum est, Judicem in judicando non nisi probata sequi debere, *can. iuracet. l. q. 7. l. illicitas 6. §. 1. de Offic. Præf. & cum paria utrinque sunt merita causæ, & probata, debere pronuntiare pro ea parte, quæ in possessione stat. c. ex literis de probat.* In criminalibus verò probationes luce clariores esse oportere *L. fin. C. de probat.* Idque æquitas Juris naturalis postulat. Hoc si obtinet in privatis, ubi de hæreditate, de agellis, aut sanè unius hominis vili capite agitur, quid in magnis faciendum, integrisque populis censebimus? si æquitas naturalis non patitur, ut *dubiam causam* reus privatus occumbat *morte certa*: qui tot millia hominum queant occidi in bello, aut eis res eorum abripi, quas possident, quamdiu certò non liquet, justè induantur arma, nec ne? Si in dubio, melior est conditio possidentis in omni causa, id vel maximè est in causa criminali, ubi reus in possessione stat vitæ suæ; sententia de capite non fertur in obscuris: at, qui bellum indicit, jam judicavit de capite, neque hîc plus juris est Principibus in Principes, quàm subditis in subditos. Hinc patet, magnam prorsus discussionem causæ prærequiri, nec sufficere perfunctoriam de ea cogitationem. Quare non solum per Consiliarios, sed per Academies, alios amicos, Principesque à Principe rem hanc tam arduam examinandam asserit cit. Contzen. §. 2.

V. Justitia causæ belli perspecta non statim

ad arma veniendum est, sed, ut Knipschilt n. 61. & seqq. instruit, potius prius omnia tentanda, omnis via juris, & occasio belli declinandi captanda est, antequam in campum Martium descendatur, tunc enim veniendum ad arma, cum locum apud adversarios iustitia non invenit; jis justum demum est bellum, quibus necessarium, & nulla nisi in armis relicta est spes; injustum, quibus non necessarium: & arma impia, quibus aliò, quam armis, modò transigere licitum, æquus rerum estimator ignorare nemo potest; omnia prius experiri, quàm armis agere sapientem decet. Idèd meritò bellum dicitur injustum si controversia per arbitros sopiri potest, vel per judicem. Et sanè cum bellum sit medium quoddam perveniendi ad pacem, sed valde grave, & periculosum, & ideo bellum geratur, ut in pace vivamus, non statim inferendum est, cum causa existit; sed pax prius aliis omnibus rationibus procuranda, nimirum pacifice ab hostibus satisfactionem debitam petendo. Unde Deut. 20. v. 10. dicitur: si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas. S. Aug. ad Bonifac. Epist. 207.

VI. Quòd si omnibus perspectis & causa belli sit liquidè justa, & nulla spes appareat obtinendi sine armis competentem Satisfactionem, Politicorum Consiliariorum negotium esto considerare emolumenta, quæ ex bello suscipiendo sperari prudenter possunt, & detrimenta, quæ exinde prudenter metuuntur, eaque inter se se, & cum pace comparare, nisi majora sint commoda, quæ bellum, quàm quæ pax iniquior offer, pax amore boni publici erit præferenda. Aurea vox, quam Augustus Imperator sæpe in ore habuisse fertur: *Sibi non libere aureo hamò piscari, & gentes debellare multarum regionum periculo.* Congruit Marciani Imperatoris dictum: *Dum in pace esse possumus, arma non induamus.* Experientia testis est, bellum plus habere impendij, quàm compendij, plus esse in gerendo, & perficiendo detrimenti, quàm in gesto emolumentum. Reinkingk. *Clas. 3. cap. 3.*

VII. Omnibus pensatis, & tentatis, si & justitia causæ liqueat, & spes satisfactionis nulla affulgeat, & bellum ita geri posse existimetur, ut ad finem illud perducere, & satisfactionem injustè negatam extorquere cum emolumento prudenter existimetur; tunc tandem belli consilia convertentur ad media, & apparatus illud cum efficacia suscipiendi, prosequendi, & cum celeritate conficiendi; prius enim est parare bellum, quàm exercere, *dis apparandum est bellum, ut vincas celerius.* Eum ad apparatus spectant res omnes ad usum belli necessariae, ut sunt pecunia, com meatus, arma; nam hæc nisi jam ante præparata adsint, frustra cogitatur de bello. *Epist. §. III.*

## §. III.

## Regulæ instituendi Deliberationem ad suscipiendum bellum.

1. *Finis duplex Principis. n. 1.*
2. *Regule deliberandi de bello suscipiendo. ibid.*
3. *Hæ Regule etiam in aliis negotiis magni momenti adhibende. n. 3.*

**L**entè deliberare, & quod semel ritè deliberatum est, strenuè exequi fortiam & prudentiam utrorum est: non nisi imbellium, & imprudentium impetu ferri, & inconsiderantiâ. Magna res bellum est, magnæ res magnam considerationem poscunt; omnia tandem ex hac deliberatione, & resolutione, qua Princeps alterutram in partem, pacis, vel belli, se resolverit, pendent; hæc post se trahit aut illiadem malorum, si bellum resolveretur, aut amœnant quietem, si pax decernatur. Sed

I. Q. Qua ratione instituenda sit hæc deliberatio, rectè ut instituat? R. Rectè perageatur, si sequentes Regulæ observentur.

*Regula 1.* Ante omnia Princeps (vel Magistratus) de bello deliberaturus invocato Divinæ gratiæ auxilio sibi ob oculos ponat finem suum, ob quem & in hoc orbe, & in hac republica à Deo positus est. Hoc fundamentum sit oportet totius negotij, ritè ut illud geratur; finis hic non cadit in deliberationem; sed ipsi deliberatio ceu fundamento innitatur necesse est, hancque ceu scopum semper respiciat; non enim de fine, quem nobis præfixum habemus, & ad quem tendere nos oportet, deliberamus, sed de medijs perveniendi ad finem:

Quidquid agis, prudenter agas, & respice finem. Quid quid à fine proposito deflectit, contusum est, & vitiosum: qui deserit finem sibi à Deo præfixum, hoc ipso malum facit; malum autem in deliberationem venire non potest; nemo enim rectè deliberat, sitne malum faciendum nec-ne: ipsa Divina veritas, & natura cuiusvis fati loquitur. *Declina à malo, & fac bonum.* Finis porro Principis duplex est, unus quatenus homo, alter quatenus Princeps est. Quatenus homo est, finem cum alijs hominibus communem ab Auctore naturæ propositum habet, qui est *servire in hoc mundo Deo Creatori suo, & se, animamque suam salvam reddere, ac æterna post hæc vitam beatitudinis participem.* Quatenus Princeps populi est, finem habet à fine reliquorum hominum discretum, qui est subditos bene regere, salutem, felicitatem, beatitudinem republicæ curare; non

enim *titulus dicitur est imperare, sed officium: nec Principatus est sui causâ, neque Princeps sibi est finis, sed utriusque supremum bonum est salus, & tutela populorum: neque tot millia pagorum, urbium populorum, quæ Regi parent, propter Regem sunt, sed propter populos Rex est, cujus officium est omnium salutem prospicere, omnium malis mederi.*

Utrumque hunc finem graviter consideret bellum suscepturus Princeps. *quatenus homo est, perpendat, Deum qui se non minus, quàm infinitam aliarum creaturarum multitudinem potuisset intra nihil tenebras relinquere, ab omni retro æternitate statuisse ipsum ex nihilo extrahere, atque etiam suo tempore extraxisse nullam aliam ob causam, quàm ut ipse in hoc mundo servias, atque Salvus fiat: atque hic finis omnium hominum est, hoc unum magnum negotium omnibus Communè, quod universo ad agendum incumbit mundo: negotium, quod agere debent Reges, & Principes, dum regnorum gubernacula versant, sacri præfules, dum Ecclesijs præsunt, Duces, & milites, dum bella gerunt; mercatores, & nauta dum Commercium exercent, & maria pernavigant; hoc artifices in officinis, agricolæ in agris, mendicabula in Prochodochijs; ad hoc enim *Creatus est omnis homo.* Rex in solio, Princeps in Palatio, Dux in bello, miles in castris &c. Felices, & æternum felices, qui hoc magnum suum negotium æstimant, & ritè gerunt, atque ad eum, ad quem conditi sunt, finem pertingunt. Infelices! & æternum infelices, qui hoc negotium magnum negligunt, & à suo fine aberrant; *ibunt enim hi in supplicium æternum; illi vero in vitam æternam.* Matth. 25. v. 46. sive Reges sint, & Principes; sive agricolæ; sive pauperes, sive Antistites, sive cives; sive Duces, sive milites. Minime necesse est, hominem esse Regem, esse Principem, esse Ducem, esse militem, esse civem, esse rusticum; sed quisquis homo sit, hoc unum ipsi necessarium est, ut serviat Deo, & Salvus fiat, nã æternum miser velit esse. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, anima vero suâ detrimentum patiat, aut quam dabit commutationem pro anima sua?* Matth. 16. v. 26. Magna bella gessit Alexander, quid profuit? magna Julius Cæsar, magna Hannibal, quid profuit? si ignibus jam torquentur æternis, quid prodest? quid? *Laudantur ubi non sunt, cruciantur ubi sunt.**

Quatenus Princeps in hac Republica est, perpendat, populum hunc sibi esse commissum,



ut eum dirigat ad eum finem, ad quem & ipse, & populus creatus est, de quo supremo Iudici rationem redditurus est. Comœdia est vita hæc, in qua hic personam Principis, ille personam Ducis, alter personam militis, alius personam civis, alius mendicabuli, alius agricolæ agit; tota abrumpetur Actio decretorio illo Iudicij Extremi Die, ubi non quæretur, *qualem personam* quisque gesserit, sed *quam bene* gesserit. Recte Poëta Alfata canit de *vauis mundi*. 75.

**Serua aduerto, quàm duras diphthera leges**

Explicet: in fatis est periisse semel.

**Arma feras, quæcunque potes: Galeamque, Comasque,**

**Ensemque, & clypeos obruet alta specus.**

**Bella geras, quæcunque cupis: vexilla, virosque, Et Plaustra, & lituos hauriet una palus.**

**Prosternas, quæcunque feris. Simul omnia tandem, Victorem, & victum parvula fossa teget.**

**Das flag ich / daß nichts ewig sey /**

**Alls muß am Kopf: Haar hangen**

**Das Regiment / die Stuck darben /**

**Standarten / Spieß und Stangen:**

**Das Werk / und Städte / Helm und Trommet /**

**Das Kopf mit sambt dem Heutter;**

**Deckt alles zu / ein Grab drey Schuch /**

**Und nicht bald etwas weiter.**

**Regula 2.** posito ob oculos utroque hoc suo fine, perpendat quanti momenti res sit, de qua deliberat; animumque ab omni inordinato affectu, ab omni partium studio abstractum teneat velut in æquilibrio positum, ut nec in bellum, nec in pacem magis propendeat, sed unice mentem componat ad amplectendum id, quod perpensis omnibus ad hunc suum duplicem finem iudicaverit fore convenientis, ad salutem scilicet & animæ suæ, & Reipublicæ, cui præest.

**Regula 3.** Proponat dein sibi, & animo volvat omnia Commoda, & utilitates, quas reipublicæ è bello eventuras sperare prudenter potest. His opponat è contrario omnia incommoda, & mala, quibus per bellum exponit rempublicam, & tristes effectus, quos bellum secum trahit, ut, quod in bello abigantur armenta, proterantur segetes, devastentur agri, trucidentur agricolæ, & cives, exurantur villæ, incendantur oppida, subvertantur civitates, Constuprentur virgines, tot milites præcipitentur ad Tartara, corrumpatur Juventus, fileant leges, ingentem calamitatum cumulum secum trahat bellum, quarum

pars maxima in innoxios recidit &c. Dum è contra in pace coluntur agri, vernant horti, pascuntur securè pecora, ædificantur villæ, extruuntur oppida, collapsa restaurantur, exercentur tutò commercia, crescunt opes, vigent Leges, & Disciplina, valet æquitas, eruditur Juventus, florent honestissima Discipularum studia &c.

**Regula 4.** Comparet inter se se ex una parte Commoda, & incommoda belli, ac pacis: ex altera verò parte vires & suas, & hostium, quibus bellum moliri cogitat: perpendat pariter omnes, qui iacta semel alea belli evenire in futurum poterunt, eventus; discutiat, unde peti possint, & qualia auxilia, quàm tuta, & quàm ratione eis fidere possit: quàm ratione bellum semel coeptum, & quousque possit profèqui, ac qua ratione ad finem perducere: Examine præterea causas, ob quas bellum vult suscipere, num iustæ, & satis efficaces sint: de quibus postea.

**Regula 5.** Postquam hæc omnia satis secum discussit, & mature mente versavit, adhibeat Consilium virorum prudentium, de republica bene meritorum, quibus in primis committat causas discutiendas, earumque iustitiam; dein reliquas circumstantias omnes per eos agitari, rationes pro, & contra excuti, ac disputari curet, eorumque sensa, ac vota colligat, singulatimquæ omnia trutinat. Consultum foret, ut senatorum singuli scripto suam exponerent sententiam addendo breviter rationes, quæ ad bellum movere videntur, & obstacula quæ à bello absterrere videntur.

**Regula 6.** His ita peractis reputet secum, si mors post hanc resolutionem ingrueret, quid statuisse tunc mallet; illud & in hac sua deliberatione statuatur. Juxta id:

*Fac modo, qua moriens facta fuisset velis.*

**Regula 7.** Prospiciat pariter, quando pro Tribunali Divino stabit à Deo Judicandus, quid resolvissè tunc mallet; illud & in hac sua deliberatione resolvat, ut eo tempore magis sit securus.

**Regula 8.** Consideret item, si quis amicissimus à se Consilium hac in re peteret, quidnam illi decernendum consuleret; illud & ipse agat, sicut suaderet alteri, illudque ipsum Consilium sequatur, quod in hac occasione consultus alteri daret, cujus salutem ex animo desiderat.

**Regula 9.** His omnibus præmissis, in utramque partem ratiocinetur, atque omnibus mature discussis, & rationibus inter sese comparatis

ratis adhibeat secretiores, fidioliores, & rerum magis peritos (paucos tamen) consilij sui arbitros, cum quibus juxta dictamen rationis, seposito omni carnis, vanitatis, gloriæ, vindictæ appetitu, omnique sinistro animi affectu, invocato Divino auxilio statuat in Domino, & coram Deo id, unde plus emolumenti, minus damni in rempublicam exundaturum judicaverit.

*Regula 10.* Peracta sic deliberatione ad preces recurrit, Deoque sententiam, quam bona fide decrevit, offerat, atque auxilium petat, ut, quod decrevit, Deus promovere, atque ad suam gloriam, animarum, & reipublicæ salutem dirigere velit, atque ad felicem exitum perducere.

*Regula 11.* Omnibus ita præmissis, siquidem bellum placuit, pro injuriâ, ac damno subditis, vel sibi illatis (nam & Principem injuriarum, ac damnorum immunem esse reipublicæ inter est) satisfactionem ab hostibus petat; quæ si præstatur, ad arma non convolandum, sed adhuc pax præferenda; sin minus, implorato rursus Divino auxilio, ut justæ causæ Justus Judex assistere dignetur, mittat faciatem; bellumque in Nomine Domini denuntiet, cum protestatione coram Deo, se nulla sinistra animi affectione hostem læcessere, sed sola ratione, & amore boni publici, ac subditorum, ad quod tuendum Deus pacis, & belli, vitæ, & necis Dominus, gladium concessit.

II. Religiosa nimium hæc præcepta videbuntur illis, quos Machiavellus instruxit suis præceptis: sed salubria esse, & vera nemo solida veritatis, & honestatis amans inficias

ibit, & ut observarentur omnes boni optabunt. Certè si Regulæ hæc observatæ hæcenus fuissent, pauciora mundus bella, pauciores calamitates vidisset, quorum multa originem traxere ex libidine dominandi, ac rerum potiundi, aut cupiditate vindictæ, ambitione, aut ex levitate animi, aut ex causa vanæ laudis, &c. si non, quæ fiunt, certè, quæ salubriter facienda essent, docemus.

III. Neque in bellis duntaxat, sed in omni deliberatione cujuscunque negotij, quod magni sit momenti, hæc deliberandi methodus saluberrimè adhibetur, quod est admirabile inventum S. P. Ignatij, qui Electionis materiam ad hanc methodum reduxit, e. g. si quispiam disquirere velit, qua ratione secundum regulas veræ prudentiæ, & salutis animæ familiam ducere, elemosynas erogare, aut aliud negotium conficere ritè possit, is rectè hanc methodum assumit, & adducto creationis sine, animo in balance posito, & ad neutram partem inclinato, invocata Divina ope perpendat utrinque commoda, & incommoda, illisque discussis, & examinatis, inordinata animi passione seposita, consideret, quid alteri bono amico suaderet in simili eventu, quid in articulo mortis constitutus, & coram Divino Tribunali stans à se actum vellet, & secundum hoc judicium, quod, quia ab æternitate dictatum, longè defæcatus est, quàm quod falsæ affectionum nostrarum persuasiones suggerunt, seriò in id incumbat, quod tunc à se præstitum optaret. P. Franc. Nequev. *Sacr. Recept. consid 7.*

## SECTIO IV.

### De Bello justè suscipiendo.

*Temeritatem à bello suscipiendo removimus, removenda nunc injustitia.*

#### S. I.

Conditiones ad bellum justè suscipiendum requisitæ.

1. *Bellum justè suscipiendum. n. 1.*
2. *Nulla est illatio: vicit ergo justam causam fovet. ibid.*
3. *Conditiones requisitæ ad bellum defensivum. n. 2.*
4. *Idem cause. n. 3.*
5. *Conditiones requisitæ ad bellum offensivum. n. 9.*

I. **O** Mne bellum justè suscipiendum omnia Jura, Naturalia, Divina, & humana

clamant; secus enim vix humano generi promiscuis cædibus homines, nationibus, moribus, linguis, affectibus diversissimi, sese conficient. Jura si à bellis tollas, omnium inter se gentium bella perpetua seminasti? barbaro ritu cædem cæde, & sanguinem sanguine expiabimus. Absit, nec unquam animum tuum, inquit Lipsius *lib. 5. polit. cap. 30.* penetrant illæ voces, *ius in armis ferre, & omnia fortium virorum esse.* Item illæ: *Quæritur belli exitus, non causa, & illæ subtilissimæ malitiæ;*

*Hæc*

Hac acies viculum saluta nocentem est. Non, non, mi homo: erras: nec acies est, quæ innocentiam approbat, sed causa. Etsi plerumque eveniens belli velut æquus iudex, unde tus stabas, ei victoriam dedis; nam causa velut caput bonæ spei est, de qua Lucanus canit:

*Causa jubet superos melior sperare secundos.*

Et Euripides.

*ἰδεὶς ἑρατειῶν ἀδικῶν, οὐδὲς ἤλθεν πάλιν.*

*Iniqua bellans bella saluus haud redit.*

Nihilominus haud rarò innocentiam quoque iniquitas triumphavit, arcano, & nobis ignoto fine, quem Divina Sapiencia permittens isthæc intendit, quemadmodum aliàs quoque sæpe contingit, ut impietas pietatem superet in hac nostra misera vita, ubi impij pijs mixti vivunt, quod propheta miratur. *Quare,* inquit, *via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui pravocantur, & utique æquus? Jerem. 12. v. 1.* Causam manifestabit decretoria illa Dies, quæ mundo finem dabit, quæ omnes, quotquot vixerunt, & vivent, humani generis cives in vallem Josaphat citabit clangens in quatuor mundi partibus tuba:

*Surgite funetei clanget tuba, surgite manes.*

Sentel. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria conscientia, prout gessit, sive bonum, sive malum, 2. Cor. 5. v. 10.* Interim sinuntur crescere Zizania in medio tritici, ut runc colliganur in fasciculos ad comburendum, tritium autem (boni homines, sive reges, sive cives, sive divites, sive pauperes fuerint) Congregetur in horreum æterni Regni. *Matth. 13. v. 30.* Nulla est illatio: *Vicit: ergo justam causam fovet, quia Deus approbavit.* Quod argumentum (plebeiorum est) satis supra; ubi de Monomachia Judiciali egimus, est confutatum; non enim extat promissio Dei, quæ justæ causæ assistentiam suam specialem ultra ordinarium naturæ cûrlum addiderit. Cur autem ita Deus permittat fieri, ut sæpe, qui prior est, in hoc mundo vincat, Dies, ut dictum, decretoria demonstrabit. Certè ad bellum non nisi justè suscipiendum movere Christianum debent severa judicia Dei; qui reddet unicuique secundum opera sua; quæ meritò timere oportet eos, qui ex cupidine imperij (quæ verus causa, & frequentissima bellandi est) aut divitiarum aut captandi laudem bellum suscipiunt; *Qui libidine dominandi causa, bello habent, & maximo gloriam in maximo imperio putant. Atque id in magnis animis, ingenio-*

*que plerumque contingit, quibus pulchrum videtur ex omni occasione querere triumphum.*

II, Q. 1. Quæ condiciones requirantur ad bellum defensivum justè suscipiendum? hæc tres, 1. ut defensio sit necessaria, & aggressor non possit aliter induci, ut aggressorem omittat; nam si impediri potest sine damno, ne vis inferatur, non licet alterius vim expectare, & postea eam per bellum repellere cum tantis damnis, & calamitatibus, quas bellum secum trahit; id enim & charitas proximi vetat, & officium Principis; quod Respublicam suam incolumem tenetur servare à molestiis belli, si illud non sit necessarium, prout necessarium non est ad defensionem Republicæ, si aliunde is, qui aggressus est, impediri potest; ne respublica invadatur. Hinc in casu, quo respublica novisset, Principem aliquem sibi vicinum esse valde proclivè ad arma, atque facillè occasiones quasque arripere ad invasiones; cavendum, ne ipsi præbeatur occasio ad invasionem v. g. verbis fastuosis, aut ne aliàs ad invasionem alliciantur; sed si periculum invasionis ab eo timeatur, oportet Respublicam bellico apparatu, & munitionibus bene instructam tenere, ut, si ipsius culpâ aggressio imminet, debita defensio obverti possit. 2. Ut adsit justa causa se per bellum defendendi; si enim respublica iniustam mittit causam, & justè invaditur, non potest se defendere, sed satisfactionem tenenti præstare: quia tamen melior est conditio possidentis, *Reg. 1. v. 64. in d. necessarium non est, ut ille, qui se defendit, certò sciat, se justam habere causam, sed satis est, ut cognoscat, se non habere causam injustam; vel si dubitet: ut paratus sit stare determinationi, & arbitrio bonorum virorum.* 3. Ut bona sit intentio. *can. quid usurpat 23. q. 1.* Quia bellum suscipi duntaxat debet, ut pax habeatur, & respublica defendatur. Hæc tria si debito modo adsint, justum erit bellum defensivum. Reginaldus. *lib. 21. cap. 8. sect. 1.* Non verò ad defensivum bellum requiritur ut illud suscipiens sit *supremus Princeps* superiorem non recognoscens; quia cuilibet etiam privato omnia jura permittunt *vim vi repellere. & se defendere etiam propria auctoritate, ut patet 2. sect. 6.* late explicuimus. Neque necessaria est auctoritas superioris ad bellum defensivum quando urget necessitas, & periculum in mora est, ut superior adiri non possit: si verò tempus patitur, ut superior consuli possit, consuli debet, & expectari ejus auctoritas, quam sibi usurpare nefas est inferiori.

ori, nisi necessitas excuset. Reginaldus *lib. 2. cap. 8. sect. 1.* Ex his resolvitur facile quaestio, qua

III. Q. 2. Quæ sit justa causa suscipiendi bellum defensivum? R. Est injuria, impendens impedienda per necessariam sui defensionem; quia vis, quæ injustè inferitur, per vim justam impellitur, & contra injustum aggressorem pugnatur. Quæ defensio suæ reipublicæ non solum justa est, sed etiam necessaria Principi: quia Princeps ex officio tenetur suam rempublicam defendere contra injustos aggressores, & non minus peccat contra justitiã si suam rempublicam injustè invasam non defendit, quam si alienam injustè invadit. Chilon per hoc discriminat Principem bonum à Tyranno, quòd *Tyrannus alieno incubet, Princeps suos defendat*; ut *Contzen lib. 10. cap. 6. §. 1.* loquitur, & audacter pronuntiat: *Qui desiderat pacem, præparet bellum*: in pace ita suam rempublicam omni apparatu bellico instruat, & instituat, ut ingruente bello contra quosvis injustos aggressores tutari eam possit.

IV. Fit autem injusta aggressio, contra quam defensio locum habet, quando bellum inferitur innocentibus, ut contingit 1. Quando aliqua respublica, vel Princeps in possessione bona fide existens invaditur ab eo, qui solum habet causam dubiam, vel probabilem, quo casu possessio ei per vim auferri nequit juxta suprã dicta, & postea dicenda. 2. Quando bellum initiò fuit justum, sed non acceptata satisfactione, quæ offertur, redditur injustum v. g. *Ossomanicam navem* (exemplum *Contzenij* est) *Contra sædus capiunt veneti, Turca bellum indicit: Veneti Navem, merces epibatæ, damna omnium restitunt, pro honore, & auctoritate Imperatoris læsa satisfacturos esse promittunt, idque vel ad arbitrium ipsius, si aqua jubeat, vel arbitrorum, si eos dare velit: quòd si omnino bellum moveat, dedisq; sibi nobilissimam rempublicam velit, meritis omnibus viribus resistent, quia peccatum tantum non est, ut crudelissimo hosti tradere se debeant, & cum libertate etiam religionem disperdere.* 3. Quando aliàs fit aggressio sine sufficiente causa belli inferendi, ut cum aliqua respublica invaditur à vicino principe *ob rationem status*, ut vocant, seu ideo, quia is hujus reipublicæ augmentum, ac crescentem potentiam ferre non potest, quin ab eo fuerit per injuriam læsus. De quo postea, ubi de causis injustis agemus.

V. Q. 3. Quæ Conditiones requirantur ad bellum offensivum iuste suscipiendum? R.

Hæ tres Conditiones. 1. Auctoritas in suscipiente. 2. Justa causa. 3. Recta intentio. S. Th. 2. 2. q. 40. art. 1. quas per seqq. §§. examinabimus. Reginaldus *L. 21. cap. 8. sect. 1.* septem conditiones numerat, sed quæ omnes ad has tres reduci possunt, nimirum. 1. Ut sit auctoritas. 2. Justa causa. 3. Ut de ea legitimè constet. 4. Ut causa sit gravis. 5. Ut observetur Juris forma, seu debitus modus belli indicendi tentatis prius omnibus ad obtinendam satisfactionem sine bello. 6. Ut bellum inferens habeat rectam intentionem. 7. Ut illi, qui bellum gerunt, non sint personæ Ecclesiasticæ, quibus bella prohibentur: de hisce per sequentia distinctè agamus.

## §. II.

### De Auctoritate suscipiendi bellum.

1. *Auctoritas suscipiendi bellum est in Republica superiore non recognoscente, sive sit Monarchia, sive Aristocratia, sive Democratia. n. 1. & seqq.*
2. *Quid, si aliqui è Republica alteri Reipublice injuriam fecerunt. n. 6.*
3. *Quid, si Princeps alteri principi subiectus ledatur à Principe externo. n. 7.*
4. *An status, & Principes Imperij injussu Cesaris possint bellum suscipere? n. 8. & 9.*
5. *Quid de gente barbara, quæ nullam habet Rempublicam. n. 10.*
6. *Quid, si plura integra Regna subsint eidem Principi? n. 11. & 12.*

I. Q. 1. Quæ auctoritas requiratur ad bellum iuste suscipiendum? R. 1. Ea residet in republica, vel Principe superiore in temporalibus non recognoscente, sed supremam Jurisdictionem habente. *Suar. de Charitate. Disputat. 13. sect. 2.* *Covaruv. Reg. peccatum §. 9.* Et conveniunt cum S. Th. 2. 2. q. 40. art. 1. DD. omnes teste *Molina de l. & l. 1. r. 2. disp. 100.* Ratio est: quia potestas indicendi bellum est quædam potestas Jurisdictionis, cujus actus pertinet ad justitiam vindicativam, quæ maxime necessaria est in republica ad coercendum malefactores, unde sicut suprema respublica potest punire sibi subditos, quando alijs nocent, ita & potest ea se vindicare de alia republica (principe, vel populo) quæ ratione delicti ei subditur; hæc autem vindicta non potest peti ab alio Judice; quia, ut ponitur, illa altera respublica Judicem non habet; igitur si satisfactionem præstare recuset, potest compelli per bellum. *Suar.* Sicut enim privati homines, si læsi sunt, possunt repundarum agere, & satisfactionem petere,

ità & respublica, si læsa est: privati læsi eo ca-  
 luadeunt Judicem, respublica verò læsa, cum  
 Judicem, quem adeat, non habeat, ipsa Judex  
 & superior evadit eorum, qui injuriam intu-  
 lerunt, qui crimine suo effecerunt, ut Judicium  
 subire debeant; quemadmodum enim priva-  
 tus, cum in alieno territorio crimen admittit,  
 subditur Judici, in cujus provincia peccavit;  
 ita quoque cum reipublicæ damnum inferitur,  
 potest ipsa injuriosos judicare, vindicare, at-  
 que per bellum satisfactionem quærere, cum  
 bellum sit actus τῆς ἐκδικήσεως, *Iustitia vim tu a-*  
*rixis*: alioquin nullum Judicem, nullum Ju-  
 stitiæ præsidium talis respublica haberet.  
 Contrzenius *lib. 10. cap. 4. n. 7.* 2. Cum bellum  
 Jure naturæ sit licitum, oportet potestatem  
 illud indicendi esse apud aliquem: ergo apud  
 habentem supremam potestatem; nam ad  
 eam maximè spectat tueri rempublicam, im-  
 perareque inferioribus.

II. §. 2. Hæc dicta procedunt in omni  
 republica perfecta & quæ superiorem non re-  
 cognoscit, qualicumque formâ regiminis ea se,  
 & suos regat, sive per Principem in monar-  
 chia, sive per optimates in Aristocratia, sive  
 per ipsum populum in Democratia: in omni-  
 bus enim eadem est ratio; sicut enim in re-  
 publica perfecta, quæ est *αὐταρχία*, h. e. sibi  
 ipsi sufficiens, residet hæc potestas quærendi  
 jus suum per arma, cum aliter id obtinere non  
 potest, ita in statu Monarchico eadem auctori-  
 tas est in Principe, quem sibi in supremum ca-  
 put elegit, & in quem hanc suam potestatem  
 transtulit; in statu Aristocratico verò in opti-  
 matibus. Id tamen aduertit Suar. in monar-  
 chico regimine, postquam respublica transtu-  
 lit suam potestatem in unum Principem, non  
 posse dein citra ipsius voluntatem bellum in-  
 dicere, quia jam non est suprema: nisi forte  
 Princeps esset ita negligens in vindicanda, &  
 defendenda republica, ut ea de causa publica,  
 & gravissimâ incommoda pateretur, quia  
 semper censetur retinere penes se hanc pote-  
 statem, si Princeps officio suo desit. Eadem  
 auctoritas quoque est in Principe, qui Jure bel-  
 li legitimè alicujus reipublicæ Dominium  
 acquisivit. Dico: *legitimum*; nam legitimè  
 Dominium in rempublicam non obtinet is,  
 qui bello injusto rempublicam aliquam sub-  
 egit eo solo sine, *ut sibi eam subditam faciat, ut*  
*eam regno suo adiciat, quia utile id sibi, suoque regno*  
*videtur &c.* id enim sicut nec apud ethnicos  
 valebat, cum sit contra jus naturæ, ita à for-  
 tiori apud Christianos inane est; sed talis oc-  
 cupans injustus invasor est; non enim *quid*

*utile, sed quid iustum sit, respiciendum est in*  
 hoc gravissimo negotio.

III. §. 3. Respublica imperfecta superio-  
 rem in temporalibus recognoscens non po-  
 test justè indicere bellum sine sui superioris  
 auctoritate, & consensu; sicut nec Princeps,  
 & quicumque superiorem in temporalibus  
 habet; sive cujus Dominium vel Principatus  
 unâ cum alijs Dominiis, vel principatibus est  
 sub una Communi Republica, aut uno com-  
 muni capite. Responsio sequitur ex qua-  
 bus præcedentibus, & stat eadem auctoritate.  
 Ratio est. 1. Quia respublica, vel Princeps ha-  
 bens superiorem potest jus, vindictam, & com-  
 pensationem damnorum illatorum petere  
 coram superiore suo, ad quem spectat jus di-  
 cere inter sibi subjectos: sicut igitur civis non  
 potest ab altero cive res, in quibus læsus est,  
 repetere armata manu, sed jure agere debet,  
 ita etiam Principes, & Magnates adire supe-  
 riorem suum Judicem debent, aliàs status rei-  
 publicæ communis, cujus membra sunt, tur-  
 batur. *Suar.* Nam Jure gentium (& naturæ)  
 certum est, ubi agi Jure potest, ab armis esse  
 abstinendum, ut ex Bodino habet Knipschilt  
 de *Nobilit. l. 3. cap. 13. n. 3.* Reinkingk *lib. 2.*  
*Regim. sac. Class. 3. cap. 1. n. 16.* Nihil enim ma-  
 gis ferinum (verba sunt Reinkingkij) aut bel-  
 luinum est, quàm ut ab alio velit quis, & audeat, si-  
 ve aperta vi, sive subdola extorquere, quod sola  
 rationis auctoritate possit, ac debeat evincere, & in  
 deficientis rationis locum vim substituere, Demque  
 in armis, in quibus nihil, nisi vis, esse potest, jus ip-  
 sum collocare. Ratio est. 2. Quia si superio-  
 rem habens bellum propria auctoritate indi-  
 cit, usurpat sibi injustè Jus sui superioris Prin-  
 cipis, cui hæc facultas commissa est, sine qua  
 non posset pacificè, & convenienter governa-  
 re. *Suar.* Hinc in omni superiorem recog-  
 noscente bellum injustum præsumitur, in supre-  
 mo verò *justum*, ut, alijs relatis, habent citt.  
 Knipschilt, & Reinkingk.

IV. Limitat quidem Victoria: nisi antiquis-  
 sima consuetudine aliud esset servatum. Ve-  
 rùm, ut ostendit Suar. *cit. disp. 13. de Charit. sect.*  
*2. n. 2.* hæc limitatio admitti non potest in  
 bello contra aliud membrum ejusdem Re-  
 gni, vel Corporis Politici, aut contra ipsum  
 Regem, vel supremum caput. Nam videtur  
 talis consuetudo contra legem naturalem.  
 1. Quia quando est tribunal, & potestas supe-  
 rior utrique parti, contra jus naturæ est, aucto-  
 ritate propria per vim jus suum petere: In per-  
 sonis certè privatis, hoc sine Dubio militat  
 con-

contra jus naturæ : at verò duo membra ejusdem Reipublicæ, vel alicujus communis corporis politici se habent ut personæ privatæ, licet Principes sint; nam per hoc non cessant esse membra, sed sunt membra principaliora.

V. Limitat 2. idem Victoria : nisi Rex supremus sit negligens in vindicanda injuria. Verùm & hoc sustineri nequit inter membra ejusdem reipublicæ : nam, ut cit. Suarez. arguit, privata persona, quando non potest jus suum obtinere publico Judicio, potest quidē occultè, & sinè scandalo se indemnem servare, & occultam compensationem sibi facere; at non per vim, bellum, & vindicationem: vindicatio enim propria auctoritate privata intrinsecè mala est, atque eo colore facilè excitarentur tumultus, & bella in republica; pars autem communitatis debet suæ incolumitati præferre incolumitatem totius Corporis, ut justitia legalis postulat : igitur parti non datur hæc licentia, nisi solùm *intra limites justæ defensionis*. Addit tamen cit. Suar. hæc tria 1. sufficere interdum in his *voluntatem interpretativam* Principis superioris, quando negotium instat, neque statim potest fieri recursus ad Principem, ac præcipuè si bellum suscipiatur contra alienos. 2. Si interdum hujusmodi inimici capiuntur intra terminos alicujus reipublicæ imperfectæ, licere non tantùm contra illos sumere justam defensionem, sed etiam aggressionem, vindictam, & punitionem; quia ratione criminis commissi in proprio territorio efficiuntur subditi. 3. Plura licere uni civitati, vel reipublicæ in ordine ad propriam defensionem, quam uni privatæ personæ; quia talis civitas, vel respublica bonum commune, & quodammodo potestatem publicam habet. Quando autem præsumenda sit tacita Regis voluntas censet Molin. *disp. 101. n. 7*. prudentis arbitrio, spectatis omnibus circumstantiis expendendum esse, ut, in repentinis eventibus, quando non datur recursus ad Regem : Item quando bellum cum aliquibus hostibus est perpetuum, sicut Christianis cum Turcis, & Saracenis, quo casu rarò præsumendum est, contra Regis voluntatem esse, ut damnum illis inferatur, nisi in aliquo eventu graviora inde mala nostris imminerent &c.

VI. Q. 2. Quid, si non respublica ipsa, sed aliqui de republica damnum, aut injuriam alteri reipublicæ intulerunt? R. 1. Hoc casu illa respublica, quæ in se, aut suis injuriam passa est, non potest prius inferre bellum, &

vindictam de malefactoribus illis sumere, quam admoneat alteram rempublicam, cujus subditi injuriam intulerunt, ut eos puniat, cogatque resarcire integrè damna illata. 2. Si admonita illa respublica hoc præstare non velit, tunc non solùm adversus malefactores ipsos, sed etiam adversus rempublicam fas erit arma sumere, & bello satisfactionem quærere. Ratio 1. est : quia actor sequitur forum rei; & Princeps reipublicæ læsæ non aliter subit rationem Judicis respectu illorum malefactorum, quam in defectum *Judicis proprii ipsorum*, qui si eos puniat, & ad satisfaciendum cogat, non potest ipse Princeps læsus punire. Ratio 2. est : quia, si respublica non puniat suos subditos, & ad satisfactionem dandam cogat, ipsa in culpa constituitur; non enim fungitur officio suo, vñ ejus tenetur suos subditos cogere ad resarcienda damna aliis illata. Molina 10. cit. cum Cajetan. & aliis præcunte August. in can. Dominus 23. q. 2.

VII. Q. 3. Quid, si Princeps alteri Principi subjectus lædatur à Principe externo, qui non est membrum ejusdem secum reipublicæ, potestne ipsi bellum inferre? R. Propria auctoritate, & sinè consensu reipublicæ, cui subest, non potest. Molin. Contzen. & constat ex dictis : quia suo hoc bello turbaret rempublicam, cujus ipse non caput est, sed membrum neque ad ipsum tanquam membrum spectat movere bellum, sed ad rempublicam, & Principem, cui totius reipublicæ cura commissa est, protegereque, ac vindicare suos subditos ex officio incumbit. Ratio rationis est unio membrorum cum suo corpore, & capite, quæ vetat, membrum aliquod absque consensu, & voluntate totius corporis, vel capitis moveri in perniciem totius, quæ ex talibus bellis pertimescenda. Magna enim pars bellorum ex privatis litibus, & injuriis ortum habuit, quibus dein tota respublica fuit involuta. Idem est de republica, quæ alteri reipublicæ subjecta est, quia respectu hujus se habet ut membrum ad suum caput. Debet igitur tali casu peti satisfactio à lædente, vel ejus Superiore, si quem habet; hæc si non præstetur, debet læsus cum suo Superiore agere, & cum hujus consensu in lædentem arma sumere, nisi superior ipse ea pro ipso sumat, cumque tueatur.

VIII. Excipiuntur sequentes casus 1. si quis ex officio habeat hanc potestatem; quia Princeps, vel respublica, cui subest, longè distat, ut consuli non possint, & frequenter ingruans

occa-

occasiones, & causæ bellandi. Sic Prætores Hispanici in Indiis, teste Contzenio, bellum gerere possunt, Sociosque defendere; quia hanc potestatem habent officio suo annexam ex concessione Principis, cui subsunt. 2. Si tales sint circumstantiæ, ut, nisi anticipetur bellum, in magno periculo versetur respublica: abigunt, e.g. prædam, & belli causam dant Turcæ, Dux verò, cui limites custodiendi commissi sunt, repetit res, sed irridetur; interim offertur insignis occasio alicujus urbis occupandæ, quæ magnum momentum ad bellum affert, quæque in hostium manens potestate, quia in ea multa arma sunt, & opes, in magnum periculum adducere potest Christianos; rectè hic faciet, si occasione utatur; quia ad suæ reipublicæ defensionem necessaria est hæc defensio, aut certè utilissima. Contzen. cit. cap. 4. §. 6. & 7. sed hoc ultimum intelligo: *Si vi officij sui habeat hanc potestatem, aut si consensus Superioris haberi non possit, periculumque sit mora impatiens*; tunc enim præsumitur tacitus consensus Principis, & arma sumere necessitas concedit, quæ legem non habet, sed ipsa tunc legem facit. *can. remissionem 39. caus. 1. q. 1.* & melius est hoc casu in tempore occurrere, quàm post vulneratam causam remedium quærere, ne contingat id, quod olim Romanis exprobratum: *dum Roma consultatur, Saguntum expugnatur*. 3. Si Princeps, aut respublica Superior, vel non possit succurrere injuriam passio, vel non velit; sed moratoriâ tantùm, ac elusoriâ procrastinatione eum circumducatur, & vana spe lactet; tunc enim injuriam passio, & Principis auxilio destituito seipsum contra extraneum defendere licitum esse vulgò perhibetur. teste Knipschilt n. 32. ut, si peregrina gens impetum hostilem faciat; summus verò Princeps eandem reprimere cesset, integrum est reliquis proceribus populû ad arma convocare, milites conscribere, & hostem illum exterum à finibus suis arcere; paria enim sunt, nullum esse Principem supremum, qui vim peregrinæ gentis reprimat, ejusque Tyrannidem arceat; vel esse quidem, sed talem, qui officio suo, cum magno subditorum damno, non satisfaciat. cit. Knipschilt.

IX. Q. 4. An Status, Principes, & Magnates Imperij Romani possint injussu Imperatoris bellum offensivum suscipere? R. De Jure non possunt. Knipschilt n. 19. allegans Bartol. Contzen polit. lib. 10. cap. 4. n. 10. Rümelin, & ejus additio in Bull. Aur. parte 2. differ. 6. thes. 9.

Heizman *conflict. Inrid. cap. 8. n. 7.* Lucas de Penna. Innoc. Affliq. Jacobin de S. Georg. Item Rosenthal *de Feud. cap. 5. conclus. 19. lit. C. & cap. 8. conclus. 20.* & alij apud Gaillium *de Pace publ. lib. 1. cap. 4. n. 4. & seqq.* De Jure antiquo, quòd non possint, constat ex l. *hostes 24. ff. de captiv. & Postl. L. hostes 118. ff. de V. S. L. un. C. ut usus armorum infcio Principe sit interdictus, L. 3. ad L. Juliam Majest. L. Neminem C. de re militari, & aliis.* Per quas olim in Imperio tam vasto, & potente non licuit ulli Principi, aut Regi, qui Imperio Romano subditus erat contra alios bellum gerere, nedum Præfectis, & Proconsulibus sine consensu Imperatoris, cùmque id fieret, civile, & nefarium bellum censebatur. Contzen. lo. cit. videatur Gaill. cit. c. 4. §. 10. De Jure novo, constat ex *Ord. Camer. parte 2. tit. 15. August. 1555. & ex Recessu August. ann. 1555. §. 37. & seqq. Recess. Spira 1526. §. 5. & antea ex Constitutione FridERICI III. ann. 1442. Maximiliani, seu totius Imperij (nam plurimi Principes interfuerunt) 1495. quas leges latinè redditas refert Contzen cit. c. 4. §. 10. ubi varios alios recessus addit, uti de anno 1522. Norimberga. 1530. Augusta. 1545. VVormatia. 1566. & 1567. Ratisbona. 1570. Spira. in quibus, & aliis Conventibus ista saluberrimè statuta sunt, at nequaquam servata, ut quæritur totum Imperium Ferdinando Imperatori anno 1564. Contzen. manet igitur, concludit cit. Auctor, id, quod olim quoque legibus cautum est, ut arma parare, pecuniam colligere, exercitum scribere, alios invadere sit crimen læsæ Majestatis; & cùm bellum sine Principis auctoritate geritur, damna restaurare debent & ipsi, & hæredes, qui intulerunt; nam quamvis legitima causa erat, non tamen jus habuerunt tantis detrimentis alios afficiendi. Et additio cit. Rümelini: *Status Imperij, inquit, propria auctoritate bellum offensivum nemini, ne quidem Principi extraneo movere possunt, etsiam si ob justissimam causam, nisi præscientia, & permissio specialis Imperatoris requiratur. Contrarium qui attentat pacem publicam violat, in bannum Imperij incidit &c.* Excipitur tamen, præter tres casus n. 8. relatos, si bellum sit necessarium medium contra subditos rebelles compescendos, quos coercere Magistratus possunt: quia plus in his est periculi, nî celeriter compescantur: neque hac ratione hostis externus irritatur, si Magistratus compescat suos subditos, sed potiùs, si seditio invalescat: si enim Magistratus particulares cû supremo conferantur, quasi privati censentur, si cum Subditis, Magistratus sunt, ac gladium gestant,*

gestant, non in omnes, sed in eos, qui subditi sunt. Contzen. Imò hodie eò deventum est, ut neque solus Imperator, sed cum isto etiam Ordines Imperij de bello inferendo statuant, & solent quippe moderni Imperatores se iurjurando obstringere, quòd cum vicinis, aliisque pacem colere, neque pro rebus Imperij, nisi de Ordine omnium, & prorsum Septem-Virorum voluntate bellum ullum vel suera, vel extra fines Imperij suscipere, nullum quaque peregrinum militem in Germaniam, nisi consentientibus ipsidem inducere velit, ut inquit Rünnehtus, cit. Thef. 9. ex Goldasto. Knipfchilt de Nobilit. lib. 3. cap. 4. n. 146. ex capit. Ferdinandi II. & Ferdinandi III. Si tanta sollicitudine Pacis studium Colit Cæsar, eni Jus belli indicendi exteris competit, quantò magis alios status id Colere oportebit, ne turbæ in Imperio excitentur, præsertim ne bella civilia nascantur, quòd pronum est, etiam quando externo bellum movetur, quòd facile alios quoque implicare potest: bella enim ex bellis teri experientia satàs ostendit, & facile in diversarum partium studia sollicitantur, aut abeunt animi, ut hi huc, isti illi faveant.

X. Et quamvis Reinkingk lib. 1. Regim. secul. class. 5. cap. 6. n. 14. & lib. 2. class. 3. cap. 1. n. 20. Knipfchilt lib. 3. de Nobilit. cap. 23. n. 35. dicant. Germaniæ Principibus, & ordinibus Imperij ex antiquissimo libertatis prætenso concessum esse milites in propriam, & aliorum salutem conscribere, ex recessu svecens 1526. Et alijs. Id tamen intelligitur duntaxat, si formam in varijs Recessibus Imperij, (ut ann. 1555. 1570. 1576. 1582. 1594. 1598. Quos allegat Reinkingk) præscriptam observent: & in casu necessitatis, ubi Jure agi non potest & Imperatoris Copia haberi & Princeps omni auxilio destituitur, omniaque alia remedia deficiunt; tunc enim melius est in tempore occurrere, quam post vulneratam causam remedium querere: ubi autem Jure agi potest, omnino ab armis abstinendum. Ut ex constit. Pacis publicæ ann. 1521. alios auctores allegans, habet cit. Reinkingk. n. 22. & constat ex n. 4. & 5. Formam autem refert Knipfchilt n. 193. his verbis: Porro in collectione, & conscriptione observandum est, quòd nemo intra Imperij fines in suis, vel alienis ditionibus milites colligere debeat, nisi de voluntate Ducis circuli illius, ad eò, ut, & cujus jussu, & cui id faciat, doceat, neque caveat seditiosione statuum nihil se in Casarem, Imperij status, eorum subditos, & Clientes Imperij molesturam, sed constitutionibus publicis per omnia esse parturam, hoc nisi fiat, Dux

Circus, & adjacenti confluentem, & collectam manum fundere debent. Eadem rationes probant, quòd non possit Princeps, aut Status Imperij sine consensu Imperatoris bellum suscipere in adiutorium alterius Principis, ob periculum turbarum in Imperio vel civilium, vel ab hoste externo imminentium, si contra externam auxilium ferat: in utroque casu turbis ansandare sine consensu Superioris Jus naturæ vetat; à quo non eximit prætenso; aliud enim est quid prætenso, & facere; aliud habere Jus id faciendi, quòd hoc casu competere haud potest, quamdiu Imperium tanquam unum Corpus sub suo Capite stat.

XL. Q. 6. Quid, si tam barbara aliqua sit natio, ut superiorem non habeat, sed singulæ familiae aut singuli pagi ita sint inter se divisi, ut Commune non habeant Superiorem, ut in Regione Brasilia fuit? Et Molina tr. 2. disp. 100. n. 6. cum Navarro, & Angelo, hoc casu fas esse cuique familiae, aut pago, propria auctoritate justam vindictam, & satisfactionem sumere de injurijs, ac damnis ab altera familia, vel pago illatis: quia posita ea barbaria, in unaquaque familia, & pago militant eadem rationes, ob quas dicitur, in unaquaque suprema republica esse auctoritatem ad vindicandas injurias sibi, & suis ab externo illatas; licet nullus privatus etiam hoc casu sumere possit vindictam de injuria sibi illata, eò quòd facile possit unusquisque in propria causa excæcari, ideòque scriptum sit: *mibi vindicta, & ego tribuam*: nihilominus petere illam potest auctoritate capitis, quale in ea familia, aut pago reperitur, quòd tanquam Dei Minister publicæ, à Deoque derivatâ auctoritate illam exequatur.

XII. Sicut vicissim, quando duæ integræ republicæ, regna, aut Duo Reges unum habent Commune caput, non potest unum Regnum adversus alterum, unus Rex adversus alterum movere bellum absque facultate Communis utriusque Regis, & capitis, exceptis casibus, quos n. 8. excepimus. cit. Molina, & constat ex dictis. Quando verò civitates eidem Principi subjectæ, aut alij subditi bellum injustè erga se invicem moverent, ad Principem spectaret, rem componere, & pro qualitate damni, & injuriæ invicem datæ punire bellantes, ac uni, quæ magis alteram læsit, compensationem aliquam imponere.

XIII. Q. 7. Si unus Rex plura sub se habeat Regna, potestne cum alterius detrimento



bellare pro altero? *R.* Suar, *sect. 14. n. 9.* sæpè potest: quia licet regna distincta sint, prout tamen sunt sub uno capite, mutuò se possunt, ac debent juvare; cum defensio unius cedat in commodum alterius, serveturque æqualitas, si quidem altera alterius auxilio suo tempore indigere possit. Præterquam quod per se magnum bonum cujusque regni est, potentiorum Principem habere: ac denique major fortasse pax obveniet tali regno, vel alia commoda.

XIV. Illud concludit sæpè cit. Suar. *n. 6.* bellum, quod sine legitima auctoritate indicitur, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam esse, etiam si adsit legitima causa: quia actus ille tunc fit sine jurisdictione legitima, consequenter illegitimus est. Hinc illud inferens tenetur restituere omnia damna. Quod si per hujusmodi bellum recuperet tantam res suas, non tenetur quidem restituere illas; tenebitur tamen ad damna omnia, & expensas aliorum: quia in his fecit inæqualitatem, cum esset causa omnium illorum: in accipiendo autem res suas propriè non fecit injuriam, nisi fortasse in modo, ex quo tamen non oritur obligatio restitutionis.

### §. III.

#### De Justa Causa suscipiendi bellum Offensivum in genere.

1. Error gentiliam, & qualiter causa belli debeat esse constituta. *n. 1. 2.*
2. Causa belli generalis injuria reparanda, & vindicanda. *n. 3.*
3. Quid, si illata sit injuria materialiter. *n. 4.* & seqq.
4. An, & quomodo liceat appetere vindictam. *n. 8.*

**G**RAVIS fuit error Gentilium, qui putarunt, regnorum Jura posita esse in armis, licerèque bella indicare ad comparandum sibi nomen, gloriam, divitias, ad subijciendas suo Imperio gentes, regiones, provincias &c. quod etiam in Jure naturali absurdum est. Neque excusari ex Jure belli hæc possunt; nam jure naturæ, & gentium bella reguntur, neque justa esse possunt, si justa absit causa, reclamante jure naturæ. Rudis, & injusta vox est, qua interroganti, *eccur isthac quis ausit, vim inferat, urbem occupet &c.* ? reponitur, *Jure belli id fieri*: non enim in armis; sed in legitima causa jus belli est. Certè si ambitio, inanis gloria, ostensio ferociæ bello sufficerent, unaquæque Respublica ad hos fines

aspirare posset, sicque genus turbaretur humanum, & bella utrinque justa darentur, quod absurdum est.

II. Q. I. Qualiter debeat esse constituta causa, ex qua bellum suscipitur, ut sit justa? *R.* Debet tria habere. 1. Debet esse gravis. 2. Debet esse necessaria. 3. Debet de ipsius justitia legitimè constare. Singula ex supra dictis Constare possunt. *Gravis causa* debet esse, & magni momenti; quia proportionata debet esse gravibus damnis, & incommodis, quæ ex bello plurima sequuntur. *Gravissima remedia* (ut bellum est) non nisi gravissimis morbis applicari oportet. Quare Princeps, ejusque Consilarii si sine gravi causa bellum decernant, mortali injuria non solum alienam, sed etiam propriam rempublicam afficiunt. *Lay.*

Illud tamen advertit Suar. & Palao, aliquando apparere levem injuriam, quæ tamen, si circumstantiæ spectentur, gravis est; quia viam aperit gravibus malis, quæ paulatim inde evenire possunt: sic occupare, aut devastare minimum oppidum, vel excursionem facere gravis injuria esse potest, præsertim quando Princeps, qui injuriam fecerat, admonitus contemnit. *Necessaria* debet esse causa belli; quia bellum necessitatis est, non voluntatis. *can. not. 23. q. 1.* Monet *Lay. l. 2. tr. 3. cap. 12. n. 5. ex Molina*, maximè Catholicum Principem animadvertere debere, utrum occasione belli, quod secundum se justum est, Ecclesia & fides Catholica incrementum, an verò detrimentum passura sit: si enim spes amplificanda Ecclesia affulgeat, aggredi debet bellum justum, etsi alioquin intermitteret; sin autem periculum sit scandali, seu spiritualis ruina multorum, intermittere debet bellum, quod alioquin jure institui posset. *Legitimè constare debet de belli causa.* 1. Quia negotium belli gravissimum est. 2. Quia Princeps bellum inferens se habet ut Juxta. 3. Quia aliàs temeritate Principum facile turbarentur omnia. *Suar. de Charis. Disp. 13. Sect. 6.*

III. Q. 2. Quæ sit justa causa ad suscipiendum bellum offensivum? *R.* generaliter duplex est, ad quam cæteræ (de quibus postea) reducuntur: Scilicet injuria reparanda, & injuria vindicanda. *S. Aug. in Can. Dominus 23. q. 2. Reginald. l. 21. Sect. 2. n. 93. Molin. tr. 2. disp. 102. Palao tr. 6. Disp. 5. punct. 3. & DD. passim;* & constat ex dictis; quia Princeps læsus Jure naturali, & gentium consequitur potestatem reparandi injuriam, scelusque vindicandi, cum alium Judicem, ac vindicem non habeat.

IV. Not.

-IV. Not. 1. in accepta injuria duo considerari possunt: nimirum ut reparentur damna, quæ per injuriam sunt illata, & ut ille, qui injuriam intulit, debita pœnâ puniatur. *cit. Suar.* 2. Injuria alia est formalis, & illata cum peccato, ac culpa: alia materialis, & sine peccato: quæ duplex est; una, quando sine peccato, propter ignorantiam invincibilem, detinetur aliqua res, quæ respici alteri debetur, atque ita eam reddendi adest obligatio ex parte ipsius rei, quæ detinetur; excusat tamen à culpa detentorem ignorantia invincibilis; Altera, quando sine culpa ex ignorantia invincibili damnum, vel injuria inferitur alteri, inde tamen, qui injuriam infert, non fit locupletior, neque rem alterius habet; atque ita nec ex parte rei acceptæ confurgit obligatio quidquam tradendi, neque ex parte injustæ acceptionis, eò quod ignorantia à culpa excuset. *Molin. tr. 2. disp. 102.*

V. Hinc duplex est belli offensivi genus; unum, quod inferitur ad occupandas res, quæ inferenti debentur, & ad obtinendam reparationem damni illati. Alterum, quod inferitur ad ultionem sumendam de injuria illata. *Suar. lo. cit. Molin. cit. disp. 102. n. 4.* in priori casu quòd licitè inferatur bellum, si satisfactio aliter obtineri non possit, nulla est difficultas; quia si unquam bellum licitum est, id licitum est ad se servandū indemnem, de quo multa extant exempla in S. Scriptura. ut *Gen. 14.* In altero casu sua est difficultas; sed tamen tenet communis, quòd liceat, teste *Suar. lo. cit.* ubi id probat ex Script. *Num. 25.* & *2. Reg. 10.* & ubi ex Dei jussu pura punitio injuriarum executioni data est: & ratio est; quia sicut intra eandem rempublicam, ut pax servetur, necessaria est legitima potestas ad puniendū delictum, ita in Orbe, ut diversa respublica pacatè vivant, necessaria est potestas puniendi injurias unius contra aliam: hæc autem potestas non est in aliquo Superiore; quia nullum habent, ut ponimus: ergo necesse est, ut sit in supremo Principe Reipublicæ laicæ, cui alius subdatur ratione delicti; unde hujusmodi bellum introductum est loco iusti iudicij vindicativi. Hæc *Suar.* cujus doctrina maximi semper æstimata fuit à Doctoribus, qui ejus libros, & scripta legerunt, atque alij eum Authorem gravissimam; alij Doctorem celeberrimum; alij ejus prodigium, & oraculum; alij lumen Philosophiæ, ac Theologiæ; alij sui Sacculi in Scholasticis Gigantem, Theologorum Coryphaeam, & Antesignanum dicebant: alterum

ejus ætatis *Angustimum* Episcopus Conimbricensis; Doctorem eximium Paulus V. quaternis literis ad eum datis nuncupat. *Cardenas Cris. Theolog. de probabilit. opin. tr. 1. disp. 57. c. 3. art. 2.*

VI. Ex his patet, quòd Princeps ab altero per injuriam formalem læsus duplex contra eum jus bellandi habeat. 1. Ad recuperanda sua, & obtinendam satisfactionem. 2. Ad sumendam ultionem de injuria illata. Ad hoc secundum, seu quando bellum movetur ad ultionem sumendam, requiritur, ut præcedat culpa, & injuria formalis; pœna enim soli culpæ respondet; hinc si injuria materialiter ex invincibili ignorantia illata est ab altero, & ille inferens non est factus locupletior, non potest contra eum moveri bellum. Ad primum verò, seu quando bellum movetur ad recuperanda sua, potest aliquando sufficere injuria materialis, & absque peccato illata, ut, quando per ignorantiam invincibilem sine peccato detinetur, quod revera alteri debetur, & is aliâ viâ, quod certò scit sibi deberi, obtinere non potest. Sicut enim Princeps Jus dicit suis subditis, non solum quando unus injustè formaliter detinet, quod ad alterum pertinet, sed etiam quando illud detinet injustè solum materialiter, jubetque vi auferri ab eo, qui bona fide illud possidet, esto ille arbitretur, injuriam sibi in ea re fieri; sic etiam simile jus habet in extraneos, qui, quod suum, aut suorum est, simili modo bona fide retinet, quando aliter illud obtinere non potest: subit namque tunc comparatione eorum rationem Judicis, & executoris. *Molin. cit. disp. 102.* ubi affert (ex lib. *Iosue præterit. cap. 11.* exemplū Chananzorum, & Amorrhæorum, quorum terras Deus concesserat filiis Israël, qui eo ipso jus habebant eas gentes bello expellendi, ut, quod suum Dei donatione erat, occuparent: quo casu bellum erat utrinque justum: ex parte filiorum Israël materialiter, & formaliter: ex parte Chananzorum verò, qui eam donationem ignorabant, solum formaliter: ut postea dicitur.

VII. Circa hoc tamen belli genus, quod contra hostem sine pravia ejus culpa suscipi posse dicit Molina, hæc sunt notanda. 1. Illud vix potest contingere, si bellum inferens prius omnia faciat, quæ, ut justè bellum tali formaliter innocenti movere possit, facere tenetur; nam debet ipsi certò constare, rem, quam alter possidet, esse suam; aliàs melior manet causa possidentis, qui stante dubio è possessi-

one

onē ejici non potest. Debet quoque prius res suas ab eo recipere, quas si ille de certo alterius jure rite informatus reddere sit paratus, bello imperi non potest; debet item nulla alia (superesse via res suas recuperandi. 2. In tali bello (cum nulla sit ex parte hostis culpa) contra hostē præcisè id facere licet, quod est necessarium (licet cum cæde, & interitu hostium conjunctum) ad rem suam ex ejus potestate extrahendam, quanto minori ejus damno fieri potest; si aliquid amplius in pœnam fiat, injuria committitur cum onere restituendi. 3. Neque belli expensas potest ab hoste præterdere, sed propriis expensis bellum, quod ad recuperationem suæ rei instituit, debet sustinere: quia alter ad has expensas nec tenetur ex parte rei accepta, neque ex parte injusta acceptiois, cum absque ulla culpa fuerit earum causa, aut occasio. Nec obstat, quod filij Israël Josue 11. omnes Chananæos, & Amorrhæos occiderint, & non tantum terram sibi à Deo datam ipsis eripuerint. Nam Deus iusserat, ut filij Israël eas gentes occiderent propter idololatriam, & gravissima peccata earum; adeoque Israëlitarum tanquam *Ministri Dei*, & hujus jussu, ac auctoritate eas puniebant; aliàs ob solum titulum donate ipsi à Deo terræ non potuissent omnes etiam innocentes occidere, sed tantum ea facere, quæ ad suam terram occupandam fuissent necessaria; quod si illæ gentes hanc quoque jussionem Dei invincibiliter ignorarunt, absque peccato se ipsas defendebant contra Israëlitas. *est. Molin.*

VIII. Opponitur dictis I. illud Rom. 12. *non malum pro malo reddentes, non vos vindicantes*: ergo bellum ex vindicta licitum non est. Respondet Suar. textus Scripturæ intelligitur, si vindicta fiat *privata auctoritate, & animo inferendi alteri malum per se*: secus si fiat *potestate publica, & legitima*, atque animo continendi hostes in officio, & reducendi, quod inordinatum erat, ad debitum ordinem; quod non est prohibitum, sed necessarium. unde cap. 13. subditur: *non sine causa gladium portat, Minister Dei est ad vindictam malefactorum.*

Dices: desiderare vindictam, ut reparetur injuria, videtur esse actus odij, quia desiderat alteri malum. R. Less. L. 2. de 1. & 1. cap. 47. magnum esse discrimen: in odio enim desideratur alteri malum, solum *absque debito modo, & mensura*: quia alteri male esse reputatur *tanquam proprium bonum*: in vindicta verò solum desideratur alteri malum *debito*

*modo secundam mensuram delicti*: ibi sistitur in malo proximi, hic in recto ordine justitiæ, quia decens est malefactorem puniri, & pœna per se congruit, ac quodammodo debita est malefactori, sicut laus benefactori, idque, ut rectus ordo servetur, & quod extra Ordinem recti prolapsum est, ad ordinem revocetur, qua ratione vindicta est actus virtutis Justitiæ vindicativæ; sic Deus per vindictam omnes eos, qui ab ordine pulcherrimo justitiæ, & legum divinarum prolapsi sunt, & ordinatissimam dispositionem scædè perturbarunt, ad ordinem justitiæ reducit infligendo eis congruam pœnam, ut nihil in mundo remaneat informe, nihil inordinatum, nihil confusum, sed omnia pulchrè suis locis, & gradibus sint disposita. Prædictus autem modus licitè petendi vindictam est, ut ea fiat *per potestatem publicam, & juxta mensuram delicti*. Melius tamen est propter Deum ignoscere, quam vindictam appetere, nisi forte bonum publicum aliud postulet, & semper in re hac subtili periculum esse solet, ne affectus charitatis violeatur, & ex odio vindicta appetatur; interdum tamen ratio eam postulat tum ad exemplum aliorum, ne similia attententur, tum ut malefactor imposterum coercetur. Ità doctrina Lessij.

Opponitur 2. Videtur esse contra jus naturæ, ut Princeps sit *Judex, & vindex in propria causa*, adeoque simul *actor, & Judex* ob periculum excessus; ob hanc enim rationem negatur personis privatis propria vindicta, quia moraliter justitiæ terminos excederent. R. cum Suar. lo. cit. N. quod sit contra jus naturæ, principem, qui superiorem non habet, subire simul *personam actoris, & iudicis, & vindicis in propria causa*, sicut etiam in Deo conspicimus, cui potestas publica similis est: cujus ratio est: quia actus hic justitiæ vindicativæ fuit necessarius generi humano; & naturaliter, atque modo humano non potuit dari ulla via convenientior; præsertim quia expectanda est ante bellum contumacia personæ offendentis satisfacere nolentis, quæ si satisfacere reculet, sibi imputet, si ei subditur, quem offendit. Paritas de personis privatis non urget: quia personæ privatæ *privato reguntur consilio*, sicque facile possunt modum excedere: at Princeps (seu potestas publica) non proprio, sed *publico consilio & Communi regni ducitur in hac vindicta*, idque auscultare tenetur: & non tam propriam, quam *communi causam agit*, adeoque facilius potest vitare in-

com-

commoda proprii affectus, nec versatur tantum periculum excessus. Dein vindicativa potestas *per se non ad privatum hominem, sed ad Commune bonum refertur*, estque actus jurisdictionis, quam persona privata non habet: privatus enim potest per suum Superiorem sibi Satisfactionem querere, qui eum tueri debet.

Quid autem, si superior nolit illi jus dicere? *Et. Id per accidens est, & patienter debet tolerari; necessitas verò inter duas supremas republicas, ut sui ipsius quælibet sit vindex per se est; leges autem attendunt ea, quæ sunt per se.* Suar. 10. *est Palao tr. 6. disp. 5. punct. 3.* Extat quidem in Codice Titulus: *quando liceat unicuique sine iudice vindicare &c.* At is exponi debet juxta ea, quæ 2. parte diximus de certaminibus privatis, quando ea licita sint ad sui, & rerum suarum defensionem sub moderamine inculpatæ tutelæ, quæ defensio Jure naturæ licet. Zoël. *in tit. 111. Cod.* aut certè debet intelligi, ut privatus in casibus ibi expressis possit vindictam exercere non *auctoritate propria, sed Principis per legem acceptâ ad bonum publicum.* Sic per *L. 2. ibidem permittitur* cuilibet desertorem militiæ capere, atque Judici sistere, si verò is resistit, occidere. Brunneinan: sicut etiam bannitum occidendi cuilibet privato auctoritas à Principe datur: quam potestatem, quia Jurisdictionis est, privatus non habet, nec per delictum alterius acquirit; alàs si passim privatis concederetur, bonum publicum turbaretur.

#### §. IV.

### De justis Causis Belli particularibus: & de transitu bellantibus Concedendo.

1. *Varia iuste cause belli. n. 1.*
2. *An quis teneatur bellantibus transitum concedere per suas terras? n. 2.*
3. *Alia scitu utilia, & necessaria circa transitum Concedendam, & res alias, quæ innoxie petuntur, & concedenti molestia non sunt, petenti verò utilia. n. 3. & 4.*

**C**Ausam universalem ad bellum justè suscipiendum ex posuimus, exponendæ nunc sunt quædam particulares ad uberiorem rei, quæ summi momenti est, explicationem.

I. Q. 1. Quæ sint causæ particulares ad justè suscipiendum bellum? *Et.* Ez sunt variæ, prout varia sunt injuriarum genera: quarum aliquas ex Suar. Molin. Lay. Covaruv, Re-

ginald. referimus: cujusmodi sunt. 1. Si bellum suscipitur ad recuperandam provinciam, civitatem, vel res alias debitas, quas alter detinet, nec eas vult restituere: sic David mortuo Saule bellum movit contra Isboset filium Saulis, qui occupaverat Regnum Israël Davidi per Samuelem concessum à Deo 2. Reg. 3. 2. Ad reprimendam, & puniendam rebellionem injustam subditorum contra suum dominum. Sic David bellum gessit contra Absalonem 2. Reg. 18. & contra Seba filium Bochri 2. Reg. 20. 3. Ad vindicandam gravem contumeliam Principi, aut reipublicæ illatam. Sic David bellum gessit contra Hanon Regem Ammonitarum, quòd nuntijs à David amicitiae causâ missis ad eum consolandum super morte patris ejus, in contumeliam barbæ partem raserit, & vestes eorum medias usque ad nates præciderit. 2. Reg. 10. cujus mentionem fecimus supra *part. 1. sect. 2. §. 3.* ubi injuriam Legatis illatam sæpè gravium bellorum causam, & justam extitisse asseruimus. 4. Ad sumendam ultionem de gente vel Principe, qui hosti contra se injustum bellum gerenti auxilium præbet. Sic David justè percussit Syriam Damasci, eò quòd contra se præbuisset auxilium Adarezer Regi Soba, 2. Reg. 8. & hac ratione Romani multas provincias sibi subegerunt, teste Lay. 5. Ad reprimendos eos, qui nocentes tuentur, & injustè prohibent, ne illi puniantur, quos puniri reipublicæ multum interest: cujusmodi bellum undecim tribus Israël susceperunt contra tribum Benjamin, quæ defendere voluit habitatores Gabaa suæ tribus, ne punirentur propter scelus illud immane, quo uxorem viri Levitæ incredibili libidine vexarunt, quousque animam efflavit, cujus cadaver Levita maritus ejus cum ossibus in duodecim partes, ac frustra consciendens miserat in omnes terminos Israël; qui tradi sibi petierunt homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarant, ut morentur, & malum auferretur de Israël. *Jud. 19.* 6. Ad vindicandam injuriam, ac perfidiam eorum, qui cum Principe, vel republica initum foedus violarunt non sine gravi damno, injuria, aut dedecore illius: ejusmodi bellum justè suscepit Joram Rex Israël contra Mesam Regem Moab, quòd is post mortem Achab patris Joram prævaricatus esset foedus, quod habebat cum Rege Israël, vî cujus ei solvere debebat centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus suis: quod bellum justum fuisse

isse testatur victoria miraculosa Joramio-divinitus concessa 4. Reg. 3. 7. Ad ferendum Socijs, seu confederatis justum auxilium; quo casu, si auxiliiferi ab hostibus Sociorum, quibus Succurrere volunt, infestentur; acquirunt ipsi quoque Jus per se bellum inferendi illis hostibus; sic Abram succurrit Amorrhæo, qui cum eo foedus pepigerat. Gen. 14. requiritur tamen, ut socius, seu foederatus habeat jus ad tale bellum, in quo juvatur, adsitque ejus voluntas explicita, vel implicita: quia injuria alteri facta non confert mihi Jus vindicandam illam, nisi quando ipse potest se justè vindicare, idque defacto intendit facere: hoc autem positò auxilium meum cooperatio est actionis bonæ, & justæ: at verò seclusa tali voluntate non potest quisvis alius se intromittere; cum is, qui fecit injuriam non cuique sit factus subditus, sed tantum offenso. Unde quod quidam ajunt, supremos Reges habere potestatem ad vindicandas injurias totius Orbis, est omnino falsum, & confundit omnem ordinem; ac distinctionem Jurisdictionum, & talis potestas nec à Deo data est, neque ex ratione Colligitur. Suar. de Charit. disp. 13. sect. 4. Non autem posse Societatem armorum intri jam cum hoc, jam cum illo, prout majus emolumentum speratur, sed tantum cum eo, qui justam causam fovet, dictum est parte 1. sect. 2. §. 2. 8. Adjuvandam eam partem, quæ dum duæ republicæ (vel Principes) inter se bellum gerunt, justam causam fovet, & auxilium petit; quo casu si pars justum bellum gerens aliquem in adiutorium vocat ea lege, ut vel totum, vel pars eorum quæ bello occupata fuerint, ad adiutorem pertineat, poterit sub ea conditione juvare, & dein impleta conditione eas terras, vel res occupatas retinere, ad quas conditio se extendebat; cum enim cuique fas sit ex consensu gerentis justum bellum cooperari, & eum juvare ad bellum; quia id aliud non est, quam accepta ab eo auctoritate, qui conferre potest, cooperari ad bonum, ideo licitum est tale pactum pro periculis, industriâ, sumptibus, & laboribus, quæ adiutor subit, atque ideo quæ ea ratione acquisivit auxilians, ea legitimo titulo possideret, sicut si nullo precedente pacto in gratitudinem pro præstito auxilio illi donarentur. Quod si ij, contra quos auxilium præstitum est, bello insurgerent contra adiutorem, illud injustum esset, & posset adiutor deinceps sua propria auctoritate bellum ad vindicandam eam injuriam move-

re. Hac quoque ratione Romani socios adjuvando potuerunt justè dilatare suum imperium. Molina. disp. 105. Victoria apud Lay. Fertur quoque, Hispanos terras Mexicanorum obtinuisse ea ratione Thalchathedanos adversus Mexicanos adjuvando. cit. Molin. 16. Justam quoque causam belli esse tradit Molina disp. 104. allegans Castrum, Victoriam, & Covaruviam &c. ad impetrandum ea, quæ Jure gentium permessa sunt, & per injuriam, ac sine rationabili causa ab altero denegantur, ut est transitus viarum sine documento ex una regione in alteram, commune commercium &c. can. fin. caus. 23. q. 2. cujusmodi bellum suscepit Israël contra Seon Regem Amorrhæorum; nam misit Israël nuncios ad Seon Regem Amorrhæorum dicens: obsecro, ut transire mihi liceat per terram tuam; non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex patris, viâ regiâ gradiemur, donec transcamus terminos tuos: qui concedere noluit, ut transiret Israël per fines suos: quin potius exercitu congregato egressus est obviam in desertum, & venit in Iasa, pugnavitque contra eum: à quo percussus est in ore gladij. Num. 21. Eo quoque sensu Cæsar, quod Senatus aditum sibi Romam negasset apud Lucanum dixit:

*Arma tenenti*

*Omnia dat, qui justa negat.* Et S. August. relatus in can. Notandum 23. q. 2. notandum sanè, inquit, quemadmodum justa bella gerebantur à filijs Israël contra Amorrhæos; innoxius enim transitus denegabatur, qui Jure humane Societatis acquisitissimo parere debebat.

II. Q. 2. An ergo quis teneatur bellantibus concedere transitum per suas terras? Re. Justè bellantibus tenetur concedere transitum innoxium, & pacificum, si eum postulaverint, & is innoxie concedi possit. Hugo Grot. lib. 2. cap. 2. §. 13. & ex eo Heitzman Consultu Jurid. de Jure Belli cap. 4. n. 23. & sequitur ex allata doctrina Augustini, & Molina. Qui transitus si sine rationabili causa negetur, negatio injusta est, & quantum propulsandam poterit interdum bellum moveri. Molin. Sic Agesilaus ex Asia rediens cum à Rege Macedonum transitum postulasset, atque is consultaturum se dixisset: Consultet, inquit, nos interea transibimus. Grotius; ratio è Jure gentium desumitur, quo distinctiones dominiorum singularium introductæ sunt, cum prius omnia essent communia: spectandum enim est, inquit, §. 6. & seqq. cit. Gros. quæ mens eorum fuerit, qui primi dominia singularia introdu-

xerunt

terunt, quæ credenda est talis fuisse, ut quam minimum ab æquitate naturali recesserit. Nam si scriptæ leges in eum sensum trahendæ sunt, quatenus fieri potest, multo magis mores; qui scriptorum vinculis non tenentur. Hinc sequitur in gravissima necessitate reviviscere Jus illud pristinum rebus utendi, tanquam, si communes mansissent, nisi possessor sit in æquali necessitate, aut alia ratione necessitas evadi possit: quia in omnibus legibus humanis, ac perinde & in lege dominij summa illa necessitas videtur excepta; nam si primi divisores rerum, & dominiorum interrogati fuissent, quid de eo casu sentirent, hoc respondiissent; quare hæc obligatio non provenit præcisè ex charitate, quæ dominus rei rem egentem dare tenetur; sed quia res non aliter in dominia sunt distinctæ, nisi sub hac exceptione. Quod de necessitate idem de innoxia utilitate sentit cit. Grot. §. 11. in iis rebus, quæ accipienti sunt utilia, danti non molesta: ea enim à quolibet alteri indulgenda sunt, cujusmodi est non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, liquis velit, consilium fidele deliberanti dare, errantem viam monstrare, quam ipsi non monstrare Athenis execrationibus publicis sancitum est, ut ex Cicerone 3. offic. habet Pufendorfus lib. 3. cap. 3. §. 3. *quale quid alteri denegasse detestanda malignitas, & inhumanitas habetur, nisi propter immania scelera illi igni, & aquæ sit interdictum: & merito canibus ejusmodi homines comparantur, qui sano incubantes, quo vesci nequeunt, boves eodem accessuros morsu abigunt. Sic & magna inhumanitas foret, si eorum aliquam possidere non velim propter nimiam copiam, aut quia asservatio ejus mihi molesta est; cum non potius integram relinquere, ac aliis usum præbere possit, quàm eandem corrumpere; ut si saepe in bello res, quæ servari nequeunt, perdantur, ne hostem contra nos instruant.* cit Pufendorf.

III. Ex quibus infert 1. Grotius §. 1. 2. & 3. flumen, quæ flumen dicitur propriam quidem esse populi, cujus intra fines fluit, vel ejus, cujus in ditione est populus, atque ei licere molem in flumen iniicere, & ipsius esse, quæ in flumine nascuntur. At idem flumen, quæ aqua profluens vocatur commune mansisse, nimirum ut bibi, hauririq; possit: hinc Ovidius ait:

*Quis vocet opposito lumen de lumine sumi,*

*Atque cavum vastas in mare servet aquas?*

Infert 2. si qua pars maris in proprietatem alicujus populi venit, patere debere his, qui transitu opus habent ad causas justas, puta,

quia finibus suis pulsi quærent terras vacuas, aut quia commercium expetunt, quod summi est justo bello petunt &c. ratio horum omnium non desumitur ex aliquo jure communi scripto, utpote quale pro toto genere humano nullum datur, sed ex jure gentium, & ex communi quadam, quæ inter omnes homines est, affinitate, & consuetudine; socialis enim ratio homini hominem esse utilem voluit in iis, quæ sibi sunt innoxia. *annotat. Grot. ad §. 11.*

IV. Diximus, transitum concedendum esse justè bellantibus, & si innoxie concedi possit. Hinc 1. is non concedi debet bellanti injustè: quia hic effectus, qui è primitivo jure communionis rerum ob bonum finem est relictus, non debet trahi ad iniquitatem, & finem malum. 2. Neque debetur justè bellanti, si hostes concedentis secum trahat; quia hoc casu innoxius non est transitus. 3. Neque, si concedens cum una, aut utraque bellantium parte foedus habeat de transitu non concedendo, qui foederis neutralitatem, ut vocant, servare tenetur, hoc est neutrarum partium studio se debet implicare: foedus tamen tale cum eo, qui injustè bellare scitur, esse non potest. 4. Non tenetur transitum concedere etiam justè bellanti, si ex eo transitu probabile periculum imminet suæ republicæ, e. g. si periculum sit, ne concessio transitu sedes belli in suis terris constituatur; ut, si timor sit, ne alter bellans hosti suo occurrat, & ei resistat, dum adhuc est in ditione ejus, qui concedit transitum; quod facile contingere potest. Nam tali casu transitus non potest concedi innoxie, & quod de concedendo transitu dicitur, intelligi semper debet, nisi respublica propria per hoc magnis involvatur malis. 5. Nec est obligatio concedendi transitum alterutri bellantium parti, quando non satis liquet, quænam pars justam foveat belli causam, sed utrinque rationes probabiles pugnant; quia hoc casu non tenetur ille judicare, quis justam habeat causam, & se duobus armatis arbitrum interponere, ac tantam litem suam facere, sed utrique transitum negare potest; quem si uni parti concedat, hoc ipso, & altera eum prætetendat. 6. Non tenetur transitum concedere, nisi sub sufficiente cautione, cum fore innoxium; unde merito potest petere obsides in vim cautionis; aut inermes, vel divisas copias transmittere; si enim Princeps, vel respublica potest ipsis indigenis prohibere, ne sint armati intra fines, quamvis pauci, quam-

quamvis singuli, multò magis id potest non concedere exteris; ab his enim major est metus. annot. Grot. aut potest sibi præsidia idonea conducere, & eorum expensas à transeunte petere; sicut etiam omnes expensas ipsius transitus, & damnorum, quæ in eo fuerint secuta; qualia multa sequuntur passim etiam in transitu per terras amicas ex defectu disciplinae, & neglectu officialium, ut miserè premantur subditi, & sæpe vix sit discriminè inter hosticos, & amicos milites. In bello Suecico, ut narrato accepi, prioris sæculi milites Sueci in Germania ad Lacum Bodamicum intercepterant rusticum, quem, ut Dux itineris esset, adegerant; dum iter faciunt, quarunt amicè ex rurigola, quinam ei milites placerent magis Sueci, an sui? subridens agricola, si, quod sentio, inquit, liberè enunciandi facultatem mihi conceditis, promissa impunitate, dicam: annuntiant illi largam promissionem, ut edisserat, ille: lacum hunc Bodamicum, inquit, cernitis; votum jam meum est, lacus hic ut offa lactea foret, omnesque promiscue milites, & Sueci, & Nostri, bolicibarij in ea natarent, & Diabolus totam devoraret offam cum holis innatantibus: responsio cum risu, & impunè, ut convenerat à militibus est accepta. 7. Quòd si pauci alienigenæ & inertes, suoque victu viclitantes transitum petant ob honestam, & necessariam causam, is omnino concedendus erit. 8. Dicit Grotius, non posse negari transitum *ab omnium multitudinis transeuntium*, quòd jus transire volentis non tollatur metu alterius, & copiarum divisa possint transferri. Sed limitandum hoc est juxta prædicta, nisi prudens, & probabilis sit metus, ne grave præjudiciù, aut periculum ex multitudine imminet propriæ reipublicæ, quia nec pro eo casu justitiam ex veteri comunione bonorum usu relictum credo, cum prudens metus est, non fore innoxium. 9. Transeuntibus tamen justà de causà, ut valetudinis, morari aliquantisper licebit; nam & hoc inter utilitates innoxias est, cujus negatio justam videtur causam belli continere. Heizman *cap. 6. num. 28.* ubi & his, qui sedibus suis expulsi habitacionem etiam perpetuam quarunt, denegandam non esse asserit, si imperium recipientium subeunt, quòd Barbarorum sit hospites repellere teste S. Ambros. *de Officiis 3. c. 7.* nisi inhabitantibus terra vix sufficiat. 10. Centet præterea Grotius, & ex eo Heizman, non posse transitum negari ex hac sola ratione,

quòd transire volens *possit alio transire*; ne jus transeundi hac ratione penitus interimatur, cum quilibet posset petenti transitum objicere, eum alibi posse transire. Sed, cum in hoc casu ex una parte alter non habeat absolute necessitatem hanc transeundi; ex altera verò parte communiter transitus soleant graves cadere subditis tum propter excessus militum, qui satis cohiberi aut non possunt, aut non solent, tum propter annonam, cujus pretium incolis crescit ob magnam transeuntium multitudinem, & alia incommoda, ideo non videtur hæc obligatio hoc casu esse ex Jure communionis bonorum relicta, nisi aliunde prorsus securitas adsit, transitum *concedenti fore omnino innoxium quoad omnia, transeuntis verò pernitentem.* 11. Etsi una gens impediri non debeat, quò minus cum alia gente commercia colat, neque ipsi transitus debeat negari, si innoxius est; impediri tamen posse videtur transitus, si reipublicæ illius, per cujus ditionem transitus fit, intersit, commercium per eam ditionem non fieri. Nec refert, quòd altera gens fortè commercium aliter exercere nequeat; nam propter illius incommodum alteri reipublicæ jus in suo territorio non tollitur; potior enim habetur causa reipublicæ propriæ. *annot. Grot.* Falsum autem videtur, quòd *citata annotationes Grotij* per Joan. Christoph. Beckmannum editæ dicunt, transitum Amorrhæorum (Emorzos ipsæ cum Grotio vocant) *Num. 21.* non fuisse factum, quia Jus gentium negabant, sed quia erant inter damnatos septem populos, quorum terras Israëlitis donaverat Deus Josuæ *3. v. 10.* Nam ostensum est, *Jure gentium transitum istum* (qui prorsus innoxie petebatur) *concedendum fuisse*, cui nihil obstat, quòd simul concurrerit alter titulus, quo Dei donatione terras sibi donatas occupare potuerint.

## §. V.

Causæ propter quas Principes Christiani bellum suscipere possunt infideles.

1. Qui intelliguntur per infideles. n. 1.
2. Infidelibus bellum inferri non potest propter idolatriam, & alia scelera contra Legem naturæ, quæ Christianis, aut aliis innocentibus non sunt injuriosa. n. 2.
3. Causæ, ob quas infidelibus bellum inferri potest. n. 3.
4. Objectiones, & earum solutio. n. 4. & seqq.
5. Qua ratione Imperator dicatur Dominus mundi, & S. Pontifex habere potestatem in temporalibus. n. 9.

I. Per

I. **P** Fr Infideles intelliguntur illi, qui Baptismate carent, & propterea extra Ecclesiæ Jurisdictionem sunt, ut sunt Turcæ, Saraceni, Judæi &c. non verò illi, qui baptismum habentes Ecclesiæ terga vertunt, & ab ea per Apostasiam, aut hæresin se segregant, qui, ut supra dictum, Jurisdictioni Ecclesiæ subiecti manent.

II. **Q** 1. Quæ sint justæ causæ, ob quas Principes Christiani bellum inferre possint infidelibus, qui extra suam, & Ecclesiæ Jurisdictionem existunt? **R**. 1. Suar. de Charit. disp. 13. sect. 5. n. 5. nullum esse titulum (sive causam) belli Principum Christianorum ita proprium, qui non habeat fundamentum aliquod, vel certè proportionem cum lege naturali, atque ad eo, qui suo modo non etiam conveniat Principibus infidelibus; Hinc Christianos Principes non posse infidelibus indicere bellum, nisi vel *ratione injuria illata*, vel *ob defensionem innocentium*. Ratio est: quia bella jure naturæ, & gentium reguntur, & lex gratiæ non destruit legem naturæ, sed illam perficit: ideoque Christiani Principes in eos, qui extra eorum, & Ecclesiæ jurisdictionem existunt, alium titulum inferendi bellum non habent, quam quem ratio naturalis, & jus gentium dicat; cum illi, qui extra jurisdictionem existunt, legibus positivis subiecti non sint. Hinc concludunt Suar. *lo. cit.* Covaruv. *Reg. peccatum parte 2. §. 10.* Molin. *de 1. & J. 17. 2. disp. 106.* Lay. *lib. 2. 17. 1. Cap. 17* Reginaldus *lib. 21. cap. 8. sect. 2.* & alij ab his relati, Pontificem, & Principes Christianos non posse bellum inferre infidelibus suæ Jurisdictioni non subiectis *propter infidelitatem, idololatriam, & alia peccata, quæ Christianis, aut alijs innocentibus non sunt injuriosa*, etiam si perpetrentur ab infidelibus *contra legem naturæ, & cum la mine naturali pugnent.*

Ratio redditur 1. Quia peccata, quæ hominibus injuriosa non sunt, sed solum Deum offendunt, ut est infidelitas, & idololatria; relinquuntur ultioni Divinæ. Reginald. 2. Quia infideles Principes habent verum dominium; nam *infidelitas secundum se ipsam non repugnat domino, eò quòd dominium introductum est de iure gentium, quod est ius humanum; distinctio autem fidelium, & infidelium est secundum ius Divinum, per quod non tollitur ius humanum.* Ut loquitur S. Th. 2. 2. q. 12. art. 2. Covaruv. *lo. cit. n. 2.* Imò *distinctio infidelium secundum se considerata non tollit dominium infidelium supra ipsos fideles, ut habet S. Th. 2. 2. q. 10. art. 10. ubi probat, non esse quidem infideles assumendos ad domi-*

niū, seu prælaturam fidelium: at, si præexistant, esse tolerandos. Licet potestate Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis possit tale jus dominij super fideles ab infidelibus tolli, quòd infideles ob causam infidelitatem mereantur amittere potestatem super fideles, qui transferuntur in filios Dei.

Sic Romani tempore Apostolorum erant infideles, quibus tamen obtemperandum docet Apostolus *Rom. 13.* Nabuchodonosor quoque infidelis erat, & tamen ei à Daniele dicitur: *Tu Rex Regum es, & Deus Cæli regnum, & fortitudinem, & Imperium, & gloria m dedisti tibi.* Dan. 2. 3. Quia tunc solum potest Princeps malefactores punire, quando *vel est eorum Superior, & jurisdictionem in eos habet; vel quando ea peccata cedunt in injuriam sui, vel suorum (subditorum, aut aliquorum innocentium, quos naturali Jure defendere potest: non verò si malefactores sint extra suam Jurisdictionem, & peccata sint talia, quæ solum sunt offensa Dei, & cedunt in solam ipsorummet peccantiū perniciem: sicut enim unus Princeps supremus Christianus non potest punire peccata quæ sunt in ditione alterius Principis supremi Christiani, quia Jurisdictionem non habet in eos peccantes, ita Principes Christiani non possunt punire peccata eorum infidelium; in quos Jurisdictionem non habent.* Estque quoad hoc par ratio *de uno peccato contra legem naturæ, & de reliquis, quæ non cedunt in alterius injuriam: Sicut igitur Pontifex, & Principes Christiani non possunt punire peccata infidelium fornicationis, cultus idolorum, ebrietatis, & furis, ut ex 1. Cor. 5. constat, ubi connumeratis his peccatis ait Paulus: Quid mihi de ijs, qui foris (id est, extra Ecclesiam) sunt iudicare? nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit, quasi dicat, Iudicium, & punitio eorum, non ad Ecclesiasticam potestatem, sed ad Deum spectat.* Molin. Ita neque possunt punire alia peccata quæ nemini sunt injuriosa; hinc S. Th. 2. 2. q. 12. art. 2. citans eundem textum Apostoli ait: *ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in illis, quòd nunquam fidem susceperunt.*

III. **R**. 2. Licitum tamen est Principibus Christianis punire infideles, aut eis bellum inferre his casibus. 1. Si infideles subditi sunt Magistratui Christiano; tunc enim compelli possunt, ut naturæ legem observent, ideoque ut abstineant à falorum Deorum cultu, & omni impietate Sacrilega. Molin. Lay. potestque Princeps Christianus paganos, & Judæos propter similia peccata contra legem naturæ,

N n n

&



&, ne Christiani ab illis damnum patiantur, è terris suis omnino expellere. Laym. ex L. nemo C. de Paganis, & Clem. un. de Iudais. 2. *Licitum est prohibere ejusmodi infidelibus, & quibuscunque aliis peccata, que in innocentium injuriam cedunt, Quod si (verba Molinæ sunt) ab illis desistere voluerint fas est, movere adversus eos ea de causa bellum, idque absque Summi Pontificis auctoritate e. g. si innocentes immolent, aut eos interficiant, aut, ut eorum carnibus vescantur, aut quovis alio modo injuste perimant: vel si innocentes Tyrannicis legibus opprimant, aut alia simili ratione divexent: nam Ecclesiast. 17. & proverb. 24. præcipitur: erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare necesse: ergo quivis naturali iure defendere potest innocentes à Tyrannide, & oppressione, idque potissimum ad Principes spectat. Neque necesse est expectare, ut innocentes ad mortem ducantur; sed fas est cogere, ut statim cessetur a pessimo ritu, aut consuetudine, & ut iniquæ, & pessimæ leges abrogentur, inferendo, si ad id opus fuerit, bellum, juraque illius proseguendo, ac deponendo Principes iniquos, aliosque si opus fuerit, creando. Neque obstat, si barbari, ac subditi ipsi velint eos mores, & sacrificia, nolintque extraneos ea de causa bellum suis indicere. Integrum namque est cuique, vel invito eo, qui injustè occiditur, illum eruere à morte, ut in eo constet, qui laqueo, aut alia ratione vult sibi ipsi manus inferre, mortemque consciscere. hæc Molina disp. 106. ubi tamen observat, hoc casu non fas esse bellantibus plus de bonis adversariorum sibi usurpare, quam expensas belli, & compensationem injuriarum, ac damnorum, si quæ ab adversariis inter bellandum acceperunt; quia id bellum non ad recuperandum aliquid proprium, neque ad vindicandam injuriam propriam, sed solum ad subveniendum innocentibus, quatenus proximi sunt, geritur. Possunt tamen etiam exigere hoc casu Principes Christiani justum præmium sui laboris, & industriæ; neque enim tenentur se gratis exponere periculis, suamque operam, & industriam collocare: ipsique hostes tenentur hæc omnia Solvere, qui causa injusta fuerunt, ut bellum justum contra eos susciperetur: reliqua, si quæ supersint, Molina ijs innocentibus attribuit, in quorum gratiam pugnatur, & quorum partes aguntur, qui justè in sui defensionem potuerunt bellum movere; nisi ad innocentium, illiusque Reipublicæ bonum spectet, ut bellantes dominium earum regionum assumant, id quod plerumque usu eveniet. Hinc si respublica subdita infideli principi velit suscipere legem Christi, & Rex infidelis prohibeat, habent Christiani Principes jus defendendi illos innocentes. Secus si respublica aliqua vellet recipere legem infidelium, Mahometicam e. g. ac Princeps nollet: eo enim*

casu non haberet Princeps infidelis, e. g. Turca, simile jus contra Regem Christianum. Ratio est: quia impedire legem Christi est revera gravis injuria, & damnum: prohibere autem legem aliam nulla injuria revera est; nullumque damnum; ratione enim, si audire velint, convinci possunt infideles, legem Christianam credibiliorem esse, & credendam: Suar. 3. Quando infideles occupant, & detinent terras, ac provincias, quæ olim ad Christianorum Principum Jurisdictionem pertinebant, & ipsorum Christianorum dominio suberant, possunt eas Christiani ipsi bello iterum auferre. Covaruv. Cum D. Th. Cajet. Can. dispar. 23. q. 8. & c. Er constat ex suprâ dictis, sic bella justè geruntur contra Turcas, Saracenos, & olim multa pie gesta sunt recuperanda Ierofolyma, & terra sancta, si elapsæ sint induciæ cum ijs initæ, de quibus non agimus. 4. Quando infideles Christianos offendunt, & persequuntur, in servitutem abstrahunt, & dirè eos vexant; tunc enim licet eos impetere bello defensivo, & præterea bello vindicativo ad Satisfactionem, & vindictam injuriarum, & Offensarum, quas Christianis intulerunt. S. Th. 2. 2. q. 10. art. 8. disp. 28. q. 8. Covaruv. 5. Quando infideles subditi sunt alicui Principi Christiano, & ejus Imperium, ac leges detractant. S. Th. 2. 2. q. 66. art. 8. 6. Quando infideles blasphemij, pravisque persuasionibus impediunt legis Evangelicæ prædicationem etiam in suis provincijs. S. Th. 2. 2. q. 10. art. 8. & art. 11. Cajet. Albert. Pius Carpens. apud Covaruv. contra Erasmus C. 21. de bello: quia injuria fit Christianis, qui habent Jus prædicandi legem Evangelicam per totum Orbem, si prædicare Christianam fidem impediuntur; quod quidem bellum ratione propulsandæ hujus injuriæ justissimum est. Quare si Prædicatores Evangelicæ injurijs afficiantur, vel principes infideles aliquid agant in detrimentum fidelium, bellum in ipsos decerni potest: quia hæc est injuria Ecclesiæ, ad quam expellendam, & vindicandam Jus suum habet, quod Jus & naturale est, & aliqua ex parte Supernaturale, quia facultas Dei est ad prædicandum Evangelium: quo modo, seu quatenus supernaturale est, non spectat ad infideles, benè tamen quatenus naturale est. Suar. loc. cit. nu. 7. & 8. Hinc si aliqua respublica velit colere unum Deum, & servare legem naturæ, vel audire prædicatores, qui hoc doceant, & à suo Principe impediatur, oriatur inde alteri Principi, etiam

et si infidelis is sit, & sola ratione naturali ducatur, justus titulus belli; quia illa erit justa defensio innocentium. Simili modo, si aliqua respublica coleret unum Deum, & servaret leges naturæ, alia verò idololatriam exerceret, ac contra rationem naturalem viveret, haberet illa jus ad mittendum, qui hanc dedocerent, & erroribus liberarent; quòd si per vim impediretur, jure posset bellum prosequi: quia jus id valde consentaneum est naturæ; tum etiam quia hoc casu admisceretur defensio innocentium, cum moraliter loquendo non sint defuturi, qui velint edoceri veritatem naturalem necessariam ad bonum honestum; à qua voluntate iniquè impedirentur. *Suar.* Argumenta heterodoxorum pro Turcis supra diluimus.

IV. Opponitur 1. Potest infidelibus inferri bellum, quia propter crimen infidelitatis auferitur à Deo ipsis regnum, quod obtinent, & in Christianos transfertur per illud *Matth. 21. auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*, id est, justitiam. 2. Ut Deus vindicetur ab injurijs, quæ contra ipsum fiunt per peccata contra naturam, & per idololatriam; si enim pro proximis innocentibus bellum geri potest, ne ipsi injuriâ afficiantur, quanto magis, ne Divina Majestas injurijs afficiatur. 3. Constat ex S. Script. *Deut. 2.* quòd ob idololatriam Deus præceperit filij Israël, ut gentes plurimas subverterent, & dissiparent. 4. Hæretici, & Apostatæ possunt non tantum excommunicari sed etiam corporaliter compelli, & bello coerceri propter hæresin, & apostasiam, ut ex S. August. habet S. Th. 2. 2. q. 10. art. 8. & q. 12. art. 2. Covar. .n. 2. cum Alfonso de Castro, & alijs: ergo etiam infideles propter infidelitatem. 5. Infideles veri domini non sunt rerum, quas possident, sed aut Imperator Christianus L. deprecatio ff. ad L. Rhod. de jact. aut certè Rom. Pontifex, ut infideles, qui barbarè vivunt, redigantur ad politiam modestiorem, sicque magis dirigantur ad aternam beatitudinem, ad quam sunt creati. 6. Quia D. Greg. *Epist. 73. ad Gennadium*, ut refertur in *can. si non ex fidei*, 23. q. 4. mirè laudat bella, quæ Gennadius gesserat adversus infideles dilatandæ causâ reipublicæ, quatenus per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurreret.

V. R. ad 1. Covaruv. licet Deus possit ob scelera gentium ab eis tollere regna, & Principatus; nos tamen interim, dum hæc Dei voluntas nobis occulta est, non possumus in-

fideles, & sceleratos homines, qui nostro Imperio subditi non sunt, dominio rerum privare, cum illud adhuc post infidelitatem obtineant.

VI. R. ad 2. N. paritatem quoad proximum cujus injurias ex Charitate vindicare permissum: & quoad Deum: nam proximi alioqui non poterunt se defendere, & ideo ne à Tyrannis, & inimicis opprimantur, defendi possunt: secus est in Deo, qui omnipotens cum sit, facillimè valet, injurias, quæ ipsi inferuntur, avertere, & propulsare, ac sceleratos ex ea causa punire juxta illud: *mihî vindicta, & ego retribuam*. Neque Deus dedit omnibus hominibus potestatem vindicandi suas ipsius injurias; neque hoc expediebat generi humano; sequeretur enim inde turbatio maxima. Dein hoc ipso titulo possent etiam Christiani Principes inter se bella movere, cum multi etiam sint Deo injurij. *Suar.*

VII. R. ad 3. Filij Israël potuerunt gentes idololatrias delere, & earum terras occupare ob specialem, & expressam jussionem Dei, qui eas terras populo Israëlítico donaverat: quas gentes utique Omnipotens Deus potuit sic punire, & ab eis provincias auferre propter peccata earum; cumque provincias illas Filijs Israël promississet Deus, ne idolorum templis nocerent, jussit ea destrui, & radicitus dissipari. Quam divinam punitionem non debent imitari Principes Christiani, qui jus puniendæ non habent in alios, quam in sibi subditos. Dein idololatria, quæ gentes illæ utebantur, non erat simplex, sed mixta cum occisione innocentium; nam & filios idolis sacrificabant, adeoque non tantum idololatriæ, sed etiam homicidæ erant: unde ad subveniendum illis innocentibus, qui iniquissimè occidebantur, quorumque sanguis clamabat à proximis auxilium petens, justè potuisset illis gentibus bellum inferri etiam auctoritate humana. *Covaruv. cit. §. 10. n. 5.*

VIII. R. ad 4. N. conf. Nam infideles non sunt subjecti Jurisdictioni Ecclesiæ; apostatæ verò, qui per Baptismum fidem Christianam semel susceperunt, Jurisdictioni Ecclesiæ subjecti manent, licet ei terga vertant, & se segregare moliantur; audiantur verba Angelici Doctoris, qui 2. 2. q. 10. art. 8. d. dicendum, inquit, quòd infidelium quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem sicut gentiles, Judæi: & tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant: quia credere voluntatis est, sunt tamen compellendi à fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant, vel blasphemis, vel malis persuasionibus, vel

veletiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum-movent; non quidem ut eos ad credendum cogant (quia si etiam eos vicissent, & captivos haberent, in eorum libertate reliquerent, an credere vellent) sed propter hoc, ut eos compellant, ne fidem Christi impediant. Alij verò sunt infideles, qui quandoque fidem susceperunt, & eam profitentur, sicut heretici, & quandoque apostate: & tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt, & teneant, quod semel susceperunt. Hæc S. Doctor. Si obijciatur illud *Matth. 13.* de Zizanijs inter triticum *sinite utraque crescere.* Et illud Augustini. *Quod cetera possit homo nolens, credere verò non nisi volens, adeoque voluntas cogi non possit.* Respondet ad 1. cit. Angelicus cum Aug. *contra Epistolam Parmenians,* illud *sinite utraque crescere usque ad messem* exponi per contextum; ne forte dum zizania (heretici) eradicantur, cum eis & triticum (fideles) eradicetur, atque Ecclesia majus inde damnum accipiat; si autem habeat tales defensores, per quos non debeat timeri, ne novum schisma contingat, non dormiat severitas disciplinæ; legum enim terror ita profuit, ut multi dicant *gratias Domino, qui vincula nostra (erroris) dirupit.* Ad alterum respondet quòd, sicut *vovere est voluntatis, reddere autem votum est necessitatis, ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis, & ideo heretici sunt compellendi ut fidem teneant.* Dicit enim Aug. ad Bonifacium Comitem: ubi est, quod isti clamare consueverunt, liberum esse credere, vel non credere? Si quis resplicet illud *Ezechiel. 18.* *nolo mortem peccatoris, respondet, quòd sicut in eadem Epistola Augustinus dicit, nullus nostram vult aliquem hereticum perire, sed aliter non meruit habere pacem domus David, nisi Absolon filius ejus in bello, quòd contra patrem gerebat, fuisset extinctus, sic Ecclesia Catholica, si ex aliquorum perditione ceteros colligit, dolorem materni sanat cordis tantorum, liberatione populorum.*

IX. Respondet ad 5. N. quòd infideles non sint veri Domini rerum, & Provinciarum, quas possident; contrarium suprà ex S. Th. & Covaruv. probatum est. Quòd autem Imperator dicatur Dominus orbis, id intelligitur, quòd sit Dominus magnæ partis orbis, hoc est Romani Imperij, quòd olim valde latè per orbem extendebatur: nullus verò unquam Imperator omnes omnino nationes per totum mundum dispersas sub suo Imperio habuit; neque enim hoc Imperium habuit *per electionem totius mundi,* qui consensum præbisset, ut unus esset communis omnium Imperator; neque *iuro belli* (sive Justo, sive injusto) ullus unquam omnes gentes occupavit; cum nostris sæculis plurimæ gentes de novo sint repertæ, quæ antea omnino erant incognitæ, &

multæ aliæ adhuc sint incognitæ. Molin. 17. 2. *disp. 30.* Quoad Pontificem, eum non habere dominium directum totius orbis in materia de dominio & de legibus tractatur. Suar. *lo. cit. sect. 5. n. 3.* & fuse ostendit Molina *disp. 29.* & expressè affirmat Nicolaus Papa in *Epistola ad Michaelem Imperatorem* *relatus in can. cum ad verum diff. 96.* licet habeat potestatem supremam in temporalibus in omnes Christianos indirectè, præcisè quantum ea necessaria est ad finem supernaturalem, ut patet ex *can. si Imperator eadem diff. & ca. solus. de Majoris. & Obed. ea. per venerabilem, qui filij sint legis.* quæ potestas indirecta quoad temporalia cum semper supponat potestatem directam in spiritualibus, ideo per se loquendo non potest se extendere ad infideles, in quos directa potestas quoad spiritualia non datur in ipso Pontifice. Suar. *de Charit. disp. 13. sect. 5. n. 4.* cumque hæc potestas indirecta præcisè ad finem supernaturalem ordinetur, non est *merè temporalis, sed spiritalis ex parte finis.* Molin. n. 23.

X. Respondet ad 6. Covaruv. *lo. cit.* illud S. Greg. intelligendum esse de bello adversus hereticos, & apostatas, quemadmodum constat ex ejusdem Gregorij *epist. 72. ad eundem Gennadium.* in *can. sicut 23. q. 4.* Nam (verba sunt Covaruv.) *illud bellum laudatum est multis de causis, & præmaximè, quòd heretici legis Evangelicæ veram, & Catholicam doctrinam predicari impediebant per subditas Romano Imperio nationes.*

## §. VI

### An possit dari Bellum utrinque Justum?

1. Non potest dari Bellum utrinque justum in re ipsa, & materialiter. n. 1.
2. Bene tamen utrinque justum formaliter ob ignorantiam invicibilem. n. 2.
3. Difficilis objectio. n. 3. & seqq.
4. Qui gravi metu coguntur ab hostibus injustis, possunt facere ea, quæ per se non sunt mala, ut cadere arma, advehere tormenta bellica &c. n. 10.
5. Non datur plenum dominium duorum simul in eadem rem. n. 11. & seqq.

**Q.** 1. An Bellum possit esse ex utraq; parte justum? Respondet 1. Non potest esse bellum utrinque justum materialiter, seu in re ipsa, & *seclusa ignorantia.* Cum enim bellantes contraria Jura præendant circa rem, circa quam bellum cient, non potest in re ipsa uterque habere justitiam fautricem; nam nulla virtus (qualis est justitia) potest habere actus sibi invi-

invicem contrarios, aliàs secum pugnaret, & bonum bono contradiceret. Hinc si una pars iustum bellum gerit, non potest altera pars in re ipsa se iuste defendere; quia iustitia, quæ uni præbet titulum iustum possidendi e.g. regnum, vel civitatem, atque oppugnandi ibi existentes, non potest simul tribuere titulum oppugnatis resistendi. Palao *tr. 6. disp. 5. pund. 3.* Covaruv. *Reg. peccatum. parte 2. §. 10. n. 6.* Filliucius *tr. 29. q. 6. n. 185.*

II. R. 2. Potest tamen esse bellum utrinque iustum *formaliter, seu in opinione*, quâ utraque bellantium pars bona fide, & prudenter Judicat, se habere iustam bellandi causam; adeoque fieri potest, ut neutra bellantiû pars peccet *ob ignorantiam invincibilem*; licet in re ipsa tantum apud unam partem existat Iustitia, seu vera causa belli; DD. passim. & tale fuisse bellum illud, quod Judæi gesserunt contra Amorrhæos, & cæteras gentes *jud. 1. cen. set Covar. cum Abulens.* Ex parte Judæorû erat bellum iustum *materialiter, & formaliter*, quia suberat vera causa propter voluntatē Dei Judæis manifestatam, quâ Deus (qui Dominus est omnium Regionum, quas creavit) ipsis hanc terram Amorrhæorum donaverat, & eis potestatem fecerat expellendi eos populos: ex parte Amorrhæorum verò erat iustum solum *formaliter*, quia licet in re ipsa ipsis vera causa restituendi non subesset, iustâ tamen ignorantia ignorantes hanc divinam iussionem Judæis factam, se detenderunt ab aggressione Judæorum. eaque ratione existimabant, se bellum iustum gerere.

III. Opponitur casus, quo iuste bellans obsidet civitatem, vel invadit exercitum hostilem iniustum, ubi sunt innocentes, quo casu, si aliâ viâ non potest civitatem expugnare, vel exercitû hostilem vincere, nisi interficiat innocentes, potest eos interficere, & vicissim illi, ne innocentes interficiantur, possunt repugnare, & se defendere: ergo potest dari bellum utrinque in re ipsa iustum; quia dari utrinque potest titulus, & causa pugnandi in re ipsa iusta. R. det Palao, innocentes in hoc casu quidē posse oppugnari quatenus nocentibus sunt immixti, at ut sic ipsis non concedi jus resistendi; concedi tamen jus fugiendi; quam fugam impugnatores impedire non possunt, imò potiùs favere debent. Quæ responsio expedita quidem est, & vera; at difficultatem non exhaurit; nam

IV. Q. 2. Quid, si innocentes illi metu mortis adacti à suis iniuste bellantibus ceu

scutum objiciantur hostibus iuste bellantibus, & vel in acie collocentur in prima serie, ut milites retrò ipsos stent, & occidi nequeant, nisi priùs occisis illis innocentibus; vel si ita è vallis, & mœnibus urbis disponantur, ut hostes iustos appropinquantes occidant aliàs ipsi à retro stantibus occidendi; R. 1. Etiam si hi innocentes ante exercitum iniustum constituti possent pugnare contra iustos oppugnatores, quia metu mortis pugnare coguntur; tamen non sequitur, *ipsum bellum prout publica auctoritate geritur*, utrinque esse iustum; nam sicut Princeps iniustam causam fovens iniuste facit, si exercitum suum mittat contra alterum exercitum iustum, ita iniuste facit, si hos innocentes cogit, ut stent ante prima signa, & pugnent contra hostem iustum; adeoque hoc ipso si alter Princeps habet bellum iustum, hic Princeps habet iniustum. Unde tantum superest quæstio. Qua

V. Q. 3. An ejusmodi innocentes metu mortis coacti possint pugnare contra hostem iustum oppugnantem? Not. per innocentes intelligi eos, qui nec ullam bello causam dederunt, neque iniuste bellantibus cooperantur, & auxilium præstant; aliàs si sponte se immisceant iniuste bellantibus, & iis cooperentur, hoc ipso faciunt se nocentes. Hoc notato

R. 1. Hostis iuste bellans potest pugnare contra ejusmodi innocentes eosque occidere; si eorum occisio sit medium necessarium ad obtinendam victoriam, vel capiendam urbem, modò non imperantur ex intentione *directè eos occidendi*, sed perveniendi *ad hostes iniustos*. Ratio: quia hæc est *indirecta occisio* innocentis, quæ intrinsecè mala non est: neque innocentes hi occiduntur ab oppugnatoribus *iure vindictæ*; sed *iure defensionis necessaria* (alioquin enim impossibilis foret defensio contra iniustos) quò modò etiam pueri, & amentes occidi possent. Less. *L. 2. cap. 13. dub. 3. n. 30.*

VI. R. 2. Vicissim hi innocentes ante prima signa exercitûs iniusti stantes, non possunt pugnare contra oppugnatores iustos, sed debent fugere, si possunt, vel arma ita dirigere, ut hosti iusto adventanti non noceant, v.g. altiùs elevando, aut infernè deprimendò sclopeta, aut vim in suos iniustos coactores vertere, aut ad hostes iustos transire, etiam si sit periculum, ne se opponendò suis coactoribus, aut fugiendo occidantur. Ratio: quia hostes iusti oppugnantes, sunt innocentes, quorum *directa occisio* est in-

trinsecè mala : & cooperarentur ad victoriam injustam obtinendam, quod est itidem intrinsecè malum. Et ita Molina *tr. 2. disp. 115.* docet, Christianos captivos apud Turcas neque mortis metu adactos posse pugnare adversus Christianos quemquam interficiendo, vulnerando, aut percutiendo, quòd sit intrinsecè malum, utpote innocentis percussio absque auctoritate, aut Jure ad id faciendum. Et quidem, si utrinque urgeat æquale periculum, quòd à fronte hostis justus, à tergo coactor injustus instet, non videtur dubium, quin potius contra injustos coactores pugnare, & eis resistere debeant, si fugere non possunt, quàm contra hostè justum, qui innocens est. Sed

VII. Quid, si omni alià vià præclusà à tergo instet mors certa, ab injusto coactore; à fronte verò aliqua sit spes mortem evadendi, si pugnent? R. Hoc casu non poterunt hi innocentes aggredi hostes justos, & per eorum occisionem prælium auspiciari; quia esset directa occisio innocentum: ideoque debebunt potius pati mortem à suis injustis coactoribus, quàm eam inferre innocentibus ex adverso stantibus, à quibus aggressionem in sua persona passim nondum sunt. Quando verò ipsi hostes justus auspiciantur pugnam, & hos innocentes sibi objectos aggrediuntur, augetur difficultas, nã etiam qui ab amente invaditur, potest cum invaloris occisione vitam suam tueri, cur non & in hoc casu idem liceat contra invalores justos? amens enim invasione sua æquè non peccat, quàm hi hostes justus sua invasione, neque in uno casu minus videtur locum habere moderamen inculpatæ tutelæ, quàm in altero. Sed adhuc disparitas esse videtur: nam amens directè invadit, & invaso facit injuriam materialiter non habens jus invadendi: at hostes justus solum indirectè invadunt: quia aliter non possunt ad injustum hostem pervenire, & vincere, ad quod jus habent: sicut si meus injustus hostis ante se mihi obijciat infantem ceu scutum, possum gladio trajecto eum transfodere, si justè contra eum pugno ob bonum publicum, nec aliter possum obtinere victoriam: at innocentes hi ante injustum exercitum collocati non possunt simile quid intendere in exercitu adverso justo, qui totus innocens est: sicut igitur, si quis mihi mortem minetur nisi occidam innocentem infantem in terra jacentem, quin intendam aliam actionem præter hanc occisionem, ut per eam salvem vitam meam, non possum eum occidere; quia intrinsecè mala est hæc occisio, utpote directa innocentis;

ita videtur, quòd hi ante signa hostis injusti ex metu stantes non possunt occidere hostes justos innocentes, ut per eam occisionem salvent suam vitam.

VIII. Sed obstat sequens casus: Viator in angustiis viæ, vel angiportu constitutus cernit effusis habenis imminentem sibi equitem fugientem à persecutore injusto insequente; videt præterea, se fugere non posse, & evidenter proterendum, ni equitem hunc innocentem fugam intendentem occidat, ne ipse innocens proteratur: quo casu eques ille fugam suam prosequi potest, etsi per accidens obtrahatur ab equo suo viator, quia hujus mortem non intendit, sed fugam; & vicissim viator videtur posse hunc equitem sibi imminentem præveniendò occidere, ne ipse occidatur.

Ob hunc casum videtur dicendum, quòd inter privatos possit dari certamen utrinque justum, si unus tantum indirectè alterum innocentem invadit, & alter se defendit; at in nostro casu adhuc restat difficultas ex eo, quòd innocentes ante aciem injustam constituti, si contra hostes justos pugnant, cooperentur ad injustam victoriam hosti iniusto forsan acquirendam, & hosti justo impediendam, quod videtur intrinsecè malum; quod in casu prædicti viatoris non est. 2. Viator ille per causas naturales ponitur in ijs angustiis: innocentes verò illi per malitiam injuste cogentium collocantur ante signa ad hunc finem, ut ipsis ad injustam victoriam cooperentur; adeoque in priori casu occisio præcisè ad defensionem viatoris ordinatur; in posteriori verò ordinatur ad satisfaciendum injustæ petitioni cogentium; ideo enim innocentes ante signa constituti pugnant contra hostes justos, ut cogentium injustæ voluntati satisfaciant. 3. Milites justus aggredientes sunt Ministri publica auctoritate constituti à suo Principe, ut pugnent indirectè contra hos innocentes per malitiam injustorum hostium sibi objectos, quod in casu viatoris non est; Ministris publicis autem bona fide officium exequentibus damnum inferre non licet. Quòd si hæc rationes non videantur satisfacere, dicendum erit cum Lessio *L. 2. cap. 13. dub. 3. n. 30.* posse dari quandam speciem belli utrinque justus, ubi ex altera parte est tantum indirecta oppugnatio. Interim semper manet, quòd in re ipsa non possit uterque supremus Princeps bellans habere justam bellandi causam, sed tantum unus. IX. Si uterque Princeps bellans injustum bellum e.g. ob vanam gloriam gereret, & uterque ante prima signa collocaret innocentes;

tes;

res; neutra innocentium pars ex metu mortis posset alteram aggredi auspicando præliū; si verò una auspicaretur, altera se posset defendere tanquam contra injustos aggressores. De milite privato censet Azor *p. 3. l. 2. c. 7. q. 1.* cui constat injustū esse bellum sui Principis, & vult ab eo bello desistere, quod possit militem, vel etiam Principē justū invadentem se occidere, si prius admoneat, ut ab invadendo desistat, is autem desistere nolit, & ille aliter non possit se ab eo defendere.

X. Possunt tamen illi, qui metu adiguntur facere in eiusmodi casibus ea, per se non sunt mala: uti, si opifices sint, cudere arma, advehere tormenta bellica, & instrumenta bellica, excitare aggeres, &c. si metu gravi, ad ea adigantur, sicut per doctrinam Lessij *Lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 29. & 30. talicasa licet furi apponere Scalas, juvare conscendere muros, dare instrumenta esfringendi portas: hæc enim indifferentia sunt, neque ledunt Dominum, nisi ex iniqua intentione, & usu furis (idem est de similibus in bello) qui his auxiliis utitur ad malum finem. Pari modo, inquit, potest juvare in re postquam sublata est, asportanda, & in peccore abigendo, in his enim non est injuria in Dominum, si ex gravi metu fiant. Hinc sæpe excusantur rustici, qui prædas militum injustas coguntur avere, vel pecora sublata deducere. Non tamen hoc metu potest quis domum alienam perfringere, vel per fenestras penetrare, & res foras projicere, vel pecora e stabulo abigere; nam hoc est esse causā Principalem, & directam furti, & injuriæ; quicumque enim res meas primò aufert, vel damnificat, injuriam mihi facit, quocumque metu id faciat; nisi fortè id faciat cum animo compensandi, tunc enim Dominus id merito debet permittere, ne alter gravissimum malum incarrat. Ita doctrina Lessij: quæ non videtur damnata per propositionem 51. ab Innoc. XI. damnasam ita sonantem: *famulus qui submissis humeris adjuvat herum furum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Nam ut habet Illiung. *tr. 3. d. un. n. 114.* & Dominicus Viva *ad cit. Proposit. n. 3.* hæc propositione non prohibetur cooperari materialiter peccato proximi ponendo actiones de se indifferentes, quando aut mors, aut malum morti affine aliter declinari non potest. Nec dicas: licet hæc non sint mala in se, sed adia-phora, tamen ut hic, & nunc fiunt, esse veram cooperationem injustæ invasionis. Nam *Be. cit. Less* hæc opera non esse mala, ut procedunt à voluntate ejus, qui coactè agit, sed solum, ut subsunt directioni cogentis, & utensis iis ad malum finem, quæ malitia non est*

imputanda illi misero: quia isthæc non sunt intrinsecè mala, nec directè tendunt ad occisionem alterius, vel ad aliquod intrinsecè malum.

XI. Opponitur 2. Potest dari perfectum dominium duorum in solidum circa eandem rem: ergo etiam potest dari ex utraque parte justa causa ad bellum, & consequenter bellum utrinque justum. *Be. 1. N. Conf.* nam speculatio de dominio duorum in solidum solum est *de instanti alienationis rerum*, quò alienans vult rem suam translata in alium, non verò quando duo per contrarias allegatas causas contendunt, rem esse suam, & neuter vult eam alteri relinquere, ut fit in bello. *Be. 2. N. Ant.* quod comunibus votis negant J. C. cum omnibus ferè Theologis teste Esparza apud Illiung. *tr. 4. disp. 2. n. 59.* & habetur expressè in *L. si ut certo 5. §. si duobus 15. ff. com. modati.* ibi: *duorum quidem in solidum dominium, vel Possessionem esse non posse.* Quòd antiquis Regulæ instar erat: donec Recentiores quidam Theologi ex *Cardin. de Lugo de In-tarn. disp. 3. sect. 1. & de l. & l. d. 2. sect. 2.* subtilitatibus quibusdam controversiam magis celebrem, quàm utilem excitârunt *de instanti alienationis rerum* per donationem, venditionem &c. ubi dominium ab uno transfertur in alium, quo instanti utrumque simul dominum rei volunt, & donantem, & donatarium, & venditorem, & emptorem.

XII. Sed obstat ipsa natura pleni dominij; ad quam tria requiruntur. 1. Ut perfectus Dominus equi (vel alterius rei) possit ipse uti equo pro suo beneplacito, quin possit impediri à Jure reali notabili alterius in eundem, ut in eo possit equitare, eum vendere, vel etiam occidere. 2. Ut possit alios obligare, ne illi ipso utantur ad equitandum, vendendum, occidendum &c. se invito. 3. Ut possit eos obligare, quin obstet Jus reale alicujus alterius in eundem equum; aliàs plenus dominus haud foret. At fieri nequit, ut Cajus sit plenus dominus cum tali Jure perfecto in equum, & simul etiam Titius sit plenus dominus cum simili Jure perfecto in eundem equum, aliàs *Cajus posset equum suum destruere*, quin posset impediri à Jure contrario Titij in eundem equum, & simul *non posset eum licitè destruere*, quia Titius posset vi sui pleni dominij ipsum obligare, ne destruat. Argumenta in oppositum, ait Haunoldus, facilius rideri à Juristis, quàm solvi: at, quas continent difficultates, præcisè vexæ sunt, & subtilitate ludunt.

XIII. Pe,

XIII. Perunt, quis ergo pro instanti donationis habeat dominiū rei, donans, an accipiens? Quidquid dicas, vexant subtilitate. *℞. 1.* Id pendet ex voluntatis donantis, qui si *pro eo instanti rem velit adhuc esse suam, & dominium retinere*, sua adhuc erit, & dominium retinebit. Dices: donatio accedente traditione, & acceptatione est actualis translatio dominiij. *℞.* Est actualis translatio dominiij *pro illo instanti, quo donans non vult rem amplius esse suam, sed donatarij, & pro quo donatarius eam ut suam accipiat*, con. secus *N.* Idem *℞.* Si dicas: *accipere est rem habere in bonis suis, quā prius non habebat.* Idem est in eo, qui *rem derelinquit*, seu vult pro derelicta haberi; nam si *pro eo instanti vult rem adhuc esse suam*, sua adhuc erit. Secus in eo, qui *rem destruit*: qui cum rem velit *simpliciter non esse pro instanti destructionis, non pro eo potest velle esse suam.* At, inquis, destruens in eo instanti disponit circa eam rem, quam destruit: ergo Dominus est. *℞.* Disponit *dispositione destructiva*, qua vult rem simpliciter non esse *C. dissipatione alia. N.*

XIV. Si verò donans *pro instanti donationis rem velit iam esse donatarij*, res erit illius; at donans tunc eo instanti jam cessavit esse dominus: utriusq; autem pleni dominiij conjunctio æquè chimerica est, quā in Physicis conjunctio identitatis hirci cum cervo, quā Græci *τραγέλαφον* vocant. Nec dicas: donans in instanti donationis confert dominiū alteri, disponit de ea re perfectè, & donatio est ipsū exercitiū dominiij; Nemo autem Potest dare, aut exercere, quod non habet. *℞.* Hoc casu donas dicitur *conferre, & dare dominium*, quia *immediatè antea habuit*, non quia *actū habet*: si plura litigas, de nomine litigas. Nec dicas rursus: qui utitur libertate, seu liberè agit, debet libertatem habere. Nam *℞.* Libertatem, seu potentiam liberè agendi nemo in alium transferre potest; si posset, tunc pro eo instanti, quo eam in alium translata vellet, non diceretur eam exercere propriè, sed quia *immediatè antea exercuisset.*

XV. Infertur 1. Possè quidem plures fratres simul sumptos esse plenos dominos totius hereditatis adhuc indivisa, neutrum tamen seorsim esse plenum illius dominum, & sic plures quidem posse esse dominos ejusdem rei *totalitate objecti*, non verò *totalitate dominiij.* 2. Dominium hominis, & Dei in eandem rem esse *diversi Ordinis*: Deus enim habet jus in omnes creaturas *inimpedibile ab ullo alio iure sive creato, sive increato*; homo verò in aliquas res

solum habes *Jus inimpedibile ab alio iure creato*, & sic respectu Dei homo non habet dominium perfectum. 3. Etiam quoad dominium possessoris ejusdem rei non posse duos esse *plenos dominos in solidum eodem genere possessionis*, ut *uterque civiliter*, vel *uterque naturaliter* possideat; benè tamen in diverso genere possessionis, ut unus *civiliter*, alter *naturaliter* possideat. 4. Quando duæ partes litigantes habent utrinque pro se jus æqualiter probabile in aliquam rem, non quamlibet esse ejus rei dominam in re ipsa, & materialiter, sed tantum in opinione, & formaliter: nam æqualis utrinque probatio tantum facit, ut incertum sit, quæ pars sit domina rei, non verò ut utraque simul sit plena domina illius. 5. Nec duos simul posse habere *plenum dominium jurisdictionis* ejusdem causæ in solidum, licet id quidam admittant: nam in causis *mixtis fori*, in quibus inter Judicem Ecclesiasticum & sæcularem datur jus præventionis e. g. in crimine usuræ puniendo, neuter Judex ante præventionem habet *jurisdictionem plenam* in eam causam; hoc ipso, quod debeat pati præventionem ab altero, & neuter possit alterum obligare, ne se in cognitione causæ præveniat. Idem est quoad canones, Leges, S. Pontifex, vel Princeps concedunt pluribus plenam Jurisdictionem ad aliquas causas judicandas cum Jure præventionis; aut si S. Pontifex Communicat alicui plenam Jurisdictionem in eandem causam secum, non *privativè*, seu privando seipsum Jurisdictione, sed *cumulativè*, seu communicando alteri parem secum Jurisdictionem cum Jure præventionis. Idem est de *dominio proprietatis*, quod duo habere possunt in eandem rem *cumulativè cum iure præventionis*; potest enim Titius equum suum ita donare duobus, ut quisvis eorum habeat jus præventionis: quo casu neuter ante præventionem perfectus dominus est.

Nec dicas: quod neuter alterum possit à præventionem impedire, provenit solum ex defectu *Juris personalis* erga alterum, non ex defectu *Juris realis*: ergo hoc non obstante quamlibet perfectus dominus est. *℞. N. An.* nam jus ex donatione *re tradita est reale*, & si tale non esset, non sufficeret ad constituendum dominium. Sic & auctor naturæ feras nondum captas, sed in naturali libertate adhuc constitutas donat hominibus, ut quicumque in earum aliquam capiendam alios præveniret, deinceps disponere de illa possit pro arbitrio, quia possit amplius à Jure aliquo reali alterius in eandem

dem feram impediri, nec tamen ideo dixeris, omnes homines habere *plenum dominium* in quamlibet feram, antequam illorum unus reliquos in aliqua capienda prævenit.

XVI. *Quoad dominium altum*, vi cuius Respublica in necessitate disponere potest de bonis subditorum, erigendo e. g. in eorum hortis, vel agris munimenta, diruendo eorum domos &c. &c. dent quidam, quòd, quamdiu necessitas publica durat, cesset jus perfectum subditorum in sua bona. Alij dicunt meliùs, quòd dominium illud altum sit dominium Jurisdictionis, vi cuius Magistratus, vel Princeps *præcipere* potest subditis, ut in necessitate sua bona conferant ad defendendum bonum publicum, atque nolentes ad id compellere; non verò esse *dominium proprietatis*, adeòque nec Jus reale, & rigorosum in bona subditorum, sed latè sumptum, quale respicitur à justitia legali: & sic esse dominium *diversi ordinis* à dominio proprietatis subditorum; non autem implicat, concurrere duo dominia diversi Ordinis, ut est jus Jurisdictionis, & jus proprietatis.

## §. VII.

### De Causis injustis Belli.

1. *Causa injusta belli est Ratio statûs, & ut æquilibrium inter duas potentias pendeat. n. 1.*
2. *Causa injusta est debellare populos, quia barbari sunt. n. 2.*
3. *Aut quia in suo territorio non concedunt portus, flumina, anisodinas &c. n. 3.*
4. *Multa injusta bella fuerant propter sceminas in matrimonium negatas; propter superstitionem, Cupidinem honoris, opum, dominandi libidinem; propter iram Principum. n. 4. & seqq.*
5. *Injustè suscipitur bellum propter aliquid, quod non ex justitia debetur. n. 10.*

I. **Q.** Quæ sint causæ injustæ belli? *Re.* Sunt variae, quæ constare possunt ex dictis; contrariorum enim eadem est ratio, & doctrina. In specie causæ injustæ belli hæc recensentur. 1. *Ratio statûs*, quando bellum suscipitur ad minuendam, vel impediendam crescentem justè alterius vicini Principis potentiam, qui injuriam non intulit. De quo supra dictum. Sicut enim unus homo privatus non potest alium hominem privatum aggredi, quòd videat eum justè ad magnasopes, & majorem statum eluctari, ita neque Princeps potest alterum Principem aggredi propterea, quòd ille justè, e. g. per bella justa cum popu-

lis infidelibus gesta, ad majorem potentiam evehat statum suæ reipublicæ. Neque sufficit metus ex vicina potentia: *Vi enim iusta sit defensio, necessariam esse oportet, qualis non est, nisi constet non tantum de potentia, sed & de animo laedendi, & quidem ita constet, ut certum id sit ea certitudine, quæ in morali materia locum habet*, ut ait Grotzius. *lib. 2. cap. 22. §. 6.* Ratio est: quia quamdiu is Princeps non læsit, tamdiu est in possessione, & habet jus strictum erga quemcunque, ne à consecutione eorum, quæ justè acquirere vult, impediatur per vim, vel fraudem ab alio. Videantur quæ diximus parte 1. *sect. 4. §. 1.* Quare minimè probanda est eorum sententiâ, ut cit. Grotius loquitur, qui justam belli causam statuunt, si vicinus nulla pactione impeditus in suo arcem faciat, aut munitionem aliam, quæ damnum aliquando dare posset; nam adversus tales metus contrariæ in suo territorio munitiones, & si quæ sunt similia remedia, quærenda sunt, non vis bellica. Quòd si verò vicinus potentiam majorem quæreret per injustam invasionem alicujus reipublicæ, & illa in auxilium vocaret alium Principem, posset is huic reipublicæ auxilium ferre, & cum ea Societatem armorum inire ea lege, ne vicinus ille Princeps statum suum per injuriam vicinarum rerumpublicarum eleve: quia universim licitum est operam ferre justè bellanti contra aggressorem injustum, & inter bellantes eam partem juvare, quæ justam causam adversus alteram habet. Pariter injusta belli causa est (quæ ad eandem rationem statûs reducitur) si respublica aliqua inter duos Principes bellantes alterutrum juvat, ut æquilibrium potentia, & armorum inter eos pendeat, quò ipsa sit tutior, associando sua arma illi parti, cujus fortuna inclinare videtur, ut bilancem in æquibondio Constituat: quia illum duntaxat juvare conceditur, qui justam causam habet.

II. *Injusta causa belli est populos debellare, & sibi subijcere ideo, quia barbari, & inepti judicantur, ut se convenienter regant: prout superbissima Græcorum sapientia jus putabat barbarorum nationes imperio subdere, justumque esse bellum, ut deteriores parerent melioribus: se se verò meliores judicabant, & magnum aliquid præstitisse se arbitrati sunt, cum Lydos, Sarmatas, Scythas, Indos in potestatem redegerunt, & se, uti sapientes, stultorum, ut putabant, Dominos fecerunt. Duplex distinguebant hominum genus,*

P p p

ut



ut ex Aristot. *lib. 2. polit. cap. 5. Suar. de Charit. disp. 13. sect. 5. habet.* Contzen. *l. 10. cap. 8.* In quorum uno natura Servos, & ad parendum natos, in altero natos ad imperandum collocarit; & bellum quod contra homines, qui ad parendum nati sint, neque parere velint, justè suscipi asserebant. Sed hæc assertio falsa, arrogans & generi humano perniciosa est. *Falsa*; quia constat, multas nationes barbaras innocentius, modestiusque vixisse Græcis. *arrogans*, quia tantum se extollere, & alios deprimere arrogantia est. *Generi humano perniciose*: quia passim gentes, præsertim moderno tempore, ubi pleræque bene institutæ sunt, & bonis legibus politicis vivunt, hoc sibi jus possent arrogare, ex quo nil, nisi dissensiones in genere humano metuendæ. Videndum prius esset, an ille, qui in barbaros ad servendum natos bellum suscipit, ipse quoque animus, domum, rempublicam ex virtute regat; alioquin barbaris nequior est. Erudiendi potius, & monendi, quam debellandi barbari: cur enim tibi serviant, cur jus vitæ, necisque in eos habeas, quia callidior es? non est naturæ diversitas inter gentes, sed institutionis, ut experientia docuit. Romani initio barbari fuere, dein Hispani, Galli, Germani. Nunc verò cultissimæ nationum habentur, & in Africam, Asiamque barbaries migravit, & ipsa Græcia olim tam culta jam sub Turcarum lege barbariem induit.

Nec dicas: Ordo naturæ postulat, ut prudentiores gubernent eos homines. Nam cum genus humanum in varias gentes, & Respublicas per orbem sit distinctum, quarum una ab altera non dependet, ideo si aliqua gens independens in suo territorio suis legibus vivat pacatè, & alias gentes non lædat, potius jus gentium, & naturæ petit, ut in suo hoc regimine relinquatur; aliàs quælibet gens, quæ se supra aliam sapere sibi imaginaretur, posset eam bello impetere, sicque turbaretur Jus gentium, & universalis humani generis respublica, per orbem diffusa. Principium illud, quod Ordo naturæ postulet, ut prudentiores gubernent ineptiores, intelligendum erit, ut procedat in eodem regno, seu republica, ubi naturalis convenientia exigit, ut ad ejus gubernacula sedeant ij, qui prudentiores sunt, secus enim ejus gubernatio malè constituta erit. Et idem esset in genere humano, si qui ad totum humanum genus gubernandum tanquam unam rempublicam constituti essent.

III. Non est sufficiens belli causa, quam

tradit Victoria apud Molin. *disp. 105.* Docens Jure gentium fas esse cuique peregrinari in alienas provincias, & illic degere sine incolarum detrimento, appellere navigia, uti portibus, & fluminibus earum, quod portus, & flumina cujusque provinciæ sint omnibus communia; negotiari in alienis provinciis importando merces, quibus ibi carent, & exportando aurum, & argentum, mercèsque alias, quibus abundant: Item quæ alijs peregrinis, aut hospitibus in aliqua provincia licent, ut effodere aurum, & argentum de communi aliquo agro, vel extrahere illud de fluminibus, aut piscari margaritas in mari, vel fluminibus, ea prohiberi non posse ijs, qui de novo illuc venerint, ne similia faciant: quæ omnia affirmat, ita esse de Jure gentium, ut, si barbari novi orbis quidquam eorum Hispanis illuc accedentibus prohibuissent, illi causam belli haberent. At hanc Victoriæ doctrinam meritò refutat cit. Molin. *n. 2.* eaque post factam in genere humano divisionem rerum, & provinciarum inter gentes sustineri non potest: nam post factam divisionem ea, quæ possidet quælibet respublica in communi, & quorum dominium habet, non minus ad rempublicam spectant, ejusque propria sunt; quàm ea, quæ aliquis privatus tanquam sua possidet, ad ipsum spectant, ejusque propria sunt: igitur sicut quicumque particularis licitè potest interdicerere omnibus alijs, ne rebus suis utantur, & licitè potest nullum cum alijs commercium admittere: sic etiam respublica, vel illius moderator licitè poterit prohibere omnibus extraneis, ne rebus proprijs reipublicæ, quæ civibus communes sunt, utantur, & poterit velle nullum cum extraneis circa illas suas res commercium habere, quin propterea faciat illis injuriam, ut ea de causa possint bellum justum movere, idque passim apud non paucas respublicas videmus factitari. Eoque magis (verbis Molinæ loquimur) quævis respublica licitè poterit prohibere commercium, portum, & habitationem extraneis, quo eos potentiores viderit: timere namque justè poterit, ne ipsam (quæ humana est malitia) subijciant, neve incommodum aliud ex eorum Commercio, & habitatione experiatur. Quod autem provincia aliqua usum quarundam rerum suarum communium quibusdam extraneis concedat, propterea libertatem non amittit, quo minus similem usum peregrinis alijs denegare possit: cum integrum sit, cuique concedere, aut negare

gare rerum suarum usum, cui libuerit. Negari etiam non potest, portus, flumina, & fodinas auri, & argenti ad eorum dominium pertinere, quorum est provincia, in quibus sunt: quin & maritima unda continenti adhaerens ad eos solos pertinet, quorum est provincia, eaque de causa usurpare sibi possunt jus ibi piscandi, cæterisque piscaturam eo loco prohibere. de qua re videri potest Grotius. *lib. 2. cap. 3. ad argumentum Victoriæ &c.* Illa omnia esse de Jure gentium hoc sensu, ut fas sit cuique extraneo illa facere, quamdiu ab habitatoribus non prohibentur: vel quando extraneus in extrema necessitate constitutus ijs indiget nam sub hac exceptione facta est divisio bonorum. Dixi: in extrema necessitate, ob propositionem 36. ab Innoc. XI. damnatam: *permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* De qua videatur Cardenas, & Dominicus Viva. De transitu justè bellanti concedendo, & innoxij utilitatibus prius diximus.

IV. Propter foeminas in matrimonium negatas plurima injusta bella gesta sunt. Sic Darius Persa Iansino Regi Scytharum bellum intulit ob filiam matrimonio negatam, quod Tyrannicum erat; cum ne subditum quidem cogere posses, ut inritus filiam sibi locaret. Conzen. *loc. 10. cap. 8.* nec, ubi matrimoniorum copia habetur, negatum aliquod matrimonium causam bello præbere potest. Hugo Grotius, Nisi repulsæ addita fuerit contumelia: sicut Rhegini Virginem nuptum petenti Dionysio responderunt, *se nullam præter lectoris filiam ipsi concessuros.* Pufendorf *de Jure Natur. & Gens. lib. 3. cap. 3. §. 13.* Fuit tamen id in vetusta barbarie usitatum rapere conjuges, aut earum causâ bellum inferre. Sic Romana arma primùm ob raptas ludis equestribus virgines inter gentes, focerósque fuere; sic & Troia excisa conflagravit, Quòd si bellum inferatur ob injustos mulierum raptus, & violata pudicitia vindicationem, justa causa est, ut suprâ ex cap. 20. *Judic.* ostensum est.

V. Ex superstitione quoque ingentia bella sunt orta. *Alam olim, & Armeni cum ad ludos convenissent, orta est de Divis disputatio, utri meliores haberent Deos? mansit in abeuntibus rabies illa; cum enim sua cuique genti Numina, Sacra, ritusque honestissimi viderentur, reversi domum, quò quisque magis pius videri voluit, eò furens bellum urisit.* Hac enim est natura superstitionis, ut aliena videat. *Nunc saepe bellis causa religionis præsentitur, dum politica subest,* ait Conzen.

VI. Ex cupidine honoris, & opum pleraque bella injusta nascuntur, quòd si aliæ causæ sunt justæ, hæ tamen se comites jungunt. *Xerxes cum fens Atticas gussasset, juravit, se servam occupaturum, qua cum fructum ferret, non gula (emere enim poterat) sed avaritiâ, quia, quamvis tantas opes, tantâque potentiam, quantum nemo alius antè, habuerit, non tamen animum præsentibus contentum habuit. Aménitate, & felicitate sua Longobardos Italia in arma commovit; nam in Pannonia cum essent, audito, Italiam pomis dulcibus, succulenta carne, vino odorato abundare, temperato Cælo, omniumque rerum varietate frui, magnis agminibus eò contenderunt.* Contzen.

VII. Ex dominandi libidine quoque sæpissime injustè pugnatum est. Primus eam ob causam bellasse Ninus scribitur. S. Aug. *lib. 4. cap. 6. de Civit. Dei.* Principio rerum, inquit, gentium, nationumque Imperium penes Reges erat, quos ad fastigium hujus Majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat; populi nullis legibus tenebantur, arbitria Principum pro legibus erant. Fines Imperij tueri magis, quam proferre mos erat: intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus Rex Assyriorum veterem, & quasi avitum gentibus morem nova imperij cupiditate mutavit, hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos ad terminos usque Lybie perdomavit. &c. Licet enim autè Ninum jam bella fuerint apud Afros, Ægyptios &c; Ninus tamen primus finitimis cupidine augendæ ditionis bellum fecit. Joa. Lodoicus in Comment. ad cit. Aug.

Aurea vivebat Sæcula humanum genus, quamdiu vita hominis sine cupiditate agebatur, & sua cuique placebant; sed postquam in Asia Cyrus, in Græcia Lacedæmonij, atq; Athenienses, Macedones, aliique in aliis partibus cœpère urbes atque nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo pretio putare, libido ista dominandi ferrea induxit sæcula, & genus humanum innumeris involvit calamitatibus. Hac libidine Roma tunc victa Albam se vicisse triumphabat, & sui sceleris laudem, gloriam nominabat.

VIII. Multa quoque injusta bella ex subita, & impotente Principum ira orta: quæ quia inconsiderata, & præcipitata esse solent. (ira enim, quæ inconsiderantiâ filiam habet, bella præcipitat) frequenter cedunt infelicitati suscipienti. Quia Æthiopes, qui ob longissimum vitæ spaciū Macrobij appellantur, non supinis manibus exceperant servitutem Cambysis, missisque ab eo Legatis libera responsa dederant (quæ contumeliosa Reges vo-

cans

tant) excanduit Cambyfes, & fremens exercitum eduxit, cumque non provisus commentibus, non exploratis itineribus per invia, & devia per arentia traheret omnem bello utilem turbam, coeperunt necessaria deesse, fame urgeri, quæ omnibus consumptis adeo invaluerat, ut decimum quemque inter se fortiti milites mactatum in alimentum, fame sævius haberent. Agebat adhuc ira Regem præcipitem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset, donec timuit, ne & ipse vocaretur ad sortem, tum demum signum receptui dedit. Cyrus ( ut ex Seneca *Lib. 3. c. 2. de ira* scribitur ) cum Babylonem oppugnaturus festinaret ad bellum, cujus maxima momenta in occasionibus sunt, Gynden amnem vado transire tentavit, cumque unus ex Regijs equis vortice esset abreptus, ita Rex excanduit amni, ut juraret, se amnem illum Regijs equis meatum auferentem eò redacturum, ut transiri, calcarique etiam à foeminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatus, & tamdiu assedit operi, donec 180. cuniculis divisum alveum in 360. rivos dispergeret, & siccum relinqueret, in diversum fluentibus aquis. Perijt interim tempus magna in rebus vanis jactura, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occasio aggrediendi imperatos, dum ille bellum, indictum hosti, cum flumine gerit. Stultior Xerxes, qui ponto iratus trecenta ei verbera infligit. Impetu, non ratione reguntur, qui irâ reguntur, & rebus magnis gerendis in sago & toga apti non sunt; sæpe cæco impetu feruntur in suammet perniciem, & in res vindictæ non capaces vindictam, & furorem effundunt. Galenus viderat hominem portam clavi recludere molientem, qui re non succedente in tantam erupit iracundiam, ut claves ore discerpere insanus conaretur. Tantum exinde odium contra iram concepit Galenus, ut ex ea hora eum iratum viderit nemo. *Alphonfus Rodriquez.* Tantum abest, ut fortium sit irasci, ut potius imbecillitatis indicium sit; iræ puerorum, & mulierum magis acres sunt, quam gravium; iracundissimi sunt, qui imbelles sunt; nam ira morâ elanguescit, & in prælio citò cessat, ac timore pellitur; unde Pyrrhus nobilis lanista, discipulos iram ponere jubebat: *ira*, inquit, *turbat artes*; ut ira imbecillium est, ita frænare iram Regum. Athenodorus jam senior cum missionem ab Augusto impetrasset, inter valedicendum extremum hoc mandatum Imperatori reliquit: *cum iratus fueris, nihil dixeris, aut feceris, prius-*

*quam apud te græcarum literarum viginti quatuor nomina recensueris.* Quo dicto delectatus Augustus, apprehensâ ejus dexterâ; *adhuc te presente mihi opus est*, inquit, *totòque anno apud se detinuis.* Loco Alphabeti Græcanici orationem Dominicam, aut salutationem Angelicam suadent Orthodoxi morum Magistri. Videatur Contzen. *L. 3. cap. 15. & 16.* Lips. *Nov. Polt. li. 3. cap. 12. & 18.*

IX. Injustè bellum suscipitur propter eos, qui ex hostibus profugerunt, nisi ipsi malorum sint auctores: cur enim excisâ patriâ reliquias prosequamur? *Contzen.*

X. Injusta causa est, si suscipitur bellum propter aliquid, quod non ex justitia debetur, sed ex alia virtute, puta ex liberalitate, gratia, gratitudine, misericordia, dilectione &c. sicut enim illud in foro exigere non potest, ita nec armis; non sufficit, ut id, quod postulatur, sit ratione morali, & ex decentia faciendum, sed præterea opus est, ut adsit aliquod jus petendi, vel ex lege naturali, vel Divina, vel humana, ut est jus gentium. sic injustum fuit bellum Romanorum in Regem Cypri tanquam ingratum: Nam qui beneficium dedit, nullum habet jus ad reposcendam gratiam, alioqui contractus esset, non beneficium. *Grotius.* Sic causa belli injusta est, quam subministrat æmulatio, quæ sæpè bellis civilibus ansam præbuit, dum Respublica, aut Princeps in distribuendo officia, aut dignitates inter Optimates unum alteri præfert: aut unum ob benemerita in Rempublicam, in bellis ipsius, aut alijs negotijs exhibita non ita remuneratur, sicut alium fors minus meritum; quibus casibus, qui meliùs de Republica, vel Principe se meritos arbitrantur, ægrè ferre solent, se offensos sibi imaginantur; unde haud pauca intestina bella nata sunt.

## §. VIII.

Qualis certitudo, aut probabilitas de justa causa requiratur, ut justè bellum suscipi possit?

1. Qualis certitudo requiratur ad movendum bellum alteri, qui in possessione est? n. 2. & seqq.
2. Qualis, quando neuter existit in possessione? n. 7. & seqq.
3. Qualis, quando bellum movetur ad vindicandam injuriam? n. 10.

I. UT justè Princeps suscipiat bellum, non sufficit subesse justam causam, sed de hujus justitia ipsi debet quoque legitime constare;

stare; unde, ut supra dictum, diligens examinatio causæ præmittenda est bello. Cùm autem persæpe examinata ritè causâ non omnino constet de justitia ipsius, sed dubium relinquatur, ac argumenta duntaxat probabilia suppetant, quæstio oritur, qualis certitudo, aut probabilitas justæ causæ requiratur, ut Princeps justè bellum inferre possit? quæ quæstio summi momenti est, è cuius neglectu plurima bella injusta genus humanum vexaverunt. Ut rem è fundamento discutiamus, tres casus distinguimus. 1. Quando controversia est circa Provinciam, Urbem, vel aliam rem, in cuius possessione alter existit. 2. Quando controversia est circa Provinciam, vel aliam rem, in cuius possessione neuter existit, sed quæ vacavit morte alicujus tertij. 3. Quando non propter rem, sed ad vindicandam injuriam ab altero illatam bellum inferitur.

II. Q. 1. Qualis certitudo, vel probabilitas requiratur ad movendum bellum, quando unus existit bona fide in possessione rei? R. 1. hoc casu alter, qui est extra possessionem, non potest illi bellum inferre, si certum non est, rem, quam alter possidet, ad se pertinere, sed dubium est, & rationes sunt pro utraque parte. Molina *tr. 2. disp. 103. n. 3.* Suar. *de Charis. disp. 23. lect. 6. n. 3.* Filiucius *tr. 29. cap. 9. n. 184.* Azor *Instit. moral. parte 2. cap. 7. q. 5.* & passim D.D. Ratio est; quia melior est conditio possidentis sicut in judicijs, ita in bello, ubi Princeps bellum inferens partes Judicis subit, qui hoc casu bonæ fidei possessorem non potest spoliare re, quam possidet, neque ille tenetur se ipsum ea re privare interim, dum omnino sibi non constat, rem ad alium pertinere. Hinc ortum habuit *Regula illa 11. in 6. cùm sunt partim lura obscura, reo favendum est potius, quam alicui*: is verò, qui possidet, reus est comparatione illius, qui est extra possessionem, & contendit rem ad se pertinere.

III. R. 2. Potest tamen hoc casu alter Princeps, qui extra possessionem est, rationibus experiri jus suum, rationes suas transmittendo Principi possessori, ut eas examinet, & moralem adhibeat diligentiam ad inquirendam veritatem, an res, quam possidet, ad se, vel ad non possidentem pertineat; quia orto dubio, & verisimili ratione, an res, quam unus possidet, pertineat ad alium, fas est ei, qui extra possessionem est, hoc modo experiri jus suum coram communi Judice, si quem habent; neque possessori ullam hac ipse parte

facit injuriam, Judexque tenetur causam examinare: cùm igitur Principes sint Judices ad invicem in causis, quas unus habet adversus alterum; consequens profectò est, quòd possidens teneatur audire, & diligenter in veritatem inquirere. Molina Suar. *loc. cit.* ratio est: quia si possessor alicujus rei dabitur, an sit sua, & negligit veritatem inquirere, si qua via occurat veritatem deprehendendi, desinit esse possessor bonæ fidei; exponitque se sua sponte periculo detinendi injustè alienum invito domino, eaque ratione peccat contra Charitatem proximi; licet enim in dubio non teneatur præponere proximum sibi, spoliando se re, quam possidet, eamque illi tradendo, tenetur tamen ad moralem diligentiam, ne illum gravet, detinendo, quod illius est: quam si adhibere renuat, ad id per bellum cogi posse, censet Victoria apud Suar.: quia revera id postulat ratio justitiæ, & recti Judicij.

IV. R. 3. Si possessor diligentiam fecit ad inquirendam veritatem, nec eam potuit assequi, potest securè totum retinere, nec tenetur ad dividendum cum altero, vel satisfaciendum alteri pro ratione dubij, neque alter potest propterea bellum movere, vel quicquam rei illius occupare; si tamen à Principio fuit bonæ fidei possessor, & postea ortum est dubium: quia dubiù illud manet purè speculativum, & possessio confert simpliciter jus ad rem totam, Molina Suar. allegans Covaruv. *Reg. possessor parte 2. §. 7.* Victoriam, Sotum. secus si à Principio incepisset possidere cum dubia fide:

V. R. 4. Etiam si re diligenter examinata major sit verisimilitudo, quòd res pertineat ad eum, qui non possidet, si tamen id non certò constat, sed dubium maneat, tamen censet longè probabilius Molina *n. 8.* quòd adhuc sit melior conditio possidentis, ut possessor nec totum, nec partem dare teneatur, neque esset æquus Iudex, inquit, qui eo eventu juberet rem dividi, neque unquam auditum est, Iudicem, qui arbitri non sit, præcepisse, ut is, qui bona fide rem aliquam cepit possidere, eam pro quantitate dubij divideret cum adversario, neque lura sonant, id ita esse faciendum. Quare iniquus esset adversarius, pergit cit. D. si in eo eventu bellum moveret, resistereque teneretur damna omnia, qua ex eo bello daret. Neque Princeps, qui cepit bona fide possidere, tenetur consentire, ut ea de re Iudicent arbitri: cùm ipse Iudex sit in sua causa propria adversus alteram Rempublicam; sicut vicissim respublica altera Iudex est in sua causa adversus eam. Hinc liquet, contra bonæ fidei possessorem non posse

posse bellum moveri *ex sententia probabiliore*, multò minùs *ex probabili*, quâ quis Judicat, rem, quam alter possidet, esse suam, sed *requirit certitudinem*.

VI. R. 5. Si verò possessor adhibita morali diligentia judicaret, *magis rem ad adversarium pertinere*; vicissim verò adversarius semota omni passione, & adhibita morali diligentia affirmaret, *rem indubitanter ad se pertinere*, eaque de causa vellet bellum movere, censet. cit. Molin. n. 9. quòd possessor teneatur rem pro quantitate dubij dividere cum illo, nisi convenirent, ut staretur Judicibus arbitris, quòd, cum comunem Judicem, qui litem componat, non habeant, sed uterque sit Judex in sua causa, videatur Jus naturæ exigere, ut cum eo pacem componat, & rem pro quantitate dubij cum eo dividat. Licet privatus, qui Judicem communem cum suo adversario habet, id facere non teneretur, sed expectare posset, ut proferretur sententia, ut vel res tota sibi relinqueretur, vel tota adjudicaretur adversario.

VII. Q. 2. Qualis certitudo, vel probabilitas requiratur ad movendum bellum, quando neuter existit bona fide in possessione rei, de qua controversia est? R. 1. Hoc casu, quando res est pro utraque parte probabilis, debet se princeps gerere ut Justus Judex; quare si sententia sibi favens invenitur, re discussa, probabilior, potest etiam justè prosequi jus suum. Quòd si verò pars contraria habeat pro se sententiam probabiliorem, nullo modo poterit illi movere bellum: quia Princeps bellum movens est Judex: Judex autem non nisi probabiliorem sententiam sequi debet in proferenda sententia, Suar. *de Char. disp. 13. sect. 6. n. 2.* Et quidem etiam Jure naturali, Dominicus Viva in *proposit. 2. damnat. ab Innoc. XI.* aliter enim malè consultum foret bono publico, & Summum periculum esset, ne Judices passim ex favore, amicitia, muneribus sententias ferrent secundum minùs probabilem sententiam contra probabiliorem, & pauperes passim per Judicia opprimerentur, dum pecunijs Judices ungere non possent, ut pro se sententiam, licet probabilius Jus haberent, ferrent, cum tamen hoc sit officium Judicis, ut declaret, ex utra litigantium parte stet probabilius Jus. Hinc meritò ab Innoc. XI. damnatur hæc propositio num. 2. *Probabiliter existimò, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem*. Minùs, quam alij Judices, potest Rex & supremus Princeps in

bello decernendo sequi *opinionem minùs probabilem*, quia Judex est in propria causa, & quidem in re summi momenti, è qua Salus, vita, bona multorum innocentium pendent; valde autem periculosum est, ne in causa propria passione propria obcæcetur, & regatur: certè si, quoties morte alicujus tertij vacat aliquod regnum, Provincia, Urbs, prædium, vel alia res, in cujus possessione nemo existit, liceret ex opinione, & præensione probabili statim bellare pro illo regno, Urbe, prædio &c. innumeris bellis, cædibus, & calamitatibus involveretur genus humanum. Hinc bellum nunquam licet suscipere *ex sententia probabili*, quæ suadet, sufficientem sibi adesse causam relicta *sententia probabiliori*, quæ è contrario suadet, non sufficientem sibi adesse causam, aut parti adversæ probabiliorem esse causam.

VIII. R. 2. Si æqualis sit utrinque probabilitas, & jus succedendi in regnum, quod neuter possidet, æqualiter dubium ex parte utriusque, tunc neutri licitum est bello regnum illud (vel aliam rem; de qua controversia est) occupare; cum enim neuter possideat, & non sit major ratio de justitia unius, quam alterius, neutrius est melior conditio, & uterque, si occupat, se exponit periculo usurpandi sibi Regnum alteri debitum; ut arguunt Azor. Filiucius. Suar. Molin. supra allegati, Sbogar *Theolog. Radical. tr. 74.* Nec dicas: Judex in simili casu posset rem adjudicare suo arbitrio cui partiam litigantium vellet: ergo quilibet Princeps (cum uterque sit Judex) habet jus ad primò occupandum regnum, & sibi adjudicandum. R. enim N. an. Nam Judex duntaxat *divisor* est rei in Judicium delatæ, ut pronuntiet, quæ pars litigantium probabilius circa eam jus habeat non verò habet jus in illam rem, ut possit eam tribuere, cui velit; consequenter si neuter habet jus probabilius, neutri potest totam adjudicare, sed debet eam inter partes dividere, & ita in eo casu omnis æquus, ac justus Judex pronuntiaret, ut ait Molin. n. 10. Hinc in prædicto casu res esset componenda arbitrio bonorum virorum dividendo regnum (vel aliam rem) inter prætendentes, aut, si dividi Commodè non posset, alteri medietas ipsius per alias provincias, aut res alias esset compensanda, aut per sortem alterutri regnum essettribuendum, vel aliter lis esset per Pontificem dirimenda, quod patet, quia id ipsum fieri solet in cæteris rebus, & casibus similibus, ut ex Victoria habet Azor.

IX. R. 3. Si verò unus Princeps tentaret totum

torum regnum (vel aliam rem controversam) occupare, alterumque excludere, neque vellet ejusmodi compositionem, ac divisionem admittere, hoc ipso alteri injuriam faceret, eiq; præberet causam movendi justum bellum contra ipsum. Molin. Filiuc. Azor. *loc. cit.*, quia taliter occupans esset injustus invalor, & contra injustum invaluorem se defendere licet. Nam est impossibile (verba Suarezij sunt) authoritaturæ in eo discrimine reliquisse res humanas, quæ frequentius conjecturis potius, quam certa ratione reguntur, ut omnes lites inter Principes supremos, & Respublicas non nisi per bellum terminari debeant: est enim id contra prudentiam, ac bonum commune generis humani: ergo contra justitiam. Præterquam quod regulariter ij haberent majus jus, qui potentiores essent. Atque aded ex armis esset metiendum: quod barbarum, & absurdum satis apparet. Non tamen supremus Princeps tenetur stare Judicio eorum, quos ipse non constituit ad judicandū: oportet ergo, ut utriusque partis consensu arbitri eligantur: quod medium licet generi humano, & rebus publicis foret saluberrimum, & omnino amplectendum, raro tamen assumitur; quia plerumque alter Princeps suspectos habet Judices externos, quos si omnes recuset Princeps, & suo duntaxat senatui rem committat, maxima sanè diligentia adhibenda est; quales habeat senatores, & qualia dent consilia, num ea sint defæcata, & ex animo ab omni sinistro affectu purgato proveniant? ne (quod pronum est) ex propria passione, ac studio placendi suo Principi proficiantur. de quo supra *parte 1. sect. 7. §. pen. & ult.*

X. Q. 3. Qualis certitudo requiratur ad movendum bellum ad vindicandam injuriam illatam? R. Hoc casu à fortiori non sufficit probabilitas (multò minus suspiciones) injuriam, & quidem gravem illatam fuisse, sed certò de ea constare debet; quia qui injuriam fecisse dicitur, est in possessione, & in Judicijs accusator probare debet, & auctore non probante reus absolvitur, ac in criminalibus, ubi ad vindictam agitur, requiruntur probationes luce clariores, ut supra dictum: præterquam, quod multi alij innocentes per bellum involvantur cladibus & calamitatibus. Estque vel maximè cavendum, ne sinister affectus odij ad bellum moveat.

## S. IX.

An bellum ex justa causa movens teneatur oblatâ satisfactione à bello cessare?

1. *Antequam bellum sit ceptum tenetur Princeps, oblatâ competentē satisfactione, bellum omittere, n. 1.*
2. *Idem est post bellum iam ceptum, & etiam durante actuali conflictu; si plena satisfactio offerri tunc possit. n. 2.*
3. *Quæ sit competens satisfactio? n. 3.*
4. *An Princeps justum bellum movens possit hostes dignos morte exigere ad pœnam capitalem alias non cessaturus à bello, & an, si tota Republica hostilis rea sit mortis, possit eam totam ad supplicium subeundum petere? n. 4. & seqq.*

I. Q. 1. An, qui ex justa causa bellum inferit, oblata ab adversario competente, & sufficiente satisfactione teneatur desistere à bello, & eam acceptare? R. 1. Antequam bellum sit inchoatum, & utrinque dimicari ceptum, tenetur eam acceptare, si tutò offertur, & nisi prudenter timeat, ne alter postea perturbet, & pacem non terret. Quia bellum non est voluntatis, sed necessitatis *canonibus existimare 23. q. 1.* necessitas autem eo casu cessat. Molin. *tr. 2. disp. 103. n. 15.* Reginaldus *prax. for. pœnit. lib. 21. cap. 8. n. 101.* & passim DD. Et quidem tenetur acceptare non solum ex *Charitate*, sed etiam ex *justitia*, ita, ut, si eam non acceptet, quando tutò ante prælium ceptum offertur, sed pergat bellum movere, illud bellum deinceps ex parte ipsius sit injustum, ac proin teneatur restituere damna, quæ per bellum dederit: quia deinceps non habet amplius titulum bellandi; eo enim temporis momento, quo competens satisfactio tutò offertur, cessat injuria adversariorum, & pro præterita injuria nihil amplius bellans potest licitè per se ipsum exequi, quam hanc ipsam compensationem competentem, quæ ipsi offertur, etiamsi integra Jura omnia belli persequi velit, Molin. *n. 25, Regin. loc. cit.*

II. R. 2. Si etiam post bellum jam ceptum tutò, & absque metu futuræ perturbationis offertur plena satisfactio, tenetur à bello desistere, & eam acceptare; quia est eadem ratio; si enim omnis injuria usque ad illud momentum illata compensatur, deinceps cessat titulus bellum gerendi. Molin. Reginald. contra Cajetanum. Quod verum est etiam, quando sub durante actuali conflictu plena satisfactio

satisfactio tunc, & absque perturbationis futuræ metu offerri posset. Quia tamen in ipso actuali conflictu ferè moraliter est impossibile, ut præ angustia temporis tunc ita raptim offeratur satisfactio, quæ quoad omnia iudicetur sufficiens, & secura, ideo durante conflictu raro, aut vix locum habere potest. Nec obstat, quòd hostes post bellum cœptum jam sine constituti in statu executionis iustitiæ Vindicativæ: nam executio ulterius non extenditur, quàm ad obtinendam satisfactionem plenam, & competentem, quæ dum securè offeritur, cessat titulus per bellum eam exequendi.

III. Q. 2. Quæ sit plena satisfactio, quam iustum bellum inferens acceptare debet? R. Ea est, quæ offertur iustè bellanti omnis compensatio, quæ de rigore iustitiæ illi debetur; ita ut 1. Reddantur ea, quæ debita sunt. 2. Ut fiat compensatio damnorum illatorum & cessationis lucri. 3. Ut solvantur expensæ in bellum factæ, & æstimatio periculum, quibus se, & tuos iustum bellum inferens exposuit; laboris, & industriæ, quos ad illud usque tempus ob culpam adversariorum adhibuit. 4. Ut fiat compensatio pro injuria facta, dum res auferretur; pro timore, sollicitudine & molestia, quam sustinuit alter, dum re sua careret, eam ob causam Exod. 22. v. 4. 7. 9. fur duplum reddere cogitur. Quæ omnia æquo iudicio æstimata, nisi securè offerantur, ac præstentur ab eo, qui satisfactionem offert, alter non tenetur cessare ex iustitia à bello, sed potest illa omnia exequi, quæ de rigore iustitiæ debentur, non verò licet aliquid amplius exequi. Ex Charitate autem tenetur Princeps desistere à bello, etiamsi non ita exacta sit compensatio quoad omnia, quæ ex rigore iustitiæ petere potest, ne tot alij innocentes damnificentur, ut fit in bello. Quæ à fortiori vera sunt, quando ab hoste, qui bello impetitur, solum illata fuit injuria materialis, tunc enim si, oblata illa re, pro qua contendit, oppugnans non desisteret à bello, omnino injustus foret, ut supra dictum.

IV. Q. 3. Quando hostes injusti ob injuriam illatam digni essent morte, an Princeps injuriam passus possit exigere, ut se offerant ad mortem, alias non cessaturus à bello, quod iustè suscepit, aut iustè suscipere parat? Ratio dubitandi est; quia Judex etiam postquam omnia ad æqualitatem restituta sunt, res ablata, sumptus, damna, lucri cessatio &c. potest injurianti infligere duplicem poenam; unam applicandam ipsi injuriam passo, ut ei

aliquid rependatur pro contumelia, & injuriâ factâ, pro molestia, quam sustinuit &c. Alteram ob bonum publicum, ut scelera plectantur, quia, si capitale supplicium comeritus est reus, potest eum morti addicere; sic, postquam recantata est calumnia, furtum furcâ, calumnia exiliò, carcere, aliave ratione plectuntur: igitur & Princeps iustè bellans, quia vices Judicis subit, potest præter damnorum compensationem petere capita hostium injuriantium.

V. R. 1. Si aliqui in particulari digni essent morte propter injuriam illatam, non peccaret alter Princeps contra iustitiam, si desistere nolle à bello, nisi illi traderentur. Molin. tr. 2. disp. 103. n. 20. addens: esse de eorum numero esset Princeps illius reipublicæ, adversus quam bellum geritur; qui tamen, ut idem ait n. 22. si de eorum numero esset, posset fugere, & teneretur eo eventu, ne rempublicam suam bello exponeret. Sic Israëlitz iudic. 26. petierunt sibi ad mortem tradi Gabaonitas è tribu Benjamin, qui uxorem levitæ libidinando occiderant. Quòd si tradi non possent, quia aufugissent, in bello quidem contra totam Rempublicam pergere non posset ex iustitia Princeps, si in reliquis competens satisfactio offerretur, integrum tamen ei jus relinqueretur interficiendi eos malefactores, ubicunque eos deprehenderit. Molin. lo. cit. Peccaret tamen Princeps contra Charitatem, si, postulante id restitratione, & bono utriusque reipublicæ, non acceptaret aliam satisfactionem, in aliis rebus pro redemptione mortis horum malefactorum oblatam, sed pergeret in bello cum tantis multorum innocentium damnis, quæ ex bello nascuntur. Molin. lo. cit.

VI. R. 2. Si integra Respublica rea est, ut, si Rex auctoritate Senatûs, jussu populi, omnium consensu alium Regem aliquorum cæde aliisve modis læserit, censet Contzenius, non posse Regem læsum ab ea petere, ut tota se morti offerat, colla securibus submittat, aut vinculis: sed si lædentes, Rex, Senatores, Populus verè poenitent, si omni modo satisfacere sint parati, illum, qui læsus est, poenâ aliquâ, & vindicta mitiore contentum esse debere propter multitudinem, & plurimos innocentes, & à bello desistere; utpote quod jam non est amplius necessarium. Vel enim pugnabit, ut damna compenset: at damna opum, honoris, &c. redduntur; damna mortis, aut pudicitie irreparabilia sunt; quorum proin fiat alia compensatio ex æquo, & bono. vel pugnabit ad miscendam injuriam: at eam agnoscunt, satis-

satisfactionem offerunt; poena autem mortis, vel servitutis totius Reipublicæ gravissima est; & improporcionata culpæ: quare injustè faciet, si ad tam graves conditiones totâ rempublicam redigere velit. Secus enim nullus esset bellandi finis, cum in hostis armati arbitrium nemo facile se committat, & quamvis pars læsa possit poenam mortis exigere, si habet reum in potestate, non tamen tenetur se respublica rea morti offerre. hæc Contzenius. Si verò Rex læsus exigat deditionem, *ut liberâ necis, & mortis arbitrium penes ipsum sit, aut sanè ut datâ vitâ se illi omnes subijciant, Reipublica formam immutent &c.*, id injuriantibus faciendum censet cit. Contzen: §. 3. tunc, si magna damna intulerunt, agros vastârunt, urbes diripuerunt; hic enim æqualitas est compensationis: Non item in minoribus, ut, si legatos irriterunt, quo casu si competentem satisfactionem non suscipiat Rex læsus, censet, posse portas claudere, & se tueri tanquam contra Tyrannum majora delictis supplicia inferentem, Ammonitas, & auxiliantes ipsis Syros crudeliori victoriâ prostravit David, quia ultra bellum parârunt eum evertere.

VII. His obstare videtur: quòd privatus, quando reus est mortis, non possit se contra Judicem, & ministros justitiæ defendere, sed justæ sententiæ se subicere debeat: ergo nec Respublica rea mortis poterit se contra Principem læsum, & ejus milites defendere. Sed discrimen hic assignat Reginaldus inter punitionem Judicis, & eam, quæ fit per bellum; quòd, qui punit hominem particularem, sit Judex ipsius *Ordinarius* (aut ab eo potestatem habens) qui autem punit in bello, sit Judex *extraordinarius* solum ratione injuriæ illatæ: pro qua non potest alter Princeps vindictam majorem delictò sumere Jure naturæ, & gentiû: nam secundum Jus naturæ & Gentium procedere debet; quæ Jura leniora sunt quoad poenas sumendas in multis, quam Leges positivæ Rerumpublicarum; nam Lex naturæ, & gentium non jubet occidere furem, aut homicidam; imo Leges ferri in aliqua Republica possunt teste Contzen., ne homicida morte plectatur, præsertim si consensu tantum, auxiliòque peccavit: Non ergo cogitur ad hanc poenam Jure naturæ, nec etiam Legibus Reipublicæ hostilis, cui non subest: nec Jure gentium, id enim lenius est, parci enim solet plurimis etiam bello crudelissimo victis. Et quamvis Lex naturæ, & gentium permittat vindictam sumi ab iis, qui Supremæ

alicui Reipublicæ injuriam intulerunt, non tamen permittit immodicam, & improporcionatam delicto. Unde etiam privatus si in Republica aliqua ultra mensuram punitur, injustè punitur, & quòd non possit satisfactionem suam quærere, provenit ex eo duntaxat, ne respublica, cujus membrum est, perturbetur, cujus periculum esset, si per vim resistere liceret; quòd periculum in Republica totius humani generis non est, ubi unus communis Judex respectu gentium constitutus haud est, nec propterea, quòd una Republica alteri majorem pro delictis vindictam petenti resistat, turbatur totum genus humanum. Quare Princeps loco hujus crudelis vindictæ, qua totam Rempublicam ream morti destinat, aliam mitiorem compensationem acceptare tenebitur, licet auctores, & etiam quosdam alios magis reos morti dare possit, quæ omnia, licet quoad titulum justitiæ disputari possint, quoad *titulum Charitatis* certa sunt.

VIII. Consultissimum autem Principi, & Reipublicæ suæ est, si quam primùm hostis se errasse agnoscit, & satisfacere pro damnis sit paratus, etsi pro magno delicto parvam satisfactionem offerat, eam acceptet, imò ita agat, ut ipse suâ clementiâ poenam mitiget; sic enim bellum vitabit omnium perniciosissimum, quòd aliàs futurum est cum desperatis. Inconstans fortuna est; si extrema videant sibi imminere, extrema tentabunt, acerrimè resistant, auxilia implorabunt omnia pro vitâ, & libertate: si omnia desint, in cujuscunque potentioris ditionem, & jus se dabunt. Saguntini se ipsi confecerunt, & plus operæ fuit Romanis in una civitate, nec ea populosa, quam in vastissimis Asiæ Regnis subjugandis. Cogitandum & illud, esse multos innocentes, multos necessitate, multos levitate, plerosque errore peccasse &c.

## S. X.

De recta intentione suscipiendi bellum, & an Episcopi, & Clerici bellare possint?

1. *Qualis intentio requiratur? n. 1.*
  2. *Si adeest legitima causa, & auctoritas propter solam sinistram intentionem non oritur obligatio restituendi. n. 2.*
  3. *Quando Clerici bellare possint? n. 3. & seqq.*
  4. *An Clerici possint bello interesse, & hostiari ad pugnam? n. 5. & seqq.*
1. **Q**. i. Qualis intentio requiratur ad bellum licitè suscipiendum? **R**. Intentio



no debet esse, non ut aliis noceatur, sed ut justitia exerceatur; quod fit, si bellum non suscipiatur ex odio, sed ex amore boni communis, vel recuperandi sua, vel justæ vindictæ, vel alterius justæ causæ, de quibus supra egimus. vide Molinam *disp. 107.* ubi habet, non querendas esse occasiones belli, nisi illud cederet in majus bonum nationis, cui inferretur, & Ecclesiæ, quia eâ viâ converterentur ad fidem, cessarent à peccatis, multique eorum vitam æternam consequerentur: quo fine putat, fas esse utendo Jure nostro id efficere, unde futurum speramus, ut detur nobis justa causa belli, quod alioquin non essemus facturi; quòd, licet nefas sit alterius culpam intendere, fas tamen sit illam permittere, imo occasionem illius præbere in majus illius, qui eam committet, bonum & commune, quando damna ex bello secuta conjuncta sunt cum longè majoribus bonis, quæ inde illi nationi sequuntur, ita doctrina Molinæ, quam Theologis, & Moralistis disputandam relinquimus, spectat enim ad materiam de *Charitate, & scandalo*, quod Charitati proximi opponitur; ubi tractari solet quæstio, quando liceat proximo præbere occasionem peccandi?

II. Quando tamen adest legitima auctoritas, & justa causa belli, deest autem solum debita intentio, ut, si ex odio inferatur, aut alia sinistra intentio admisceatur, nulla consurgit obligatio restituendi hostibus ob damna illata; quia peccatum hòc modò illicitè bellum inferentis non est *contra justitiam*, sed solum *contra Charitatem*: obligatio verò restituendi non oritur ex culpa contra Charitatem: sed contra justitiam. *Molin. cum Communi D. D.*

III. Q. 2. An Episcopis, & Clericis licitum sit gerere bellum? R. 1. Episcopis, & Clericis in majori ordine constitutis non licet *per se ipsos pugnare propria manu*; sed, si id faciunt, peccant lethiferè. *can. 1. & seqq. caus. 23. q. 8. Excipiuntur* 4. casus 1. quando non possunt aliter propriam vitam conservare. 2. Quando id necessarium est ad patriam, civitatem, vel exercitum conservandum, qui ipsis non pugnantibus destruetur, civitas capietur &c. 3. Quando id omnino necessarium est ad consecutionem justæ victoriæ, à qua pax, & commune bonum Ecclesiæ pendet. 4. Quando id omnino necessarium est ad defendendam vitam innocentis, qui rogat opem sibi ferri adversus nocentem, qui alioquin mortem ei est illaturus: nam tali casu, & duobus præcedentibus Clerici Jure naturali obligantur pug-

nare, si possint absque suo notabili periculo. *Molina disp. 108.* Reginaldus *l. 21. n. 90.* ubi ait nec eos irregularitatè incurrere occidendo in talibus casibus. de quo videatur *Molina disp. 109. & 110.* nobis enim his immorari non vacat.

IV. R. 2. Etiam si Clerici non possint per se ipsos pugnare, possunt tamen. 1. Suadere bellum justum, & ad illud inducere, ut Colligitur ex *can. igitur 7. & sequentibus quatuor, caus. 23. q. 8.* ex habet S. Th. 2. 2. q. 4. art. 2. ad 3. *Molin. loc. cit.* Sic hortatu, & precibus Adriani Romanæ urbis Episcopi Carolus Rex bellum contra Longobardos suscepit, ut dicitur *can. hortatu 10. caus. 23. q. 8.* 2. Episcopi, & Clerici, qui curam habent alicujus Ecclesiæ, possunt, & debent Principem Sæcularem invocare, qui bellum in defensionem suæ Ecclesiæ contra infideles gerat, ut probat S. Aug. relatus in *can. Maximianus 23. q. 3.*, exemplo Maximiani Episcopi Vagiensis, qui auxilium petijt ab Imperatore Christiano contra hostes Ecclesiæ suæ, & addit: *Quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda.* 3. Possunt Episcopi, & alij Clerici bellum indicere, Ducemque constituere, qui loco suo bellum exercent, si ad id *propter dominium temporale* Jurisdictionem habeant; ut passim habent Episcopi in Germania, qui sunt S. R. Imp. Principes. *Comm. D. D.* quia id exigit Dominium temporale: & colligitur ex *arg. ca. fin. Ne Cler. vel Monach. in 6.* Ubi declarat Pontifex, quòd, etsi Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen, si Jurisdictionem obtinent temporalem, debeant, & possint, metu irregularitatis cessante, ballivis suis, & alijs delegare. *Molin. Wagnereck. Lay. in cit. ca.* Non tamen possunt esse Duces in bello, esto manu propria non pugnent, *ut ex ca. sententiam, ne Cleric. vel Monach.* colligit *Molin. & Abbas.*

V. Q. 3. An Clerici possint interesse bello, & in eo exhortari ad pugnam? R. S. Th. 2. 2. q. 40. art. 2. ad 2. *Quòd Prælati, & Clerici ex auctoritate superioris possunt interesse bellis, non quidem, ut ipsi propria manu pugnent, sed ut justè pugnantibus spiritualiter subveniant suis exhortationibus, & absolutionibus, & alijs hujusmodi spiritualibus subventionibus.* Censet autem *Molina loc. cit. n. 5.* sufficere consensum superioris *presumptum*, ut possint interesse bello, imò ut religiosè, & piè in ipsomet conflictu excitent ad victoriam, & pugnam in genere, quando est adversus Ecclesiæ, & fidei hostes, modò in par-

par-

particulari non dicant: *interfice, aut mutila*; sed: *fortiter age, vel ne succumbas, vel pugna, strenue pro fide &c.* neque de hoc est dubium, ubi viget consuetudo, ut in Hispanijs. Si obijcitur *Can. reprehensibile & Can. quo ausu. 23. q. 8. R.* eos loqui, quando præsumptio erat voluntatis Summi Pontificis in contrarium, illi enim Episcopi vocati erant à Summo Pontifice, neque venire voluerunt, quòd ad bellum proficiscerentur: & quando eorum præsentia necessaria non erat bono Communi, & Ecclesie, quin potius decebat eos non interesse, ut ex ipsis canonibus constat, Si opponitur *ca. in dubijs de penis. R. det Gl. sermonem esse, quando bellum est injustum.*

VI. Dices: si Clericis permissum ad bellum justum disponere, & inducere, cur non sit iisdem permissum & pugnare, cum ejusdem rationis sit, quòd homo aliquid faciat, & quod facienti consentiat, juxta illud Rom. 1. non solum digni sunt morte, qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus? *R. det S. Th. loc. cit.* quia non interdicitur eis bellare, *quia peccatum sit, sed quia tale exercitium eorum persona non congruis*: bellica enim exercitia maximas inquietudines habentia maximè repugnant illis officijs, quibus Episcopi, & Clerici deputantur: hinc meritò Clericis interdicitur juxta illud 2. ad Timoth. 2. *nemo militans Deo implicat se secularibus negotijs.*

## SECTIO V. De Bello gerendo.

**H**Actenus de Bello suscipiendo, in quo summa rei vertitur. Jam de Bello, dum geritur, in quo Ducum, & Militum obligationes, & quæ in Bello liceant, breviter exponemus; tempus enim breves hic esse jubet.

### S. I.

#### De Obligatione Ducum.

1. *An Dux invitatus ad bellum teneatur belli justitiam inquirere? n. 1.*
2. *In quibus potissimum delinquant Officiales belli Contra suam obligationem? n. 2.*

**D**ucum Obligationem exponunt Suar. *disp. 23. de Charit. sect. 6.* Filiucius *tr. 29. in 5. tum præceptum decal. c. 9. Palao p. 1. tr. 6. disp. 5. punct. 5. l. 3. p. 1.* Sylvester *v. Bellum.* Molina, Azor, Lugo, Laymann &c. quorum mentem potissimum hic sequimur.

I. Q. 1. An Dux invitatus ad bellum teneatur de justitia belli inquirere? *R. 1.* Si Duces, vel alij Principes Regni ad Consilium vocantur, tenentur veritatem diligenter inquirere: quia ex justitia debent justum consilium dare; aliàs meritò illis imputabitur, si qua fuerit injustitia in bello. *R. 2.* Si verò nec ratione officij consilio intersunt, nec ad id vocati sunt, se gerunt in hoc negotio, ut privati milites de quibus postea. Potest fieri, ut Dux, cui perspecta esset injustitiæ belli inchoandi, etiam si ad consilium non vocetur, teneatur ex Charitate admonere supremum Principem de ea. Suar.

II. Q. 2. In quibus potissimum rebus graviter delinquere possint Duces, Tribuni, Centuriones, aliique Officiales contra suam obli-

gationem? *R. 1.* Si pauciores habent milites, quam in solutione stipendij exhibent: quia stipendia pro pluribus militibus injustè accipiunt, si non tot conducunt, aut sub signis tenent, pro quot ipsis stipendia penduntur, tenenturque ad restitutionem. Possunt item hac ratione esse causa gravissimorum damnorum: cum enim Princeps credat, tot milites adesse, non procurat alios, qui necessarij forent ad defensionem urbium, aut retundendum hostem. Hinc meritò Duces hujusmodi fraudulentæ rei tenentur omnia damna reparare. Palao, & alij passim. 2. Si ratione stipendij dimidiati, aut malè antehac persoluti, postea in lustratione militum ficta nomina conscribunt, ut suppleatur stipendium debitum; quia non licet compensatio, si fieri debeat cum fallacia, & falsitate; & à fortiori, si id fiat cum periculo gravis damni Reipublicæ, ut in hoc casu contingere facillè posset; cum Princeps, aut respublica putaret se plures habere milites. *La Croix.* sic etiam commissarius, qui capitaneo petenti annotavit plures milites, quam habeat, tenebitur restituere, si capitaneus deficiat; excusat tamen à restitutione capitaneum *la Croix citans Less.* Si stipendia Ordinaria judicio bonorum, & intelligentium non sint sufficientia, quod tamen non facillè præsumendum: si illa utiliter pro Principe suo impendat: si Principi suo

tan-

tantundem postea remittat ex debitis, vel dandis nomine justis stipendij; quæ tamen conditiones ut excusent, abesse debet periculum gravis damni exinde orituri. 3. Peccant graviter officiales, qui debent ex officio commectum curare, & præbent militibus cibum, vel potum corruptum, ex quo morbi, & consequenter magna mala oriuntur. Idem dicendum, si simulent, se præparasse ea, quæ ad bellum sunt necessaria, à Rege vel supremo belli duce imperata, aut si in minori tantum quantitate præparata sunt, aut solum dolosa, & falsa. Ratio patet ex dictis. 4. Onerant conscientiam suam, si in transitu per regiones non manifestant, ubi sint diversuri, sed accipiunt pecunias à varijs pagis, ne isthic pernoscant, aut morentur. Palao, & alij supra citati. Quia tali modo regnum gravatur injustè, quod verum esse Palao asserit, licet Ducibus concessa sit electio unius populi præ alio; cum illis non fuerit concessum, neque concedi potuerit, ut hanc electionem venalem faciant, & sibi pretium retineant. Exigere potius videtur justitiæ ratio, ut, si unus populus gravandus sit transeuntibus copijs, reliqui media aliqua contributione ad ejus levamen concurrant. Molina, Coninch, Palao. 5. Injustitiæ reos se faciunt ij, qui uni militi dant plura Syngrapha (mehrer Politen) ad domos diversas: Item, qui stipendium militibus subtrahentes permittunt extorquere à civibus, & rusticis necessaria, aut ipsimet officiales exigunt, vel connivent, ut milites exigant à pagis, & urbibus id, quod jure non tenentur dare, maxime, si non sint in magna necessitate; accipientes autem, vel permittentes accipere obligantur ad restitutionem: si non possunt damnificatis restituere in specie, debent illius communitatis egenis distribuere: quia nullus potest assignari titulus, quo talia bona justè & in conscientia retinere valeant. Intolerabilis sanè injustitia est, quando (ut sæpius contigisse scimus) milites connivente Duce in transitu præter victum pernoscendo receptum, pro viatico extorquent, ut agricolæ ijs abeuntibus certas pecunias, v. g. singulis i. fl. pendere cogantur. Neque excusantur officiales ex eo, quod sciant, Commissarios sibi injustè retenturos id, quod post persoluta stipendia supererit; quia Princeps potest quoad utrosque esse invitus. 6. Injustè agunt ij Duces, qui stipendium à Principe determinatum militi non præbent, sed paciscuntur de minore, sibi quæ v. g. ex octo, vel decem aureis

reservant unum; nam si Princeps tanti taxavit stipendium, aureus ille est militis, & Dux tantum est administrator: si verò Princeps non taxavit stipendium, tunc aureus ille manet Principis. Ita *Lesius* apud *la Croix* lo. cit. quæ Doctrina rationi, justitiæ quæ naturali conformis ut certa tenenda est, nisi de mente Principis aliud constet. 7. Necatores potius militiæ, quàm tutores dicendi sunt, qui extra gravissimam necessitatem castra metantur in loco insalubri, & exponunt exercitum gravi periculo mortis, sive pugnæ, ubi nulla esset spes victoriæ, vel qui se, suasque copias in tam fatalem necessitatem conjiciunt: *Arhedek* in apud *Sbogar*. 8. Non solum contra temperantiam, sed etiam contra justitiam agunt illi Duces, qui computationibus, epulis, crapulis, aut somno nimium dediti ex defectu vigilantie, sobrietatis causa sunt, quod aliqui ex sibi subjectis militibus fuerint cæsi, aut ab hoste in captivitatem abducti; quia ex justitia erga Principem supremum tenentur nullo non tempore vigilare per se, vel per suos, ut nullum damnum patiatur exercitus: ad hoc enim se obligarunt officiales belli, & ideo Princeps tribuit ijs pinguiora stipendia. 9. Neque officio suo satisfaciunt, sed magis obsunt, quàm profunt illi Duces, qui nimio luxu dediti nimis magnam famulorum, & famularum, etiam proprijs sumptibus, alunt turbam, nimisque multos; atque muneri suo haud necessarios equos numerant; quia pabulum subtrahunt exercitui necessarium, ex quo sæpè ingentia exorta sunt mala, v. g. quod exercitus non potuerit diutius subsistere in loco commodo, & opportuno victorijs, pugnis, atque ad retundendum hostem apto. 10. Ut uno verbo complectamur omnia: Duces vi muneris, quod gerunt, vi stipendij, quod recipiunt, vi pacti, & juramenti, quod se obstrinxerunt, tenentur ex gravissima obligatione justitiæ, & fidelitatis erga Rempublicam, & Principem, cui legitime serviunt; Charitatis erga patriam, & milites, re, opere, consilio, & exemplo præstare omnia, quæ ad faustum belli eventum prodesse judicant, & remove, quæ obesse possunt.

## §. II.

### Notes Ducis.

1. Princeps paret egregium copijs suis Imperatorem.  
n. 1.
2. In eligendo Ductore non spectandus tantum Familie splendor. n. 2.

2. Bell.

3. *Beliduci in re gerenda libertas non viximū co-  
arctanda. n. 3.*  
4. *Virtutes Beliducum. n. 4.*  
5. *An Indigena vel peregrino deferendum officium  
Ducis. n. 5.*

**I.** Principis, cui belli incubuerit necessitas, prima cura sit oportet, ut egregium copiis suis Imperatorem paret; exercitus enim sine Duce turba est, corpus sine anima, remigum ordo sine gubernatore. Cæsar cum in Hispaniam contra Petrejum, & Afranium, Pompeij Legatos, tenderet: *vado, inquit, ad exercitum sine Duce*; cum in Thessaliam contra Pompejum: *vado, ad Ducem sine exercitu*. Nam firmas legiones habebant legati: Pompejus Tyrones magnam partem. Duces bonos plus valere mediocri exercitu, quam bonum exercitum sine Duce Scipio; Pompejus, Gracchus, Pelopidas, Epaminondas aliique docuere; nam bonus Dux celeriter militem format.

II. Q. 1. An in eligendo Duce familiaris splendor sit spectandus? R. Quamquam hoc optandum, ut Principum sanguine prognati potissimum deligentur, quia prodest hoc plurimum ad auctoritatem, tum etiam ad amorem, & benevolentiam apud milites comparandam, & conservandam; si tamen cætera deessent, quæ Duci necessaria, genus solum non spectandum: quemadmodum enim in navigando gubernatio navis non illi committitur, qui natalibus, opibus, aut fortunâ cæteris antecellit, sed qui gubernandi peritiâ, & vigilantiam alios superat; ita belli administratio et maximè committenda, qui reliquis fortitudine, & sapientiam præstat: *Et virtutis, non dignitatis, ratio est habenda in officijs mandandis*. Salust. *In bello Iurgurth.* *Neque tam homines considerandi, quam hominum actiones spectanda.* Aristot. *Pol. 3. C. 8.* Quod vel maximè locum habere debet in re gravissima, ut est bellum.

III. Q. 2. An præstet Belli Duci magnam in re gerenda libertatem relinquere? affirmative R. det Conzenius *l. 10. Polit. C. 22.* cum enim plurimæ occurrant in bello difficultates, subitæque mutationes, quæ humanò Consilio provideri nequeunt, in novo periculo, novi consilij libertas relinquenda. Contzenio facile assentimur; si bellidux fidus, Sagax, rei que militaris apprimè, ut decet, peritus sit.

IV. Q. 3. Quamnam dotes in Duce exercitus elucere debeant? R. Hæ ipsum præcipue commendant, quas Lipsius *l. 5. Pol. C. 15.* commemorat: 1. *Scientia*, ut artis suæ gnarus sit, &

militiam longo usu combiberit, non auditione solum, aut lectione; Neque enim regendis exercitibus ille aptus fuerit, qui nunquam, aut raro aciem viderit, tubæ sonitum, castrorumque fremitum audiverit; sed is, qui multa expleverit stipendia, cum hostibus pedem crebro contulerit, expertusque didicerit, quomodo exstruenda, aut explicanda sit acies, locanda castra, cum hostibus confligendum, cæteraque calluerit, quæ militari experientiam melius, quam instructione privata, aut ingenij bonitate Duces assequuntur. Talis Dux Josue fuit, qui frequenter in sacris literis *Moy-  
sis Minister* appellatur. *Josue 1.* quod scilicet ejus lateri perpetuo affixus tam excellentis Exemplaris intuitu administrandorum bellorum doctrinam excellentem hausserit. 2. *Virtus, maxime prudentia*, cujus filia est consilium; sæpe unicum rectum consilium magnam militum multitudinem vincit: majora in bello animi, quam corporis viribus peraguntur. *Xenoph. l. 1. apud Beyerlinck. v. bellum.* Ideoque solos prudentes esse fortes Agesilaus dixit, & mandavit suis, ut in Prælio unicum Epaminondam Ducem sapientem observarent, & interficerent, quod hoc sublatò reliquam turbam superari facile posse statueret. *Beyerlinck lo. cit. apud Carthagenenses Duces bella pravò consilio gerentes, etiamsi prospera fortuna subsecuta fuisset, cruci tamen suffigebantur. Val. l. 2. vix perijt exercitus, nisi ubi in Consilio erratum.* Et verè Cæsar: *Non est minus Imperatoris superare consilio, quam gladio. Neque quicquam pulchram, quam ut miles strenuè factis, ductor prudenter consultis exultet.* Alias virtutes, quibus præditum esse oportet belli Ducem Cicero *pro Leg. Man.* breviter indicat his verbis: *Quanta innocentiam debent esse Imperatores? quanta omnibus in rebus temperantiam? quanta fide? quanta facilitate? quanta humanitate? cui adsit labor in negotio, fortitudo in periculo, Industria in agendo, celeritas in conficiendo.* Quæ nisi omnia, aut pleraque habeat, non ego possum Imperatorem in aliquo numero putare. Neque enim potest exercitum is continere Imperator, qui seipsum non continet: neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse Judices non vult. Cicero *lo. cit.* neque etiam meditari, aut agere fortia possunt, qui voluptates admittunt. *Ælianus l. 4. variar. hist. 3. providentia.* Dux providus in omnibus eventibus occasionem agendi, vincendique querit, oblatam arripit hostium Consilia penetrare studet. Singulari providentiæ laude floruit Franciscus

ciscus Carmiola Venetorum Dux; cum enim vicina castra essent, & eques cum quodam, hostium equite inimicitias haberet, ac Duello discernere vellet, constituto inter castra pugnae loco; multis concurrentibus ad spectaculum venetus robor suorum militum in castris instruxit, & derepente hostes inopinato invadens vicit, fugavitque. Contz. lib. 10. pol. C. 22. §. 16. providus, diligens, vigilans, & laboriosus erit, si publicam sibi reputet injuriam, cum ipsius culpa aliquid in bello sinistro evenit. Hostium consilia penetrare studebit; si noverit, magna jactura statum, & consilia hostium ignorari: & sicut improvide omnia, ac praeproperè agentes contemnendis, quam cavendis hostibus meliores, facillimè insidijs, ac dolis succumbunt, ita nihil contra omnes hostium technas tutius, ac securius Duce provideo. 4. In Duce *felicitatem* desiderant. Verum ea Comes consilij, & rationis est, sed tamen paulò benignius quibusdam attributa à Deo: Ille unus ejus auctor: eamque praestare à seipso nemo potest. Quare felices bella gerendi eventus à Deo flagitare oportet; cum aliud fatum, fortuna alia nulla detur, quam *Divina providentia beneplacitum*, è cujus dispositione, ac nutu omnia pendent, & mundus gubernatur. 5. *Auctoritas*, atque Ducis existimatio ad res benè gerendas plurimum momenti habet; *vehementer enim* (teste Cicero pro Leg. Man.) *pertinet ad bella administranda quid hostes, quid Socij de Imperatoribus existiment*: virtutis liquidè, & felicitatis aut scientiae militaris opinio adversarios conturbat, militum animos confirmat, civitates ad deditionem sollicitat exercitus in fugam vertit, difficultates emollit, victoriasque conciliat. Menoch. *Instit. pol.* l. 3. c. 11. Hinc plures quibusdam fama, quam praelia victorias peperit. 6. praeter haec dotes *severitatem* habeat Dux *cum lenitate, ac comitate conjunctam*, quod quidem ad prudentiam reduci potest. *Severitas* faciet, ut milites promptè, diligentèrque pareant, plurimamque devitent scelera; militum enim lasciviae, improbitas, manus sanguine imbutae, animus inhians rapinis non nisi metu, & severitate compescitur; *severitatis* Opinio facit, ut delicta caveantur. *Comitas* faciet, ne in crudelitatem abeat severitas: nunquam rei ultra, quam permittunt leges, puniendi. Parum fidos nimis sine comitate acerbi Duces inveniunt milites, quemadmodum Lucullo accidit, qui à militibus suis hac de causa est desertus. *Plut. in vita*: & Cajo Carboni, qui interfectus est à suis,

*Val. ex Max. l. 9. C. 7. apud Contz.* Ideo in discernendis poenis non verborum atrocitatem, multò minùs animum puniendi avidum ostendat, sed potius se ad infligenda supplicia vi legi trahi doceat, ut monet Contz. *l. 10. pol. C. 22.* acerbior saepe sentitur modus indiscretus puniendi quam ipsa poena, quae infligitur. 7. *Fortis* sit Dux necesse est: quia melior est exercitus Cervorum Duce Leone, quam leonum Duce cervo. Et cum exemplo non minùs, quam legibus homines ducantur: animosi, & fortes redduntur milites, cum Duces suos strenuos, & fortes conspiciunt. Pericula si ingruant, animò ne cadat, qui bello praest, sed excitet subditos, animetque. Talis erat L. Marcellus, cum inopinato se hoste circumdatum videret, in eos investus etiam spolia opima tulit. Vigor animi; & confidentia saepe victoriam peperit. 8. *Taciturnus* sit, occultetque sua consilia, vinculum enim optimum est rerum gerendarum publicarum taciturnitas. *Val. Maxim. lib. 2. cap. 1.* tutissimum creditur in expeditionibus facienda nesciri *Veget. de re milit. l. 3. c. 7.* Claruit hac virtute Mauritiu Saxoniae Elector, qui ne pileum quidem suum se retenturum dixit, si nosset arcana illum sua scire. Beyerlinck *List. B. f. 81.* Nihil frequentius exercitibus nocuit, quam detecta Consilia, quae hostis in suum emolumentum vertit.

V. Q. 4. An Indigenae, vel peregrino committendum officium Ducis? R. Parum refert, Indigena sit, an peregrinus, qui copijs praeficitur, dummodo enumeratis dotibus polleat, rationes pro utraque parte affert Contz. *l. 10. pol. C. 22.*

### §. III.

#### De obligatione Militum.

1. *Utrum, Quando milites tam subditi, quam conductarii teneantur justitiam belli examinare. n. 1. & seqq.*
2. *varii casus. n. 4.*
3. *Quos consulere debeant milites ad indagandam veritatem. n. 5.*
4. *Eadem est ratio de Ducibus. n. 6.*
5. *Ad quid obligentur milites vi muneris sui? n. 7.*
6. *Milites in transitu, vel hybernis nil possunt exigere ultra stipendium. n. 8.*
7. *Ad quid teneatur miles intelligens, bellum esse injustum. n. 9.*

I. Q. 1. Utrum milites teneantur justitiam belli examinare? R. 1. Si sunt *Subditi*, & de

& de justitia belli dubitant, Principi aut Magistratui suo ita jubenti merito parent, ac militant: quia in dubio quisque obedire debet Principi, vel Superiori suo, ut notat Gloss. in can. quid culpatur. 23. q. 1. Lay. l. 2. tr. 3. cap. 12. num. 8. cum Victoria, Molina, & aliis, quos refert. Idem est de milite conductis, qui jam conductus est, si illi postea bellum imperetur: ut ex Aug. & cit. can. habet cit. Lay.: sicut enim carnifex, & minister Justitiæ mercede conductus ad justitiæ officium exequendum, latam sententiam justè exequitur, etsi de justitia dubitet, cum ad ipsum non pertineat rem discutere; ita, & miles: consilium namque commune Principis, aut Regni satis illi esse debet ad formandum Judicium practicum de Justitia belli. Nec dicas: 1. non licet operari cum conscientia dubia. 2. Tutior pars est eligenda, ne miles se exponat periculo injustè occidendi, prædandi &c. Nam R. ad 1. non est dubium practicum, sed tantum speculativum, quod ipsam conscientiam non reddit dubiam. Quòd si practice dubitet talis miles subditus, an hic, & nunc bellare possit, dum bellare jubetur? facile se resolvet, quòd in dubio obedire debeat Principi suo, sique non peccet. R. det ad 2. Suar. Tutius hoc casu esse obedire suo Principi; cum ex inobedientia ordinariè sequeretur, non posse Principes defendere jura sua, quòd quàm grave, totique generi humano perniciosum foret, nemo non videt. Dein urget iterum paritas de ministro Judicis.

II. R. 2. Circa milites extraneos, atque voluntarios, qui non jam antecedenter conducti sunt in stipendiis Principis bellum molientis, controversatur inter D. D. communior sententia facit discrimen inter milites Principi subiectos, & extraneos, quòd subiecti justitiam belli examinare non teneantur, quamdiu nulla probabilis ratio in contrarium occurrit, quæ ipsos positivè dubitantes reddit; cum eo ipso, quòd subditi sint, pro Principe præsumere possint: Extranei verò, seu voluntarii inquirere debeant de Justitia Belli, & facta inquisitione saltem probabile judicium ferre, Principem, cui bellaturi sunt, formaliter justum bellum gerere, quòd nulla cogente, & excusante Obedientiæ necessitate se exponant periculo gravissimæ injuriæ inferendæ. Sed hoc discrimen non videtur Suarezio sufficiens: quia, si stipendiarii perpetui, qui Principi subditi sunt ratione stipendij, potuerunt ante tempus belli se obligare ad militandum in casu dubio, sicut Minister Justitiæ ad exequendam sen-

tentiam se obligare potest, non est ratio, cur id non possint, qui accipiunt stipendium in belli initio: cum in consideratione morali idè sit exercere actum, & obligare se ad illum exercendum: ergo sicut quis non prohibetur obligare se ad bellandum in dubio, ita nec vetatur emergente dubia belli causa nomen dare militiæ; sicut enim stipendiarius est subditus ratione stipendij, sic de novo conductus fit subditus ratione contractus. Quòd autem prior jam subditus extiterit, hic primum fiat, parùm referre videtur ad justitiam; nam vel malum est moraliter in tali dubio bellare, vel non? si malum, neuter potuit bellare licitè: cum nemo possit licitè se obligare ad malum: si non est malum, uterque potest. Consequenter si non obstat periculum occidendi innocentes, in uno casu, neque in altero obstat. Suarezio suffragatur consuetudo, quæ passim milites extranei nomen militiæ daturi æquè non indagant causam belli, ac milites subditi; imò impossibile foret, ut singuli stipendiarii militiæ adscribendi causam belli examinarent; cum neque omnibus possit reddi ratio, neque omnes sint illius capaces. Id ipsum argumenta à pari declarant; sic potest quis servire mercatori propter salarium animo cooperandi contractibus illius, de quibus non constat esse injustos, neque tenetur illos examinare. Sic quilibet juxta communem sententiam potest vendere arma Principibus, & militibus non obstante simili dubio; in quo tamen idè periculum vertitur, ne cedant in injuriam innocentium, cur non licebit alicui suam operam in simili dubio vendere, atque militiæ se addicere, cum uterque concursus sit moralis ad actum belli? licet enim milites immediate concurrant, tamen præbentes arma sæpe non minus nocent; per hoc autem, quòd se subdat alteri propter stipendium, nemini facit injuriam, sed utitur jure suo, quo non tenetur se privare in suum damnum. cit. Suar. Palao &c. quare

III. R. 3. Si causa belli speculativè quidem dubia videatur, præsumptio tamen sit, Principem cum suis consiliariis, examinatè prius diligenter causam, ideoque bona fide, & sufficienti ratione ductum ad bellum procedere, poterit miles etiam extraneus militiæ nomen dare sub tali Principe, ut habet Lay. lo. cit. cum Adamo Tannero in disp. de Bello assert. 32. Si verò practice dubitaret talis miles, an hic, & nunc in his circumstantiis possit nomen militia dare deberet dubium deponere formando sibi dictamen practicum, quòd conformando se Principi

pi prudenter agat, ad quod dictamen formandum juxta Suar. sufficet, si Princeps, cui miles bellare vult, sit bonæ existimationis, nullumque de hoc occurrat prudens dubium.

IV. Resolvuntur hæc 1. si dubium sit *purè negativum* possunt probabilius milites ire ad bellum, nullo examine facto, totoque onere rejecto in Principem, cui subduntur, si is bonæ apud omnes sit existimationis. Suar. *Sect. 6. n. 12.* Cum Victoria, & consentientibus aliis Thomistis. 2. Si verò dubium sit *positivum*, & rationes utrinque probabiles, credit *cit.* Suar. milites obligari ad inquirendam veritatem. 3. Si hanc non possint assequi, & pro utraque parte sint rationes æquè probabiles, tunc gerere se possunt, ac si dubium esset *merè negativum*, càm tunc utrobique sit æqualitas. 4. Hinc Lay. *lo. cit.* asserit, si pro utraque bellantium parte præsumi possit, quòd bona fide, & *jure practicè probabili* ad bellandum procedant, damnari non posse milites, si de justitia belli dubitantes seu huic, seu alteri parti pro stipendio militent. 5. Si verò inquisitione facta ex altera parte appareant rationes probabiliores, censet *cit.* Suar., quòd debeant sequi id, quod probabilius erit, ac juvare illam partem, quæ jus habet probabilius; quia, cum dubium sit *in facto*, & *de damno proximi, vel defensione innocentis*: cui contrarius est *Sbogar tr. 4.* quòd sequi sententiam probabilem extra valorem Sacramentorum, & ubi non intercedit sententia Judicis, non sit prohibitum. Verùm quia hoc ingreditur materiam, an, & quando liceat sequi sententiam probabilem relicta probabiliore, id Theologis disputandum relinquimus. 6. Illud apud omnes in confesso est, milites paratos sequi quemcunque ad bellum vocantem, sive justum sit, sive injustum, dummodo stipendium præbeat, in malo statu versari, ut, nisi propositum corrigant, à Confessario absolvi non possint. *Laym.*

V. Satisfaciunt tamen milites indagando veritatem 1. si consulant viros prudentes, & timoratos, an simpliciter ire liceat ad tale bellum? 2. Aut si dicti milites unum corpus politicum conficiunt, habentque sua capita, satisfaciunt inferiores, si quisque capitis sui, aut principalis justitiam belli examinantis ductum sequatur.

VI. Atque hæc non solum de militibus communibus, sed etiam de Ducibus non subditis dicenda erunt; quamquam in his non immerito, cum capaciores præsumantur, & ad hosti nocendum magis apti, paulò majore

in requirenda veritate industriam requiras.

VII. Q. 2. Ad quid præcipue obligentur milites vi muneris sui? R. Sunt obligati ex justitia in bello justo ratione stipendij esse fideles suo Principi, ac Duci. 2. Obligantur vi muneris sui ad actum fortitudinis; ad obediendum Duci in pugna, ad non fugiendum, stationem servandam, arcem sibi commissam defendendam etiam cum periculo vitæ, quamdiu spes defendendi superest. 3. Sinè consensu sui Ducis non possunt à castris discedere; quia ad hoc se obligarunt ob bonum reipublicæ, & stipendia recipiunt. *Communis D. D.* si enim cuilibet liberum esset discedere, quando libet, nunquam posset Dux securè ad bellum procedere; cum enim indigeret milite ad pugnam, & victoriam, nonnunquam se inermem, ac destitutum videret; proin meritò poena capitis, vel treremium, aut simili plectitur discedens, ut tradit Glossa *in ca. jus militare. dist. 1. verbo deseratur.* 4. Duces arcium, ut habet Cajetan: apud Suar. *sect. 7.* nullo metu mortis, aut famis possunt eas tradere; quia tale est pactum cum Principe, indèque recipiunt stipendium, ex quo obligatio justitiæ nascitur, nisi aliud de mente Principis constet.

VIII. Q. 3. An possint Milites ultra stipendium aliquid, apud quos transeunt, vel diverunt, exigere? R. Non possunt quidquam accipere præter id, quod à Rege est constitutum juxta illud *Luc. 3. Neminem concutatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendijs vestris.* Quare si quid, præter id, quod à Principe constitutum est, accipiant, peccant contra justitiam, & restituere tenentur: atque idem est, si faciant alia damna per domos, agros &c. Duces verò, & Principes tenentur ex officio hæc omnia impedire, alias totum onus restitutionis post milites ad ipsos pertinet. Suar. *Sect. 7.*

IX. Q. 4. Ad quid teneatur miles, qui intelligit, bellum esse injustum? R. Debet; quam primum potest, curare dimissionem, & interea abstinere ab actibus hostilitatis, cæde, præda &c., & nisi hoc velit præstare, non potest absolvi; item tenetur ad restitutionem damnorum, nisi invincibilis ignorantia excuset: tum enim sufficit restitutio eorum, quæ in specie habet; vel eorum, in quibus factus est ditior, ita *passim DD.*

X. Q. 5. Quænam virtutes in milite requirantur? R. Eas Contzen. *c. 21.* in compendio dat. 1. Militis virtus sit in Deum pietas, fides, & spes, quæ sunt veræ fortitudinis fune

fundamenta: *Parvula male sibi conscia mens  
morsum conseruere hand valet: est enim semper  
simila nequicia.* 2. Fortis sit, & animosus. 3. Ag-  
gilis & velox. 4. Obediens, malitque iussa exe-  
qui, quam imperare. Alias belli Ducum, mi-  
litumque gregariorum dotes facile ad recen-  
sitas reduces: nec enim vacat isthæc fusius  
explicare.

## S. IV.

## Quid liceat in bello?

1. An & quando liceat societatem armorum habere  
cum infidelibus, & hereticis? n. 1. & 2.
2. Quando licite sint repressalæ, & in quos? n. 3.  
& 4.
3. Quibus cedant res hostibus erepte: ubi de possi-  
minio. n. 5. & seqq.
4. An, & quando liceat militibus civitatem tradere  
in prædam, & quos liceat partâ victoriâ occide-  
dere. n. 9. & seqq.
5. Quid de obsidibus, quorum Princeps fidem fregit?  
n. 13.
6. An innocentes possint spoliari bonis suis? n. 14.  
& 15.
7. An, & quomodo liceat cooperari ad bellum inju-  
stum? n. 16.
8. An liceat uti insidijs, & stratagematis? n. 18.

I. Q. 1. An licitum sit Principi Christiano  
arma jungere cum Infidelibus, aut  
eos vocare in auxilium? R. L. Licitum est adju-  
vare infideles in bello justo, quod adversus ali-  
os infideles habent: & foedus cum illis inire  
adversus alios infideles. Responsio est extra  
dubium teste Molina de I. & I. tr. 2. disp. 112.  
Sic Machabæi foedus cum Romanis adversus  
idololâtras alios iniverunt. R. 2. Per se quidem  
non est illicitum infideles principes in auxili-  
um vocare; quia id nulli virtuti adversatur,  
& exemplum habetur ex S. Scriptura in Davi-  
de 1. Reg. 28. præterea licet in bello uti auxi-  
lio ferarum, cur non infidelium? & sicut po-  
test quis licitè conducere milites infideles ad  
se defendendum, Regnumque suum, vel sua  
recuperandum, sic etiam potest vocare Prin-  
cipem infidelem in suum adiutorium. Molin.  
loc. cit. Suar. sect. 7. n. 25. R. 3. Regulariter ta-  
men non licet infideles in auxilium contra  
Christianos invocare ob scandala, & ingentia  
mala, quæ Ecclesiæ inde possunt, & solent  
evenire, si infideles terras Christianorum in-  
grediuntur. Hinc Sbogar Theolog. Radical.  
tr. 14. scribit, nunquam licitum esse cum Tur-  
cis, & alijs paganis confederationem inire,  
nec eis auxilium præbere propter inevitabile

scandalum; & Diana apud La Croix refert  
exemplum cujusdam Regis, qui moriens dice-  
bat: *perii, quia volui esse foederatus ei, qui hostis  
est Christiani Nominis.*

II. Licitum tamen esse Principi Catholico  
copias auxiliares petere ab Acatholicis, & pa-  
ctum cum illis inire in defensionem justam  
contra alium Principem Catholicum secluso  
scandalo, & periculo fidei testatur cit. Sbo-  
gar. n. 9. Hinc licet Imperatori Christiano, in-  
quit, assumere auxilium ab Acatholicis pro defen-  
sione sui Imperij, & ita legitur, Carolum V. Impo-  
ratorem milites Lutheranos suscepisse, cum tamen  
pugnaret contra Gallos Catholicos, & a fortiori li-  
citur esse suscipere illos, qui intra fines Imperij Com-  
morantur; quia membra Imperij sunt, quæ consti-  
tuunt cum Catholicis integrum corpus Imperij: sed  
unum membrum potest ab alio membro auxiliatio  
accipere, & mittere pro defensione totius corporis,  
ne totum corpus pereat.

III. Q. 2. An Repressalæ licitæ sint? per  
repressalias intelliguntur bona, quæ innocens  
Respublica, & injuriam passa assumit à civi-  
bus Reipublicæ nocentis in pignus satisfactio-  
nis sibi, suisque civibus debita. Palao de Cha-  
rit. tr. 6. disp. 5. p. 4. vel sunt literæ, in quibus  
Princeps, vel Respublica subditis, aut militi-  
bus suis injustum damnum, aut injuriam pas-  
sis dat potestatem invadendi terras eorum,  
qui læserunt injustè, & occupandi bona inco-  
larum etiam innocentium in compensatio-  
nem damnorum. ita Lay. l. 2. tr. 3. c. 12. Jaco-  
bus Wex part. 3. Tab. 2. in l. 4. Insb. in appendic.  
Hoc notato

IV. R. Cum Molina disp. 121. conc. 4. La  
Croix. l. 3. p. 1. Palao, & alijs. Repressalæ li-  
citæ sunt sub his conditionibus. 1. *Vt manife-  
ste constet, crues alterius Reipublicæ fecisse injuriam,  
& quidem gravem, quia iniquum esset dubium  
debitum compensatione certa reparare, & injuri-  
am levem modò tam acerbo, qui multis scan-  
dalis, novis dissensionibus, ac bellis expositus  
est, præsertim si bona usurpanda sunt ab inno-  
centibus.* Molina. 2. *Vt Superior delinquentem  
admoneat de injuria facta, ut fieri satisfactionem  
mandet; aliàs iniquè vexarentur innocentes,  
& aliena jurisdictio usurparetur.* Palao loc. cit.  
adverit tamen cit. Molin. si post injuriam ac-  
ceptam adessent mercatores Reipublicæ, quæ  
injuriam intulit, periculumque esset, ne, dum  
satisfactio petitur, illi recederent, neque  
spes esset recuperandi damnum illatum, fas  
esse eos detinere, bonaque eorum sequestra-  
re expectando rei eventum, præsertim si au-  
ctori-



Honorate Principis crederetur dampnum illatum: cum hæc sit justa defensio: debet tamen constare de negligentia, & culpa reipublicæ, cujus illi sunt membra. 3. *Debet constare, eos culpabiliter satisfactionem recusare, aut Principem nolle urgere subditos suos, ut satisfiant: quia alias in ejus defectum bona Innocentium non subrogantur satisfactioni.* 4. *Princeps Reipublicæ sese debet adiri, & causâ cognitâ facultatem concedere repressalias capiendi: quia ad eum solum spectat concedere repressalias, ad quem pertinet bellum movere.* Molin. Palao. *loc. cit.* 5. *Vt non inferatur plus damni, quam justa satisfactio requirit: quod enim ultra æqualitatem accipitur, justum esse desinit, & rapina, vel furtiva fit.* 6. *Is non concedantur in personis jure civili, vel Canonico exemptas; sunt autem.* 1. Exemptæ personæ Ecclesiasticæ sub poenâ excommunicationis. *ca. un. de injurijs in 6.* 2. Non possunt Principes, & status Imperij contra se invicem repressalias concedere, ut patet ex praxi Cameræ Imperialis, & *R. 1. de anno 1570. §. 34.* 3. Næc contra studiosos sunt concessæ, quando generaliter dantur, aut in certo loco vigent. Jacob Wex *loc. cit.* Textus tum civiles, tum Pontificij, si repressalias improbare, ac damnare videntur, intelligendi sunt de ijs, quæ à privatis privata auctoritate, qui sibi ipsis jus dicere nequeunt, fiunt, aut alatis conditionibus destitutæ sunt: & sic verba Greg. X. in *Conc. gener. Lugdon. in ca. un. de injurijs in 6.* repressalias, in quibus unus pro altero gravatur, tanquam legibus, ac juri, & aequitati naturali contrarias, & jure civili etiam prohibitas esse dicentis, intelligenda sunt. Monet autem D. Joachim Burgers: *cent. 5. observat. 23.* Quod repressalia, utpote odiosæ, merito sint restringendæ, neque facile concedendæ, quia publicis scandalis viam aperiunt, & plurima sæcum trahunt incommoda, v. g. tumultus & motus, quibus Princeps minime ansam præbere debet.

V. Q. 3. An liceat res hostium auferre, & retinere? R. I. De Jure naturæ Justus victor potest auferre, & retinere res hostium eo usque, ut is competentem satisfactionem ex ijs sibi sumat; ad quam, ut alias dictum, spectat non solum, ut res suas recuperet, sed etiam omnes expensas belli, compensationem laboris, molestiæ, & periculi, quibus se, & suos subjecit, pro injuria sibi illata, & ejus vindicatione, ac poena intra æquum poenæ modum. Grot. *l. 3. C. 6. §. 1.* *Injustus vero victor nihil retum ab hoste jure aufert, vel retinet.*

VI. R. 2. Bona immobilia fiunt Principis, vel Reipublicæ bellum indicentis. Gl. in *l. Divus ff. de jure ff. Bartol. l. siquid in bello. ff. de captiv.* Covaruv. *Reg. peccatum §. 12. n. 1. 6. & 7.* Filliuc. Palao & Communis: bona verò mobilia regulariter fiunt capientium ( nisi alicubi vigeat contraria consuetudo) ut hac ratione ad pugnam excitentur milites, & animosiores fiant. *citt. DD.*

VII. R. 3. Si res, quæ hostibus eripiuntur, non forent ipsorum hostium, sed furto sublata, aut transeuntium, aliorumque, qui reipublicæ membra non sunt, neque nocentes extiterunt, retineri non possunt; siquidem bona sint immobilia, sed Dominis suis restituentia: Molin. *Disp. 118.* Palao. *n. 24.* & communis DD. cum Glossa in *leg. 2. ff. de captiv. &c.* Idem est de mobilibus *jura natura*, quo prioribus Dominis sunt reddenda; quia non amiserunt Dominium: Jure tamen Cæleste, ubi id vigeat, bona mobilia capientium fiunt, si hostes ea deportarunt ad præsidia, loca ve tuta, quia tunc reputantur, ac si essent ipsorum hostium propria, & quemadmodum in præscriptione jus positivum transfert dominium, ita pariter in præsentis casu. Potuerunt autem leges ob bonum commune militia, hæc militibus donare, & à veris Dominis auferre, tum ut ipsi milites hac ratione animosiores essent in pugna; tum, ne scrupulis agitarentur, an rei captæ Dominium hostes haberent; tum, ob vitandas lites in investigatione. Aliud dicendum esset, si hostes necdum deportassent in loca tuta, aut veri domini eos insecuti fuissent; tunc enim non possunt reputari quieti illorum possessores, ut constat *ex l. siquid in bello 28. ff. de captiv. & postlim. revers.*

VIII. Ab hoc tamen Jure excipienda sunt, quæ gaudent privilegio postliminij, quod privilegium in eo situm est, ut ea, quæ illo gaudebant, si ab hostibus capta essent, ob cujus capturam quasi extra limen, & terminum regni constituebantur, cum postea redirent ab hostium potestate, sive bello extincto, sive alia ratione quacunque, reputarentur, ac si nunquam in hostium potestatem devenissent; sed eundem statum obtinebant, ac jura, quæ habebant ante capturam. *L. 3. ff. de capt. & postlim. revers.* Conceditur autem privilegium postliminij navibus oblongis, ad usus bellicos aptis, non autem piscatoriis, aut quæ recreationis gratiâ parantur. 2. Equis fræni patientibus. 3. Hominibus sive servis, sive liberis. Liberi redibant ad suam libertatem; servi ad prio-

priorem dominum, seu illius hæredes. Quod si quis servum pretio ab hostibus redemisset, si intra tres annos à Domino pretium redemptori offerre batur, obligatus erat redemptor servum tradere, non verò si elapsum esset triennium. *L. in bello § si quis servum ff. de captiv. & postum. revers.* Advertendum tamen hîc cum Molina 1. has leges per se non extendi ad bona sublata ab iis, qui subjecti non sunt juri Cæsareo, aut ubi hoc jus receptum non est, aut introductum. Putat autem Palao n. 27. id in omni ferè natione per consuetudinem esse jam introductum. 2. Privilegium illud non esse concessum militibus, quoad ea bona, & res, quas hostes iniquè suis Dominis eriperunt, & postea militibus vendiderunt, vel donarunt; sed solum quoad res, quas milites per hostes abreptas rursus ab eis eripiunt. 3. Si erit datur dominum non esse recuperaturum rem ab hostibus male possessam, licet eam vilî pretio emere ab illis, eo animo, ut, si dominus comparuerit, illi reddas, quia in hoc casu utiliter ejus negotium geris: quare is tam in foro interno, quam externo tenebitur reddere pretium pro ea re expensum. Idem dicendum de rebus cultui divino dicatis, quas sectarij à Catholicis usurpant, & utili pretio vendunt. Nam meritò præsumere licet, voluntatem dominorum esse, ut potius vilî pretio emantur, quam ut detineantur ab A Catholicis, & in profanos usus applicentur. *Molin. Japra.*

IX. Q. 4. An liceat civitatem tradere diripiendam militibus? *R. 1. Regulariter loquendò raro est licitum: quia tali occasione multa patrantur scelera à militibus extorquendo pecunias à captivis, & eorum mulieres, & filias violando. Quapropter tenetur Dux, qui hanc potestatem militibus concedit, vigilare summè, ne hæc scelera committantur, & committentes gravissimò supplicio punire, ut alij in officio contineantur; aliàs reus erit totius damni. Palao. Azor. Mol. disp. 122. qui etiam monet victorem, ut cogitet, se tanquam Judicem sedere pro tribunali ad sententiam in hostes, devictamq; in republicâ ferendam, neque pœnam ulrà ratione excedere debere culpam; misericordiam, & clementiam severitæ, & crudelitati esse anteponendâ: præsertim cum victi proximi sint, Christianique sanguine redempti, semperque commune bonum, Dei que gloriam, & honorem amentis oculos habendum. R. 2. Si tamen victoria aliter obtineri non potest, in bello a-*

lioqui justo, nisi promissione facta de nobis civitate tradenda militibus in prædâ, licitum est id promittere, & præstare, præsertim si creditur, aliter hostes debellari non posse, nisi militum animi spe præmij ita confirmentur, & excitentur; si tamen debitam cautelam adhibet, ut excessus, & scelera evitentur. Azor. *Instit. Moral. p. 3. l. 2. c. 7. q. 13. R. 3. Sub eadem cautela adhibita etiam aliquando post partam victoriam licitum est militi civitatem diripiendam tradere tum ad excitandos milites, sibi que devinciendos, si opus erit, ad alia bella, tum ad terrendas alias hostium civitates, ut se subjiciant, & dedant, tum in pœnam hostium, ut luant in bonis temporalibus culpam injustitiæ. Azor. *Fill. locc. cit.**

X. Q. 5. An partâ victoriâ, rebus quoque jam extra periculum constitutis liceat occidere promiscuè quoscunque deprehensos hostes? *R. 1. Licitum est occidere nocentes tam in ipsò pugnæ congressu, quam post victoriam partam, si eorum mors necessaria sit ad vindicandam injuriam, pacem, & securitatem imperposterum stabiliendam. Suar. disp. 13. sect. 7. n. 7. Ratio est, quia si finis licet, & media licere debent. 2. Victor est devictorum Superior, & Judex, cui subduntur: poterit ergo in pœnam delicti commissi eos morte plectere, si delictum morte dignum sit. Quod intelligendum est, licet nocentes hostes se submitterint victori, nisi sub promissione vita se dederint, advertit tamen Mol. disp. 122. conclus. 4. quando magna est nocentium multitudo, quorum singuli essent morte digni, nefas esse omnes occidere: quia, licet tanta cædes non repugnaret justitiæ, neque confurgeret exinde obligatio restituendi, adversaretur tamen graviter Charitati, atque crudelitatem redoleret, & in detrimentum boni communis, vel religionis cederet; nisi cædem omnium exposceret Republicæ justè militantis salus, & tranquillitas, quòd aliter pax, & securitas non sperari possit; quò casu censet, omnes necari posse, maxime si simul id expedire judicaretur bono Ecclesiæ, nec non ipsorum nocentium: ut, si infideles essent, parvæque admodum esset spes conversionis eorum, quòd si peccatis desisterent; tunc enim procul dubio inquit, licitum, sanctumque esset vel omnes, vel tot eorum interficere, quot ad fines illos expediens judicaretur. Etenim ea interfectio & justa esset in se, & Charitati Dei, & proximi consentanea utpote expediens Ecclesiæ, ac interficientium bono, nec non ipsorummet inter-*

imperfectorum, qui morte impediti, ne peccata peccatis cumulent, si diutius vivant, & acrius per omnem æternitatem flammis inferni puniantur, & hoc, vel simili modo Deus *Deut. 20.* permittebat filiis Israël, ut capta civitate rebelli interficerent omnes, exceptis mulieribus, & parvulis: sermo namque erat de bello cum infidelibus suscepto. Quid dicendum, si ante conflictum, vel eo durante, hostes offerant omnimodam satisfactionem, an ideo iuste pugnans bello debeat abstinere, supra expositum est.

XI. R. 2. Si de innocentibus sit sermo, certum est apud omnes, directe & per se occidi non posse. *Mol. disp. 119.* Suar. hinc refertur exemplum D. Ambrosij in c. cum apud Thessalonicam, 11, q. 3. excommunicantis, & graviter reprehendentis Theodosium Imperatorem, quod innocentes cum nocentibus involveret in pena mortis ob rebellionem civitatis. Quod si in aliquibus locis S. Scripturæ videantur innocentes absque peccato fuisse interfecti à Populo Israëlítico, ut *Iosue 6.* & *1. Reg. 15.* id factum speciali concessione Dei ob peccata illarum Nationum; cum enim Deus sit Dominus omnium vitæ, potest, prout sibi placuerit, eam eripere, eripiendamque concedere. *Palao n. 7.* Unde non licet per se, & directe, occidere pueros tractandis armis inhabiles; quia neque actu, neque proxime fuerunt aggressores. *ciss. D. D.* Neque obstat, quod timeri possit, ne pueri, si adolescant, hostes fiant; nam ideo occidi non possunt; cum nemo puniatur ob delictum futurum, & hoc etiam verum est de filiis Saracenorum, & Turcarum: quia non licet facere mala, ut evaniant bona. *Azor. Mol. 2.* Neque feminas, aut peregrinos per transitum commorantes, si ab actione hostili abstinuerint; uti neque Clericos, & Religiosos; quia non reputantur esse pars Reipublicæ hostiliter agentis; cum ipsi arma non gerant, & in dubio semper pro illis præsumatur, quod non gesserint.

XII. R. 3. Per accidens tamen, & ex intentione interficiendi nocentes, qui aliter impugnantur, non possunt, licitum est etiam innocentes nocere, ut, quando arx, aut civitas iuste oppugnantur, in qua constat innocentes aliquos per spiritos esse cum nocentibus, fas est mittere in eam globos, aut ignem supponere, vel quodvis aliud facere ad illam capiendam, esto prævideatur, per accidens, hoc est, præter intentionem, nocendos esse aliquos innocentes; quia aliis nullum posset geri bellum iustum con-

tra nocentes periretque iustitia eorum, qui iustam belli causam haberent cum magno detrimento boni communis. *Mol. disp. 119.* Item licet aliquando comburere Ecclesias, & hostes ex iis extrahere, in iis spoliare, & occidere, si v.g. Ecclesiâ velut castrò ad repugnandum utantur, aut in iis arma, aut victualia deponant; quia tunc non gaudent Ecclesiæ immunitate; his verò remotis gaudent, ideòq; ad eas confugientes non licet occidere. *Azor. q. 12. Sylvester v. bellum, n. 11.*

XIII. Q. 6. Quid dicendum de obsidibus, quorum Princeps, vel Respublica fidem fregit, aut aliàs nocens fuit? R. Quando obfides dati innocentes sunt, neque in causa fuerunt, quod Princeps, qui eos dedit, fidem fregerit, neque ullo dolo usi sunt, interfici non possunt propter peccatum sui Principis, tametsi retineri, ac servituti subijci possint; quia universum nefas est occidere per se innocentes. *Mol. disp. 120. conclus. 2. contra Azor.*

XIV. Q. 7. An in bello iusto fas sit spoliare bonis suis externis etiam innocentes? R. 1. Si innocentes sunt partes Reipublicæ, contra quam iustum bellum geritur, id licet; unde mulieres, pueros, & omnia Reipublicæ membra licet non tantum in bonis fortune punire; sed etiam in captivitatem abducere, & si infideles sint, servituti subijcere; cum tota communitas, quæ deliquit, hostis iudicatur. Ut autem tota communitas deliquisse censatur, & per se, ac directe propter crimen commissum puniri possit, necesse est; ut major, seu potior ejus pars, quæ alioquin ad discernendum aliquid communitati sufficeret, delictum aliquod collegialiter fieri decreverint, vel impedire, per traditam sibi potestatem neglexerint: tunc si delictum valde grave sit v. g. proditoris, Apostasie à fide, propter quale peccatum à parentibus commissum etiam Filij puniri solent, multò magis, quicumque ex communitate illa sunt, quamvis innocentes, puniri possunt bonorum spoliacione, libertatis, vel civitatis amissione, impositione tributo &c. *Lay. L. 2. ff. de i. 18. n. 11.*

XV. Quid, si nullus ex subditis deliquisset, sed solus Princeps, num poterunt tales innocentes subditi spoliari bonis suis? R. 1. Cum expresso, vel tacito consensu duces bellum gerentis id fieri poterit, si necessarium videatur ad vires hostium diminuendas, satisfactionem impetrandam, aut finem bello consequendum. Tenetur tamen in conscientia ille Princeps ad compensationem

lationem damni, quod ejus causa subditi passi sunt. Lay. *la. cit.* R. 2. Et si innocentes non sunt subditi, sed peregrini, licebit tamen ijs bonis eos spoliare, quibus hostes uti possent, & adjuvari ad bellum sustinendum; hinc licebit auferre arma, naves, pecuniam, & frumentum &c. agros devastare, quantum judicatum fuerit expedire ad hostem superandum, si belli status id exigat. Molin. *disp. 121.* Nam si licet interficere *per accidens* innocentes, quanto magis licebit eos privare bonis *intentione non innocentibus nocendi, sed hosti*; neque ad talium innocentium, licet Ecclesiasticorum, bona, si juxta belli indigentiam perijissent, restituenda justum bellum gerens teneretur; cum sine culpa acceperit, & uti supponitur, neque locupletior factus sit. Mol. *supra.* Si verò bona superessent, vel ea consumpta in quoscunque usus, aut devastata plus, quam belli status, finisque victoriae postulabat, manet obligatio ea restituendi ijs, ad quorum dominium pertinent. Quod si arbitantes esse hostium ea distraxerint, solum tenentur restituere, quod ex eis remanserit, aut id, in quo forte locupletiores fuerint effecti, Mol. R. 3. Captis bello ex parte capientium injusto, v. g. Christianis à Turcis, non solum fugere licet, sed etiam in compensationem damni illati, vel debitæ mercedis propter præstita servitia res illorum, qui injuriam intulerunt, propria autoritate auferre. Lay. *n. 16.* nam si scandalum absit, & nemo sit, qui justitiam administraturus est, potest quilibet per se ipsum clam, vel palam accipere, quæ sibi liquido debentur. Neque refert, quod inter Christianos, & Turcas pax vigeat; ea enim ad id solum se extendit, ut à neutra parte Reipublicæ damnum alteri inferatur, non verò, ut, quò injustè oppressi fuerunt, jus suum, ac debitum recuperare non possint. R. 4. licet bellum geratur à Christianis contra Turcas, non possunt tamen Christiani ex pacto inter Turcas peregrinari permitti licite ab illis res auferre, quia prohibentur pacto, seu fide Turcis data, quæ etiam hosti servanda est. Dein neque præsumi potest voluntas Principis Christiani contra Turcas bellum gerentis, ut à peregrinantibus hostile damnum inferatur. Si verò Turcæ per injustitiam aliquid extorsissent, v. g. pretium redemptionis, vel tributum ob permissam ipsius peregrinationem, censet Mol. licite tantundem à Turcis auferri seclusò scandalo. Lay. *la. cit.* Sic etiam nefas est tempore pacis Turcis per terras Christianorum cum consen-

su Principum peregrinantibus quidquam damni inferre: at verò tempore belli, nullaque ipsis promissa securitate possunt haud dubiè bonis spoliari, in captivitatem trahi etiam à quovis subdito ex præsumpta Principis voluntate. Lay. *supra.*

XVI. Q. 8. An, & quomodo liceat cooperari ad bellum injustum? R. Si id, quod à cooperante fit, est intrinsecè malum, nunquam licet. Si verò est actio quædam indifferens, de se licebit justa de causa, & optimo fine, esto nequitia alterius ad malum, & peccatum ordinetur. Hinc Christianis apud Turcas captivis metu mortis adactis licebit remigare in triribus infidelium, asportare sarcinas, castra munire, exstruere propugnacula, quia sunt ex se indifferentia, neque ab his, ut à Turcis, ordinantur ad malum finem, peccatumque lethale; sed ad evadendam propriam mortem, quod non est malum, præsertim cum Charitatis ordinè fas sit præponere vitam propriam aliorum vitæ. Verùm pugnare aduersus Christianos ipsis non licere supradictum est *sect. priore S. 6.*

XVII. Q. 9. An Religiosi, aut alij Clericæ qui quoad spiritualia serviunt militibus, possunt, sicut hi, accipere, & retinere spolia hostium? R. Assertivè: quia sunt pars exercitus, ac patiuntur pericula, & incommoda cum alijs: Hinc æquitati consonum, ut etiam participant commoda. Mol. Lay. La Croix.

XVIII. Q. 10. Utrum licitum sit in bello insidijs uti? R. cum Mol. *tr. 2. disp. 111.* licet nefas sit mentiri etiam hostibus in bello justo, cum sit intrinsecè malum, fas tamen est, uti insidijs, occultare consilia, dissimulare, ac simulare multa, quibus hostes decipiantur, & vincantur. Suffragatur S. Thomas, & August. apud Lay. quorum posterior super *Iosue 9. 10.* ait: *Cum justum quis bellum susceperit, utrum oportet à pugna, an insidijs vincat, nihil ad justitiam interest.* Cum enim in bello justo fas sit hostibus nocere, fas etiam erit occultando ipsis consilia efficere, ut decepti nocumentum patiantur, sic Iosue *C. 8.* collocato exercitu in insidijs contra Civitatem Hai cum suis fugiendo metum simulavit, seu potius naturalem actionem, neque ad animi, terrorem significandum determinatam exercendo permisit, ut hostes decepti falsam metus opinionem conciperent; nam propriè dicta simulatio, quæ est falsi, ac species mendacij, nunquam licita est, sed extra foedera, & promissiones, nisi invincibilis ignorantia, quæ se

rectè agere existimant, excuset, est peccatum veniale: in promissionibus verò, & pactis ini-  
tis cum hoste quocunque per simulationem  
aliquid dicere, aut facere, aliud in animo ge-  
rendo, & aliud verbis promittendo est menda-  
ciū injuriosum, ideòq; ex genere suo mortale.  
Lay. n. 10. Hinc conlequitur, ea stratagemata

licita esse, quæ salva fide fiunt, ea illicita, quæ  
perfidiam habent: de quibus videatur Lipsius.  
Civ. doctrin. lib. 5. cap. 17. Varia autem pu-  
gnantium, obsidentium, & obsessorum  
strategemata. Contzen. l. 10. cap. 38. 46. & 47.  
subministrabit, nobis referre non vacat.

## SECTIO VI. De Bello finiendo.

Finem bello ponunt Victoriæ & pax Sancita: de his pauca perstringimus.

### §. I.

#### De Victoriâ.

1. Victoriâ Cautè, moderatè, & justè utendum. n. 1.  
U seqq.
2. Quomodo se in clade victus gerere debeat. n. 4.

**D**uos victoria concernit, victorem, & vi-  
ctum, de quibus pauca ex Contzenio, &  
Lipio damus.

I. Q. I. Quî victor se gerat in victoriâ?  
R. Ut rectè se gerat, tria observet necessum  
est. Ut *cautè* victoriâ utatur, ut *moderatè*, &  
*leniter*, ut *justè*. I. *cautè* utendum victoriâ, quia  
fermè sit, ut res secundæ negligentiam creent,  
atque vulnus per nimiam fiduciam accipia-  
tur. Lipsius. Victoriâ multo sanguine com-  
parata facillimè corrumpitur. Urgendi sunt  
successus, & trepidis instandum, sed circum-  
spectè, & cautè; cum enim in magnis præliis;  
ut res nunc agitur, pauci cædantur, cæteri-  
que facilè se colligant, plus plerumque tem-  
poris, quam damni est in recenti victoriâ;  
præsertim si hostis non turbatis agminibus,  
sed ordine conservato acie pulsus recedit.  
Exempla subministrat Contzenius l. 10. cap. 61.  
Marius victis Teutonibus tota nocte reliquias  
per paucos suorum territavit, postridie vicis  
Hermocrates Syracusanus superatis acie Athe-  
niensibus, veritus, ne captivi, quorum ingen-  
tam manum in potestatem redegerat, parùm  
diligenter custodirentur, & victores in epulas,  
& securitatem laberentur, finxit, proxima no-  
cte equitatum hostilem venturum: qua ex-  
spectatione affectus est, ut solito attentius  
vigiliæ agerentur. Conon Dux Atheniensium,  
victa Classe Persarum apud Insulam Cypron,  
milites suos captivis armis induit, & iisdem  
Barbarorum navibus ad hostem navigavit in  
Pamphylia apud flumen Eurymedonta: Per-

sa, quia & navigia, & habitum superstantium  
agnoscerent, nihil caverunt; subito itaque  
oppressi eodem die & navali, & pedestri præ-  
lio victi sunt. Primâ item Victoriâ gnâviter  
usus est Titus Martius eques Romanus, qui re-  
liquis exercitûs duorum Scipionum profuit:  
cum in propinquo bina castra Pœnorum pau-  
cis passuum millibus distarent, cohortatus mi-  
lites, proxima castra intempesta nocte ado-  
tus est, & cum hostem victoriæ fiduciâ incom-  
positum aggressus ne nuntios quidem Cladis  
reliquisset, brevissimo tempore militi ad quie-  
tem concessio, eadem nocte raptim famam  
rei gestæ prægressus; altera eorum castra in-  
yasit: ita bis simili usus eventu, deletis ubi-  
que Pœnis amissas populo Romano Hispanias  
restituit.

II. *Moderatè & leniter* utendum victoriâ:  
quod fiet, si absit crudelitas, superbia, intem-  
perantia: suapta natura difficilis ea, & asper-  
rima victis cadit; quod si victoris insolentia,  
superbia, avaritia (nam in secundis rebus eti-  
am egregij Duces insolescunt) *Tactus 2. Hist.*  
*apud Lipsium*: magis eam exasperant, despera-  
tione in audaciam victi accinguntur, nam  
*ignaviam necessitas acuit, & saepe desperatio spei cau-  
sa est.* Curtius l. 5. Gravissimi autem sunt  
morsus irritatæ necessitatis. Lips. Itâ tractan-  
dus est victus, ut *aut nolit, aut non possit rebel-  
lere*; imò *ut nec possit, nec velit.* Ut nolit, *beni-  
gnitate*; ut non possit, *cautione* efficiendum.  
Romani utroque modo imperium stabiliè-  
runt, initio usi benignitate Sabinos, Albanos  
victos in urbem receperunt, ut ex hostibus a-  
micos, ac cives fidissimos haberent, neque e-  
nim postea discrimen Sabinorum, Albanorū,  
aliorumque fuit, omnes Romani fuere. Quod  
si victis imperare obsides, gravia tributa, aliâ-  
que onera voluissent, nã illi haud urbes nobi-  
les in officio continuissent: vel inter se, vel  
cum

cum vicinis rebellassent. Postea adultâ potentia id fecerunt, & in victoria crudeliores fuere. Quodsi in urbem, & Jura civium admittere non placeat, in socios, & subditos assumantur moderatè, quod Romani potentiores fecerunt. Postquam enim socios, civisque tot habuerunt, ut aliam Rempublicam nullam timerent, victos tributarios fecerunt, & subditos. Quo casu benè, & moderatè habeantur subditi, hoc enim fideles eos efficit. Sit in ipsa victoria clementia, quâ jure gentium deditis parcitur: ut post victoriam hostilitas desinat. *Comzén.* Truculentum est consiliû Machiavelli apud cit. Auct. qui, *nullum consilium, ait, tutius afferri potest, quo securè possideantur* (civitates liberæ) *quàm eversio.* Nimis durum hoc est, & barbarum occidere, ne aliquando rebellent, cum tot suppetant aliæ rationes rebellionis arcendæ: ut, migratio, abductio nobilium, coloniarum inductio, arcium adjunctio (Citadella vocant) armorum redemptio &c. Ditmarsii ab Holsatis pressi cum in templum fugissent, & Religione se tutos fore sperarent, Holsati admotis ignibus eos vivos exurere tentabant; at illi eruptione facta impiam victoris crudelitatem vindicaverunt, & duodecim Duces, & Comites, ac duo millia cæciderunt. Victori suadet Contzenius, ut pacem æquam det victis; *nam, inquit, cap. 61. duram, contumeliosamque nemo servabit diutius, quàm necesse est.* Si moderata victor Imperet, accipientur e conditiones; si gravia, potenti se Principi committent tanquam dedititij. Campani à vicinis pressi Romanis se dederunt, & eorum hostes deleti sunt. Victores milites cohibendi, ne spargantur; sæpè enim acies fusa sequentes fudit Victores.

III. *Iuste utendum victoria:* scire in captivos haud licet, bona tamen eorum victori cedunt; innocentibus gravis non sit victoria, auxiliis grata, vicinis non onerosa. Tormentis extorquere thesauros, inermes, impuberesque cædere, libidinibus omnia scædare injustum est: hæc majore cura Imperator, quàm hostium arma vitabit; per hæc enim victoriæ fructum perdet. Cum jis, qui subditi Principi suo serviunt, & causam belli nec examinant, nec possunt, valde leniter agendum: pacis causa, pugnasse ostendat victor. Sthenius Martinos ad defectionem sollicitaverat, eos delere Pompejus cogitabat, tunc Sthenius; *non æquum fuit, Magne, quod propter me unum mortuum eos innoxios occidere paras: quam animi Magnitudinem incolumitate sua, & civitatis doperit.* *Comzénus.*

IV. Q. 2. Quis victus in Clade se gerat? *Prudenter eam, & fortiter ferat, nisi Cladem ex clade sibi ferere velit.* Si justum, ac pium geritur bellum, animus non abjiciendus, sed justæ causæ fiducia languentem accendat, & speratum à Superis juvamen: ad Supremum, quod rerum humanarum vicissitudines moderatur, Numen confugiat prece: consiliò interim, arte, vigilantia in id incumbat, ut victoriæ cursum sistat, aut contumpat, omnia strategematum genera animo volvat, & revolvat: dabit occasionem victoris securitas, nec vetera duntaxat pensabit; ad nova excogitanda ipse, Ducisque intendant animum; sæpè victoria, multo sanguine parta vasro astu elusa est, ut fructus exiguos ferret. Urbes ad resistendum opportune firmandæ, novi delectus, nova auxilia quaerenda, desperatio cavenda: *Fortes, & strenui contra fortunam insistant, spe, timidi, & ignavi ad desperationem properant:* sæpè bello victor extitit, qui pluribus præliis victus est. Romani tribus ingentibus præliis victi, Clade Hispaniensi juncta, hoc solo Imperium tenuere, quod animis non cedere, instabilis est fortuna, & sæpè victor victus est: habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, secunda ex adversis nascantur. Non occultandos cladis Nuntios ex Tacito Lipsius scribit. At sanè, ut eadem tuam victum nosse oportet, ita eam vulgo, & hosti occultandam ratio suadet; famæ enim stant bella: ita tamen est occultanda, ut remedia non differantur, urbes interim opportunè occupandæ, firmandæ; ancipites in officio continendæ &c.

## S. II.

## De Pace, &amp; Treuga.

1. Quid sit Pax? n. 1. & seqq.
2. Quid sit Treuga, & quatuorplex, & qui ea gaudeant? n. 6. & 7.
3. Qua ratione hosti fides servanda. n. 8.

I. Q. 1. Quid sit Pax? *Redet. S. August. de civit. Dei lib. 19. cap. 13. quod sit tranquillitas ordinis. Pax corporis, inquit, est ordinata temperatura partium, pax anima irrationalis ordinata requies appetitionum. Pax anima rationalis ordinata cognitionis, actionisque consensus. Pax corporis & anima ordinata vita, & salus animantis. Pax hominis mortalis est Dei immortalis ordinata in fide sub aeterna lege obedientia. Pax hominum ordinata concordia. Pax deorum ordo*  
nata

*nata imperandi, atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis ordinata imperandi, atque obediendi concordia civium. Pax Cælestis civitatis ordinatissima, & concordissima Societas fruendi Deo, & invicem in Deo. Pax omnium rerum tranquillitas ordinis.* Juxta hanc S. Augustini Doctrinam duo requiruntur in Republica, ut pax habeatur, *Ordo & tranquillitas*, seu concordia; nec sufficit Ordo sine tranquillitate, nec tranquillitas sine ordine; nam *Ordo*, qui reperitur in aliqua Republica optimè quidem *Ordinata*, & instituta, se turbante, & vel seditionibus internis, vel bellis externis ab hostibus coacta, non sufficit ad pacem; quia deest tranquillitas. Et *tranquillitas*, quæ reperitur in aliqua communitate inordinata ob defectum subordinationis in regimine, etiam non sufficit ad pacem saltem constantem, & durabilem; quia deest ordo, sine quo tranquillitas, hoc ipso, quod ordinata non sit, diu durare haud potest.

II. Est autem Ordo, ut cit. Aug. definit. *parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Ordo Republicæ in debita coordinatione, dispositione, subordinatione parium, dispariumque civium, & Magistratum inter se se, & cum suo capite consistit. Varius est hic ordo, sive coordinatio civium inter se, & cum suis Magistratibus, prout variæ sunt Republicæ, quæ vario regiminis modo se gubernant; aliter *Monarchia*, aliter *Aristocratia*, aliter *Democratia* ordinata est. Pax igitur turbatur, quando tranquillitas ordinis turbatur, quod fit vel per bellum ab hoste externo, vel per seditiones, & mortus intestinos.

III. Sicut autem datur ordo in qualibet Republica particulari, qui est recta coordinatio civium inter se; ita similis ordo datur in genere humano (quod est quædam communis Republica, cujus omnes Republicæ membra sunt) qui est recta coordinatio, & concordia gentium, nationum, Rerumpublicarum inter sese; quemadmodum ergo pax in aliqua Republica turbatur, cum tranquillitas ordinata membrorum inter se perturbatur à membris, ita pax in genere humano turbatur, cum tranquillitas ordinata Rerumpublicarum inter se perturbatur; hoc discrimine, quod ordo membrorum Republicæ subiaceat Magistratui, qui turbatam tranquillitatem ordinis restituat, & membra turbantia in ordinem redigat, puniat &c. Republicæ supremæ verò, seu membra generis humani, non subiacent communi alicui Magistratui supra totum

humanum genus constituto in terris quoad temporalia, sed soli Deo. Hinc sicut, si membrum alicujus Republicæ ab alio membro perturbatur in suis bonis, quæ post divisionem rerum possidet, aut injuriâ afficitur, læsa est tranquillitas ordinis, & pax, cujus restaurationem petit à Magistratu; sic, si Republica ab alia perturbetur in suis possessionibus, aut injuriâ afficiatur, bellò restitutionem tranquillitatis, & satisfactionem querere potest; quem finem unice respicere debet bellum, ut ritè suscipiatur, & geratur. Hinc ordo tranquillitatis pacis in lege naturæ, & gentium fundatur: quæ petunt, ut nemo alteram lædat in bonis, quæ post divisionem rerum possidet, neque ipsi injuriam inferat: qui ordo, nisi à lædentibus restituatur in hac vita, (non enim, ut supra dictum, semper vincit, qui justum bellum habet) restituit Deus in Decretorio Judicij extremi die, cujus providentiâ mundus gubernatur non pro hoc sæculo, sed pro æternitate. In Republica præter legem naturæ, & gentium, sunt & aliæ leges constitutæ, ad quarum normam conservatur, & restauratur tranquillitas à Judice: in genere humano verò gentes jure naturali duntaxat, & jure gentium eas reductiones faciunt. Ex quibus liquet, pacem esse posse sine bello, prout cit. Aug. annotat.

IV. Hoc sensu Pax tripliciter sumitur 1. *Pax hominis cum Deo*, quando homini rectè convenit cum Deo Creatore suo obsequendo ejus voluntati; ordo enim rectus naturæ id petit, ut Creatura se subjiciat voluntati, ac præscriptis Legibus illius, à quo & condita est, & conservatur; quo fit amica Dei: hunc ordinem turbat, quisquis Dei præcepta, sive naturalia sint, sive scripto tradita, violat per gravem noxam, & fit inimicus Dei. 2. *Pax hominis secum ipso*, quando homini rectè convenit secum ipso, quod fit resistendo propriis cupiditatibus; eas in officio continendo, & rectæ rationi subjiciendo, rationemque Deo: hanc perturbat homo sceleratus, qui passionibus rationem servire facit. 3. *Pax hominis cum proximo*, quando homini rectè convenit cum proximo, & servatur ordinata concordia; quam perturbat, quisquis proximo injuriam infert, aut jura ejus invadit. Quod si fiat publica auctoritate per arma, bellum erit.

V. Paulò aliis verbis pacem describunt Sannig, & Vallens. ad Tit. de Treuga, & Pace; quod sit *vinculum Charitatis, seu amicitia, & con-*

*cordia. ca. novis. 3. de Iudic. aliter alij ex Jctis, ut, quod sit hostium inter se certis conditionibus de bello in totum tollendo legitime facta transactio, Robert. König Lib. 1. Decretal. tit. 34. §. 9. Verum hæc transactio convenit potius restauracioni pacis. Quæ quidem conventio Juris gentium est, quemadmodum ipsum bellum.*

*Cardin. Mantica de Tacit. & ambig. convent. lib. 27. tit. 1. n. 4. & tit. 5. pr. contractum pacis reducit ad contractus bonæ fidei, ut adeò multa comprehendi possint, quæ verbis non sunt expressa, & ideo etiam subditi, & successores debeant intelligi esse obstricti; quia plerumque tam hæredibus nostris, quam nobis cavemus. Nec impedit, quod Jcti pacem assimilant transactioi quam stricti juris esse constat; nam, ut habet cit. Mantica, & Besoldus Dissert. Politic. Jurid. de pace cap. 1. n. 4. hoc intelligitur quoad effectum, ut pax difficilius rupta videatur, & ne quis videatur in pœnam incidisse; neque enim pacem rumpit, qui non facit contra capitula pacis, quæ ob id stricti Juris intelliguntur; unde etiam in contractu pacis Masculinum non concipit fœmininum, ne pœna commissã intelligatur. Paci affinis est treuga, de qua extat titulus 34. in lib. 1. Decretalium.*

*VI. Q. 2. Quid sit treuga? R. Est securitas præstita rebus. aut personis ad tempus, discordiã (vel bello) nondum finitã, sive: est cessatio ab armis ad tempus. Joa. Honorius. Daniel Venatorius. Krimer, & DD. passim. ex gl. in ca. 1. de treug. & pace. dicitur & armistitium, inducia &c. ein Waffen-Stillstand. Pirhing. nam vox Treuga latina non est; sed eam à Germanico Trew / oder Anstand derivat Spiegelius in lexico Jur. differt Treuga à Pace, quia per pacem omnino finis ponitur discordiæ; seu bello; per Treugam verò cessatur ab armis solum ad tempus. Dividitur verò Treuga in conventionalem, & Canonicam: Conventionalis Treuga est conventio, seu pactum inter hostes solenniter initum de cessando ab armis ad certum aliquod tempus; estque Juris gentium; nam omnium gentium consensu secundum æquitatem naturalem constitutum est, ut etiam hosti fides servetur. can. Noli 23. q. 1. ca. pervenit de jurejurando. Quare tempore induciarum capta non fiunt capientium. Canonica Treuga est, quæ à SS. Canonibus est constituta C. 1. & 2. de Treug. & Pace. eaque est duplex, perpetua, & absque ulla temporis præsi-*

*nitioe facta; & temporalis, quæ pro certo tempore est constituta.*

*VII. Treugã perpetuã gaudent Clerici, Monachi, & eorum conversi, aliique Religiosi, peregrini, mercatores, viatores, rustici, & in agricultura existentes, animalia quoque, quibus arant, & semina portantur in agros; qui omnes plena securitate, tempore belli, & aliã gaudere debent. ca. 2. de Treuga innovans. can. si quis 23. & seq. caus. 24. q. 3. horum quidam nec per se possunt in bello spoliari bonis suis, aut in persona Lædi, seu puniri, cum personaliter non noceant, nec sint injuriæ auctores, vel Cooperatores, ut supponimus; neque per accidens ratione reipublicæ nocentis, contra quam justum bellum offensivum geritur; cum non sint ejus partes, vel membra, ut Clerici, Religiosi, Peregrini &c. quidam verò securitate gaudent tempore belli ob publicam necessitatem, ut mercatores, agricolæ, ne commercia. & agriculturæ impediatur cum gravi incommodo totius Reipublicæ; licet tales aliquin sint partes Reipublicæ nocentis: quostamen per accidens aliquando bonis suis spoliare licitum est, etiamsi ipsi personaliter non noceant, si alia ratione victoria, & pax obtineri nequeat, ut supra dictum. Pirhing de Treuga, & pace n. 5. cum Lay. Gaudent autem hoc privilegio securitatis rustici quamdiu vacant agriculturæ, sicut milites gaudent suo, quamdiu actu militant. L. fin. ff. de milit. & mercatores, quamdiu mercimonia exercent; peregrini, quamdiu peregrinantur, legati, quamdiu in legatione sunt, Clerici, & Monachi, quamdiu regulariter vivunt, & Ecclesijs servant, professores, & studiosi, quamdiu in Scholis publicè docuerint, vel studuerint. Pirhing n. 6.*

*Treugã temporali omnes gaudent eo tempore, quo illa durat; durat autem de Jure à quarta feria post Occasum solis, usque ad secundam feriam in ortu solis ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & à Septuagesima usque ad octavas Pasche, ut loquitur ca. 1. de Treuga. Ob Reverentiam scilicet temporis adventûs, & Quadragesimæ, quibus temporibus renuentes Episcopus loci ad Treugam servandam compellere potest sub excommunicatione, nisi inevitabilis urgeat necessitas. Verum hæc constitutio, vel est consuetudine abrogata, vel nunquam usu recepta. Gl. in cit. ca. V. frangere Pirhing n. 4. Gonzalez n. 17. & hoc teste omnes ferè Interpretes: die Festo verò pugnare etiam*



sinè necessitate, & majori commoditate, non esse lethalem culpam, censet Molina *disp. 111.* modò Sacrum non omittatur, si, commoditas sit illud audiendi, quòd pugnare non sit magis opus servile, quàm hastiludium, quod absque lethali culpa exercetur Die festo.

VIII. Q. 3. Qua ratione fides hosti sit servanda? *Re. 1.* Nefas est hosti fidem in Treuga, vel pace, aut aliàs datam frangere; nisi ille prius fregerit; nam tunc fraugenti fidem fides frangatur eidem *can. noli. 23. q. 1.* quia pactum semper habet imbibitam tacitam conditionem: *Si tu spes pacto, & ego illi stabo.* Molin. *disp. 111. Re. 2.* Si, quod hosti promissum est, ex objecto esset iniquum, ac malum, servari non posset, licet juramento esset confirmatum. *can. in modo 22. q. 4.* nam, ut Jctorum apophthegma Sonat, *juramentum non est vinculum iniquitatis*, hoc est, ad malum, etsi veniale tantum, obligans. *Re. 3.* Si, quod promissum est, *injustè exigitur, & accipitur ab hostibus*, promissio non obligat, sed irrita est, neque stringit, ut impleatur; nisi juramento fuerit confirmata; si enim juramento fuit confirmata, & promissor potest sinè peccato eam implere, tenetur implere sub obligatione Religionis in Reverentiam Dei, qui in testem assumptus est, esto, cui promissum est, non possit sinè peccato accipere *ca. debitores de iurejurando*: quia verò *obligatio justitia* ex ea promissione orta non est, potest rem datam repetere, aut occultè sibi compensare. *Re. 4.* Si, quod promissum est, justè exigitur, & accipitur ab hostibus, impleri debet, etsi valde grave, ac onerosum sit promissori, ut, si bello justo, aut certè de quo non constat, esse injustum, Princeps esset captus, & in illius redemptionem vel ingens pecuniæ copia quot annis solvenda, vel grave aliquod tributum esset promissum. *Nolin.*

IX. Possè autem subditis collectas indici, ac tributum pro redimendo Rege, vel aliò Domino territoriali è captivitate, habet Speculator (is est Guilielmus Durandus à suo speculo Juris, quod scripsit, speculator dictus) *tit. de Feud. §. quoniam. n. 67. vers. & nota.* Nicolaus Boërius *in Decis. Burdegals. 126.* ubi *num. 11.* refert, pro redemptione Regis Francisci Galliam anno 1527. mense Decembri annuisse Regi Talliam ad duorum Millionum Summam pro sua redemptione per Regem Hispaniarum petitam. Et simili modo tempore Joannis Regis ab Anglo capti ordinatum

fuisse, ut à Clero, atque Nobilitate Decima, & Semis omnium proventuum anni unius exigeretur; & civitates, & reliqua per Regnum oppida singula ex singulis hominum centenis unum militem instruerent, & ad bellum mitterent, ac etiam millia triginta persolverent. Idem sentit *n. 12.* pro filio ab hostibus redimendo.

Limitat Sylvester *V. Dominium. q. 5. Si Dominus territorialis in bello ex parte sua justo sit captus*: & regulam tradit, quod tunc tantum possit Dominus exigere collectas à subditis quando id necessarium, vel utile est reipublicæ, & propriæ facultates non suppetunt, si autem sinè justa causa Dominus extorquet, tenetur ad restitutionem, ut, si velit ludere, & ultra vires ad pompam, aut inanem gloriam, vel alium illicitum finem exponere, vel injustè pugnare, aut ex justa captivitate se redimere. hæc Sylvester. Quia Principatus est intentus ad meram civium utilitatem, non ob regentium commodum; ut enim tutela, sic procuratio reipublicæ ad utilitatem eorum, quibus commissa, gerenda est, ut ex comuni sententia ostendit Ferdinandus Vasquez *Illustr. Controv. lib. 1. cap. 7.* unde infert, quòd Princeps, vel alius Dominus terræ non possit subditis suis imponere collectas pro sua filia in matrimonio collocanda, vel pro ingressu Monasterij dotanda, quas collectas alicubi die *Frenlein. Steuer* appellant; quòd tales cives ad dotandam filiam sui Principis non magis cogi possint, quàm pupillus ad dotandam filiam sui tutoris, cui tutelæ æquiparatur Principatus. Idem habet Paulus Castrenf. *in L. in nostra Serenitatis 3. C. de Statuis, & imag. & in L. Neminem 11. C. de Sacros. Eccles.* Sed hæc non sunt nostri intenti; de tributis enim agere non vacat; de quibus videatur Molin. *tr. 2. disp. 661.* Less. *lib. 2. cap. 33. per totum.* Jacobinus de S. Georg. *de Feud. & de Homagiis.* Christoph Winzler *in Observat. & Consiliis de Collectis per totum.* Quoad Clericos Jacobus Pignatelli *tom. 2. Consult. 30. & 54.* & Canonistæ *in tit. de immunit. Eccles. & de Censibus.* At manum de tabula. plura addere animus erat, ut, de Ordinibus Equitum Militarium Melitensium, & aliorum; de Legibus militum, ac Ducum, quæ saluberrimæ in Reecessibus Imperij extant; de apparatu, strategematibus, & aliis bella concernentibus, & maxime in votis erat pacis tractatum pleniorè adjicere; sed temporis, & pagellarum Angustia

stia vela contrahere jubent, & Cymbam ad portum appellere; appellimus ad portum Pacis, quæ, dum hæc scribimus, ubique inter festiva Tormentorum reboantium tonitrua resonat, quam tot votis, quot suspiriis Europæ

tamdiu exoptatam reduxit Angelus Pacis, quem in fronte præfert libellus iste Belli & Pacis Arbitrator Magnus Eugenius.

## PARERGA JURIDICA.

**L**eges Civiles non se extendunt extra territorium legislatori subiectum. 2. Legislator non potest ferre legem in suum proprium commodum. 3. Princeps vel Dominus Territorij non potest subditis suis collectam imponere præfisa in Matrimonio collocanda, vel pro ingressu Monasterij dotanda, vulgò die Freyleins Steuer. 4. Lex civilis obligat etiam conscientiam. 5. Ut obliget, non requirit acceptationem Populi. 6. Requirit tamen promulgationem publicam. 7. Unde, quis eam antequam promulgetur, privatim sciens, non obligatur, nisi postquam promulgata est. 8. Constitutiones tamen Canonice universales obligant omnes Christianos, quamprimum Roma sunt promulgatae. 9. Peregrini, & vagi non stringuntur particularibus statutis locorum, per quæ transeunt. 10. Consuetudo, si rationabilis sit, abrogat legem humanam. 11. Consuetudo abrogans legem introducit per actus peccaminosos. 12. Iudex in dubia causa non potest judicare pro Amico. 13. Iudex qui suscipit officium, quo indignus est, peccat graviter, & tenetur officium deponere. 14. Si Iudex advertat, unum è litigantibus, vel ejus Advocatum aliquid omittere, quo allegato vinceret, debet supplere & suggerere ea, quæ sunt Juris, non verò ea, quæ sunt facti. 15. Iudex si ex magna imperitia male judicat, tenetur ad interesse parti læsæ. 16. Pariter si sine justa causa noscibiliter causam differat, ad interesse ex dilatione secutum. 17. In regimine Ecclesiastico datur gravis obligatio præferendi digniores ad beneficia Ecclesiastica, si excessus dignitatis sit magnus & boni communis multum interfit, sive beneficium sit curatum, sive non. Idem obtinet in Regimine Politico, quoad officia Republicæ. 18. Valida sunt acta Iudicis, qui verè Iudex non est, quia caret Jurisdictione, aut eam, quam habuit, privatus est, si communiter à Populo pro vero Iudice habeatur, & titulum coloratum, ac putativum habeat datum à legitimo Superiore. 19. Secus, si sit intrusus. 20. Iudex in causis criminalibus, ubi agitur de pœna capitis, vel mutilationis, non potest condemnare publicè probatum nocentem, quem suâ privata scientiâ scit esse innocentem. 21. Sed si eum liberare non valet, tenetur officium deponere, imò ipse tenetur potius pati mortem, si eam aliter evadere non potest, quam per condemnationem talis innocentis. 22. Sententia, quæ transit in rem Indicatam, tenet, licet contra Ius partis reperiat lata. 23. Et ne quidem revocatur ob instrumenta Authentica noviter reperta. 24. Irritè iudicat Iudex Sacularis in causis Decimarum, sive de Iure possessionis, sive proprietatis agatur, scilicet quando est quæstio meri facti. 25. Clerici non sunt domini absoluti reddituum Ecclesiasticorum superfluum. 26. Sed eos ex Iustitia tenentur expendere in pias causas. 27. Sicut Matrimonium ita Sponsalia metu gravis extorta irrita sunt. 28. Pœna Sponsalibus licitè apponitur solvenda ab eo qui iurans è relictus. 29. Sponsalia clandestina valent. 30. Qui sub spe Matrimonij fidei promissi defloravit Virginem tenetur eam ducere. 31. Sponsalia etiam jurata mutuo consensu contrahentium dissolvuntur. 32. Si Sponsalia mutuo consensu dissolvuntur, remanet impedimentum publica honestatis. 33. Per ingressum alterius ex Sponsis in Novitiatum alicujus Religionis solvuntur ex parte manentis in saeculo, non ex parte ingressi. 34. S. Pontifex potest dispensare in Matrimonio rato. 35. Matrimonium nisi coram proprio Parocho, & duobus testibus contrahatur, irritum est. 36. Proprius verò Parochus præter Episcopum est Parochus domicilij, vel quasi domicilij. 37. Qui discedunt è loco, ubi Tridentinum receptum est, & adeunt locum, ubi non est receptum, ut ibi contrahant sine proprio Parocho dein reversuri, contrahunt irritè. 38. Per matrimonium cum alia subsequens non omnino extinguuntur Sponsalia cum alia prius contracta. 39. Consensus Parentum ad valorem Matrimonij necessarius non est. 40. Filiosfam: neque jurato potest renuntiare S. C. Macedoniano. 41. Usura prohibita sunt Iure Divino, & Naturali. 42. Censum tamen ultra sortem accepti valent. 43. Etiam utrinque redimibiles. 44. Sicut & contractus Antichrescos per modum census initus. 45. Iuramentum de solvendis usuris præstitum stringit obligatione Religionis. 46. Simonia, qua committitur in venditione Beneficiorum, est contra Ius Divinum, & Naturale. 47. Prescriptio legitima in utroque foro valet. 48. Ad omnem prescriptionem requiritur bona fides. 49. Decima quoad congruam sustentationem debentur Clericis Iure Naturali Divino, quoad determinationem verò Decime partis fructuum solum Iure humano. 50. Decima Novatium de Iure spectant ad Parochum, etiam quando Laicus ex privilegio cum ipso existit Censu decimator in aliquo districtu ab immemoriali tempore.

# INDEX RERVM.

Numerus denotat paginam.

- Accusatio.** Quando liceat? 68.
- Aggressor.** Injustus quis? 167. Quando liceat aggressorem prævenire occidendo. 168. Quando injustè invaluus teneatur occidere aggressorem? 166. Etiam Clericis, & Religiosis permissum pro defensione rerum suarum occidere injustum aggressorem, 175.
- Assassini.** Qui sint? Astus regis Assassinorum quo parvulos ad assassinatum induxit. Assassinorum Infidelium operâ Christiani usi sunt ad occidendos suos inimicos. 192.
- Bannum.** Quid sit. Ejus origo. Bannum Ecclesiasticum & Imperiale. 190.
- Bellum.** Non licet inferre ob rationem Statûs. 197. Neque sine prævia indictione. *ibid.* v. Diffidatio quid in Bello contra Rempubicam à membro; aut contra suum Principem Superiorem. 197. Definitio, divisio, origo Belli. 202. Bellum jure naturæ, & gentium licet, & Jure Divino in antiquo testamento. 205. Sicut & apud Christianos, & contra Turcas. 206. Pro Theodosio, Honorio, pugnavit Deus. 208. Argumenta Lucherii, & aliorum Sectariorum frivola dissolvuntur. 209. & seqq. Bellum cur non temerè suscipiendum 212. De Consilio prævio Belli, quale id esse oporteat. 214. vide Deliberatio. Bellum justè suscipiendû, & condiciones ad hoc requisitæ. 219. Quæ auctoritas ad Bellum suscipiendum requiratur. 221. Status Imperij injustu Cæsaris Bellum suscipere non possunt, nec alij, qui Superiori Principi subsunt. Quid de Gente barbara, quæ nullam habet Rempubicam, aut si plura regna subsint eidem Principi. *ibid.* De justa causa suscipiendi Bellum, & quomodo liceat experere vindictam. 226. Justæ causæ particulares Belli, & de transitu bellantibus concedendo. 229. Causæ propter quas Principes Christiani bellum suscipere possunt in Infideles. 232. An possit dari bellum utrinque justum? 236. Causæ injustæ belli. 241. Qualis Certitudo de justitia belli requiratur, ut bellû inferri possit. 244. Non potest bellum inferri ex sententia solum probabili. 246. An Princeps ex justa causa bellum movens teneatur, oblata Competente satisfactione, à bello cessare. 247. Quæ sit Competens satisfactio. *Ibid.* An possit hostes dignos morte petere ad pœnam Capitalem ipsis infligendam. *Ibid.* Consultum est, ut satisfactionem oblatam non aded exactam acceptet, & Clementiâ pœnâ mitiget. 249. De rectâ intentione suscipiendi bellum. 249. An & quomodo liceat cooperari ad bellum injustum? 261. An liceat uri insidiis, & strategematis? 261.
- Beneficium** conferens minus digno quomodo peccet? 71.
- Certamen.** Particulare licet ex causa boni communis auctoritate Magistratûs, 163. Ob defensionem vitæ sub moderamine inculpatæ tutelæ contra injustum aggressorem. 165. Quid sit moderamen inculpatæ tutelæ? 165. Quando liceat certamen singulare ob defensionem rerum suarum? 170. Et quando pro recuperatione earum? 173. Quantus rei valor censeatur sufficiens ad occidendum invaluorem? 171. Quando spoliatus dicatur in continenti recuperare rem suam. 174. Quando liceat pro defensione proximi? 176. Qui teneantur innocentem defendere? 177.
- Clerici.** An & quando bellare possint. 249. An possint bello interesse, & exhortari ad pugnam, & an possint suadere bellum justum. 250.
- Consilium belli.** Prævium quale esse debeat. 214. & seqq. Regulæ instituendi rectè deliberationem ad bellum suscipiendum. 217. Causa belli. v. bellum.
- Constitutiones.** Ecclesiasticæ stringunt omnes baptizatos, etiam A catholicos. 119, & 36.
- Defensio honoris** v. honor.
- Defensio pudicitia cum occisione invaluoris licita. 183.
- Deliberatio.** Qualis ad bellum requiratur. 212. 217.
- Diffidatio.** Quid, quotuplex &c. 189. Diffidatio Banni 190. V. bannum. Diffidatio belli privati grassabatur tempore Bullæ aureæ, eliminatur per recessus Imperii: signa diffidatoria, Scopæ, Titiones, Carbones suspensi &c. quomodo differant Diffidationes à minis. 194. Diffidatio belli publici debet præcedere bellum jure gentium, & naturæ, exceptis quibusdam casibus. 197.
- Dominium.** Quid, & quotuplex. 59. Ejus titulus. *Ibid.* Defendere proximum Innocentem qui teneantur? 176. 177. Quæ defensiones occisivæ sint prohibita per propositiones damnatas ab Innoc. XI. & Alex. 7. 178. Dominium duorum perfectum in solidum in eandem rem implicat. 239.
- Duellum.** v. Monomachia.
- Dux.** De obligatione ducum. 251. In quibus potissimum delinquant contra suam obligationem? *Ibid.* Dotes Belliducis. 253. Belliduci in regenda libertas non nimium coarctanda. *ibid.*
- Ebrietas** an liceat ad vitandum duellum, vel mortem. 142. Peccant qui hospites studio inebriant. 143.
- Ecclesia,** & ejus Jurisdictio in omnes Christi fideles nunquam defecit. 46. & seqq. Infelix exitus eorum, qui Ecclesiam, ejusque Jurisdictionem persequuntur. 48.
- Fides.** Hosti servanda. 266.
- Fœdera.** Sanctè ineunda, & custodienda 23. Peccat graviter Princeps, vel respublica, si modò huic modò alteri bellantium parti sua arma jungat, prout ad majus suum emolumentum esse videt 23. Qui ob emolumentum suum socium, cum quo fœdus habet, deserit, facit injustè, & tenetur socio resarcire damna. 24. Idem est, si invito confederato cum communi utriusque hoste particularem pacem concludit. 24. Verba in fœderibus proprie sinè restrictione &c. accipienda. 24. 25. Fœdera inter summos reguntur jure naturæ, & gentium. 25. Quæ sint Juris gentium improprie dicti, & sinè mutua obligatione inter gentes. 27. An, & quando liceat societatem armorum habere cum infidelibus, & hæreticis? 257.
- Femina.** Nâsfragia arcanorum, 79.

Fuge

**Fornicatio** est contra jus naturæ: v. Jus, 11.  
**Fortitudo** in quo consistat? 138.  
**Fugere** quando teneatur injustè invasus? 169.  
**Funambulus** peccat mortaliter, quando se exponit periculo vitæ. 188.  
**Gloriari**. Perversi in vitiis gloriantur. 140. 141.  
**Honor**. An sit honor pugnare in Duello. 137, v. Monomachia. Honoris invasorem injustum an, & quando liceat occidere? 180. Propositiones damnatæ 181. An alapa pertussus possit percussorem fugientem insequi, & occidere? 181. 182.  
**Judex**. Ejus dotes. 82. Maxime ipsi cavenda munerera, & amici. Ibid.  
**Jus**. Quid sit, & quod duplex. 2. Jus prout est potestas de re disponendi. 55. Jus proprietatis, & Jurisdictionis. 57. Juris naturalis descriptio, & in quo differat à conscientia. 4. Gentiles omnes possunt salvari, si legem naturæ observent. 7. Exempla. 8. An lex naturæ sine gratia servari possit. Jus naturæ in animalia non cadit. 11. Fornicationes sunt contra Jus naturæ. 12. 13. Tribus modis potest aliquid esse de Jure naturæ. 14. 15. Est per se immutabile, per accidens tamen potest mutari, non tamen omnium jurium naturalium materies. 15. 16. An Deus dispense in lege naturali. 123. Vide lex naturalis.  
**Jus gentium** quid, quod duplex, & ratio illud introducendi. 17. 19. In quo differat à Jure naturæ, Canonico, & Civili. 18. 19. Juris gentium est jus belli. Item modus indicendi bellum per fœdalia, illudque prosequendi. 20. Fœdera pacis & Induciarum, & Jus Commercij apud gentes non hostiles. 21. Non tamen potest mutari ab aliquo regno particulari sine consensione omnium gentium. 21. 22. Potest tamen aliqua communitas præcipere, ut sui cives non servent inter se jus gentium, sed sine præjudicio aliarum gentium. 22. Potest Jus gentium aliqua mala permittere Ibid. Est præceptivum sub peccato. 22. v. 229.  
**Jus Canonicum** Ejus descriptio, divisio, & auctoritas 34. obligat omnes baptizatos 36.  
**Jus Civile**. Multitudo legum non proficua 43. leges civiles in Ecclesiasticos vim non habent in spiritualibus 44. 45. Acatholici tractantes Jus Canonicum, & Jus Publicum caute legendi. 35. & seq. Regulam credendum cum regula agendi miscent, & utramque suo genio versant. 38. Eorum refugium ad Sacram Scripturam inane ostenditur. 38. 39. Calumniis Jurisdictionem Romani Pontificis conantur obliterare. 46. Perniciosè iis traduntur Juvenes Catholici erudiendi, ut jus publicum ab eis discant. 46. Justitia commutativa. 62. & seqq. Legalis 65. Vindicativa. 67. Distributiva, ejus proportio Geometrica, & Arithmetica. 69. Non respicit Jus rigorosum. 70. Quomodo distribuenda officia reipublicæ, & communitatis. 71. An possint vendi? 74.  
**Laus**. Laus virorum animi excelsi manuetudo. 139. exempla. Ibid.  
**Legati**. Eos admittere sub lege immunitatis est Jus gentium. 19. Injuria legatis illata sæpè causa gravium bellorum. 20. Non omnes legatos admittendos jus gentium præcipit. Ibid.

**Lex**. v. Constitutio. In lege naturæ Deus non dispensat. 124. Materia legis naturalis. Ibid. Discrimen inter legem naturalem, & aliam. Ibid. Vide Jus naturale. An Præcepta Decalogi sint Dispensabilia. 127.  
**Legio** fulminatrix Christiana Romanis impetravit pluviam. 207. Legionum militum Sanctæ. 208.  
**Magistratus** politicus non potest ferre leges in Ecclesiis, & personas Ecclesiasticas. 49. Nec potest privilegia, quæ Ecclesiæ concessit, revocare. 51. &c.  
**Miles**. An & quando milites tam subditi quàm Conductitii teneantur justiciam belli examinare? 254. 255. 256. Ad quid obligentur milites vi muneris sui? 256. In transitu vel hybernis nil possunt exigere ultra stipendium. Ibid. Ad quid teneantur, intelligentes bellum esse injustum. 256. Milites sancti. 208.  
**Monomachia**. Ejus definitio, Divisio origo, & usus apud varias gentes. 87. & seq. Causæ monomachia, & solemnitates. 93. & seqq. De Judice, provocatore, provocato, & Patris. 99. & seqq. De exceptionibus, procuratore, & pugnante pro alio, & de stadio, ac sine illius. 104. & seqq. Monomachia prohibita est Jure Civil, Canonico, & naturali. 116. & seqq. Quando liceat mutilatio sui. 132. Lædit Monomachus Charitatem erga proximum, & erga se. 123. Licita est Monomachia, si Deus dat potestatem. 123. Non est sic intrinsecè mala, ut in nullis circumstantiis sit licita. 124. Non licitè suscipitur ob pactum honoris. 133. Exemplum. Ibidem. An liceat ad servandam dignitatem, officium bellicum &c. 134. Probrum est, non honore pugnare Monomachia 137. Non fortes, sed imbelles se ostendunt monomachi. Fœdiorem mortem obeunt, quàm paribularij 38. Summa insania potius velle perire, quàm se victum fateri. Media declinandi Monomachiam honore illæso. 141. Exempla, & responsiones ad provocationes. Ibid. An liceat se inebriare ad vitandum Duellum, vel mortem. Ibid. Vide purgatio vulgaris. De Poenis Monomachia, vide Poena. Qui possint Monomachos absolvere. 159. Factum prudens cuiusdam Parochi. Ibid. vide Provocator.  
**Motivum**. Motiva credibilitatis Religionis Catholice. 32.  
**Occidere** se ipsum directè non licet, licet tamen subinde indirectè. 128. 129. Exempla eorum, qui seipso occiderunt. Casus, in quibus licet indirectè sui occisio. Ibid. Quos paratà victoria liceat occidere? 259. An obides, quorum Princeps fidem fregit? 260.  
**Officia** Reipublicæ an possint vendi? 74. Nimiùm delicatè, & nimiùm politicè educati pro officij Reipublicæ non quadrant. 85.  
**Pax**, quid sit? 263. Quid sit Treuga, & quod duplex & qui eà gaudeant? 265.  
**Pœne** statutz in Monomachiam, in Dominos territoriales eam in suo territorio concedentes, in ipsos pugnantes, in patris, consulentes, faventes, Spectatores, &c. 154. & seqq. 160. 161.  
**Princeps**. Finis Principis, 60. Principum virtus

propria justitia, & quomodo ab eis administranda 61. Urgenda in Ministris 85. Illustria Exempla Principum administrantium justitiam 61. 75. Sapiens factum Rudolphi Austriaci in indaganda justitia 62. Distribuens Officia Reipublicæ, & Communitatis minùs dignis quomodo peccet? 74. Expediit, Principem ipsum Jus dicere. 75. Hujus rei Exempla, ibid. Adhibendi Assesores. 76. Solis Consiliariis, & Officialibus periculose tribunalia relinquuntur, nisi & Princeps invigilet. 77. 78. Ad quæ attendere oporteat in constituendis Officialibus Reipublicæ 77. 78. Cavenda acceptio personarum. 78.

**Probatio**, probatio per cruentationem cadaveris ad præsentiam occisoris 150.

**Provocatio** ad Divinum Tribunal quando licita? & ejus Exempla. 151. & seqq. Provocatores frequentius occumbunt in Monomachia 162.

**Præda**. Quibus cedant res hostibus ereptæ? 258. De postliminio. ibid. An & quando liceat militibus civitatem tradere in prædam? 259. An innocentes possint spoliari bonis suis? 260. 261.

**Purgatio vulgaris** quid, & quoruplex? 143. Illicita per Monomachiam 144. Leges eam purgationem approbantes injustæ. 145. Probationem criminis Duello comittere est tentatio Dei. ibid. Purgatio vulgaris per ignem triplex, ejusque ritus 146. Deus quandoquidem innocentiam miraculis testatus est. Exempla. ibid. Purgatio vulgaris per aquam. Ejusque ritus, & exempla. 148. mira de hujusmodi probationibus per fontes 149.

**Religio Politicorum, & Indifferentiarum** refuta-

tur, & ostenditur, quod non quilibet possit in sua Religione salvari. 28. 31. 32. Ratio perveniendi ad cognitionem veræ Religionis. 29. Quorsensu accipienda sit Scriptura, ut sit regula credendi, & agendi. 38. 39. &c.

**Repressalia**. Quando licitæ, & in quos? 257. 258.

**Saga** in forma felis non potest per rimas in Domum intrare. 111. Pactum superstitiosum cum Dæmone aliud explicatum, aliud implicitum. 113. Inepta signa superstitionum. 114. Remedia contra maleficia. 115

**Senator**. Ejus Dotes, finis, mōnica. 79. Homines passionibus obnoxij mali consiliarij. ibid. An expediat numerolum habere Senatum? 81.

**Syndicatus** aureum remedium Judices in Officio continendi. 85.

**Superstitio**, invulnerabilitas, *Befligkeit* apud Monomachos, & Milites. 109. 110. Impenetrabilitas non fit nisi ope Dæmonis, qui pacto stare non tenetur. 112. Honestis viris semper exosa. ibid. Quomodo Dæmon reddat hominem invulnerabilem? 111.

**Taurorum, & ferarum agitatio**. Licita est, si absit periculum cædis, & vulnerum. 187.

**Templarij**. Eorum ordo sublatu. 175.

**Torneamenta, Turnier** unde dicta? 184. si temerè suscipiantur, prohibita. ibid. Quando introducta in Germaniam, & eorum ritus, & rationes cur desiderant. ibid.

**Victoria**. Ea cautè & moderatè utendum. 262. Quomodo victus in clade se gerere debeat? 263.

**Vindicta**. Quando licita? 67. Fit à publica potestate, est specialis virtus. 68.



0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99



Österreichische Nationalbibliothek



02010708



